BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
8 M G
37

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

6-20-h-15-

20-f-13

70'3-4

Digitized by Google



BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

Google

ILLVSTRISSIMIS, NOBILISSIMIS, ET CLARISSIMIS DOMINIS,

SVMMO PRÆTORI, PROCERIBVS, ET SENATORIBVS CVRIÆ CASLETANÆ

BALDVINVS CABILLAVVS

S. P. D.

ANtiquum eſt apud Sapientes verbum: Qui beneficia inuenit, compedes inuenit; & quidem aureas, quibus non corpora (vti barbaro more apud Æthiopes) ſed corda ingenuo amoris nexu ſibi inuicē deuinciantur. Sic ego certè inprimis ſentio, & mecū Societas IESV, in quā tot beneficia Nobiliſſimæ & Magnificentiſſimæ CVRIÆ CASLETANÆ, & quidem ampliſſima, è tā munifico

ſinu,ceu perenni fonte,iam pridem emanarunt, & etiamnum emanant. Nam quidquid hîc aut ornamenti aut emolumenti Societati noſtræ acceſſit,id omne munificentiæ Veſtræ pignus longè pulcherrimum. Eò fit, vt ſit mihi gratiſſima eorum beneficiorum memoria, quæ me acribus quibuſdam ſtimulis perpetuò excitat, vt, ſi minùs ad referendam gratiam ſatis ego facere poſſim, ad deprædicandam certè & habendam ſatisdare enitar. Et quidem hoc qualiquali grati animi pignore. Fateor leuidenſe id munus: ſed munerum animus optimus. Is enim tantus eſt, vt qui velit, & debeat eſſe maximus. Sed quid agam? Nõ niſi tenue modò mihi ſuppetit politioris litteraturæ caſtrenſe peculium, è quo depromere tantùm poſſim paucula lauri folia, vnde candidâ & officioſâ Gratiarum manu detextam coronam ad Memoriæ aram ſuſpendo. Et verò memini quid erudita Græcorum vanitas ad veritatis in animo grato imaginem apud Pauſaniam adumbrat: nimirum Parnaſſi accolas ſuo Pythio primùm è laureis ramis frondeam ſcenam, an ſacellum? adornaſſe;

naſſe; inde apes ſuis pinnis & fauis aram vel quid ſimile excitaſſe: quo tam tenui è principio poſtmodùm auguſtiſſimum ſuo Phœbo condidere Phocenſes Delphis delubrum. Itidem & ego hoc tam paruo initio grandius prætexo opus; vnde illuſtrius olim exſtet grati officij monumentum. Idque etiam in hoc monte, qui, vti fabuloſus ille Parnaſſus, item biceps eſt, & cui ſuus quoq; fons Pegaſeus è meditullio emicat. In hac autem, quam dedico, coronâ laureâ, eſt legere aureis inſcriptos litteris SACROS HEROAS ET HEROINAS, in quibus veluti limpido in ſpeculo Maiorum Veſtrorũ & Veſtras, Coniugumque Nobiliſſimarum liceat contemplari imagines: quorum virtus cùm ſemper, tum potiſſimùm enituit, cùm iam vnum alterumque ab Septemtrionali Oceano hæreticæ perfidiæ diluuium in magnã Belgij partem incumbens impetu ſuo tot mortales inuolueret. Nam nullum tum temporis, quod ſciam, è tantâ nobilium virorum copiâ tam funeſta clades attigit. Nimirum quaſi cum arcâ Noë in montem Deo & Regi ſuo æternùm fida CASLE-

TANÆ CVRIÆ Pietas & Conſtantia ſeſe ſubduxerat. Imò nemo non maluit tunc fortunas ſuas vt opportuna iniuriæ pignora hoſtibus obiicere, quam Religionem Regemque ſuum deſerere. Eadem Pietas huc SOCIETATEM IESV aduocauit, illi domum excitauit, lautiſſimâ dote inſtruxit; & id perbreui tempore. Denique eam, vti illuſtre ſuæ munificentiæ theatrum, in dies largioribus amplificat ornamentis. Quin & magnificum moliri cœpit templum, vt arctioribus eoque gratioribus Societatem hanc ſibi conſtringat nexibus. Quæ ſi impares gratias, certè pares gratijs animos ſemper afferet, ideoq; ſeſe in præſens æterno obſequio deuouet, & ego inprimis eius Societatis alumnus, quoad ſpiritũ duxero. E Collegio Veſtro Caſſetano. XII. Kal. Iulij, M. DC. XXXVI.

Illuſt. DD.

Addictiſsimus

BALDVINVS CABILLAVVS.

INDEX
EPISTOLARVM
LIBRI PRIMI.

EPIST. I. *Gregorius Baſilio.* fol. 3.
II. *Soteris Marcellino Pontifici.* 7.
III. *Theodora Petro Epiſc. Alexandrino.* 11.
IV. *Dalphina Elzeario.* 16.
V. *Elzearius Dalphinæ.* 18.
VI. *Elesbaan Eubulo ſuo.* 22.
VII. *Rufina diuino Amori.* 26.
VIII. *Zuatoplucus Mundo valedicit.* 30.
IX. *Theodoſius Ambroſio Epiſcopo.* 34.
X. *Nonnus Pelagiæ.* 38.
XI. *Pelagia Nonno.* 46.
XII. *Hungaria Stephano Regi ſuo.* 51.
XIII. *Stephanus Hungariæ ſuæ.* 55.
XIV. *Abraham Mariæ Nepti ſuæ.* 59.
XV. *Maria Abrahæ patruo ſuo.* 63.
XVI. *Dauid Nathan Prophetæ.* 68.
XVII. *Maria Xaueria Franciſco filio.* 74.
XVIII. *Eiuſdem ſecunda.* 77.
XIX. *Eiuſdem tertia.* 79.
XX. *Eiuſdem quarta.* 83.

XXI.

XXI. *Eiuſdem quinta.* 88.
XXII. *Eiuſdem ſexta.* 91.
XXIII. *Eiuſdem ſeptima.* 95.

INDEX EPISTOLARVM LIBRI SECVNDI.

EPIST. I. *Ludouicus Rex Germaniæ Carolo fratri Imp.* 101.
II. *Catharina Senenſis Ieſu ſponſo ſuo.* 109.
III. *Eiuſdem ſecunda.* 113.
IV. *Iordanus Alberto ſuo.* 117.
V. *Albertus Iordano magiſtro ſuo.* 121.
VI. *Dorothea Theophilo.* 125.
VII. *Hilarius Apræ filiæ ſuæ.* 128.
VIII. *Apra Hilario parenti.* 132.
IX. *Carolomannus Bonifacio Archiepiſc.* 136.
X. *Carolomannus Pipino fratri.* 140.
XI. *Autbertus Landelino.* 144.
XII. *Landelinus Autberto.* 149.
XIII. *Lucia Paſchaſio.* 155.
XIV. *Ambroſius Virgini lapſæ.* 159.
XV. *Virgo lapſa Ambroſio Epiſcopo.* 162.
XVI. *Manlius Theodorus Genti Manliæ.* 167.

XVII.

XVII. *Italicus Hilarioni.* 170.
XVIII. *Monica ſuo Auguſtino.* 175.
XIX. *Gallicanus Romæ Vale dicit.* 179.
XX. *Maria Sophronio.* 187.

INDEX EPISTOLARVM LIBRI TERTII.

EPIST. I. *Ignatius Loyola Franciſco Xauerio.* 195.
II. *Franciſcus Xauerius Ignatio Loyolæ.* 203.
III. *Aloyſius Gonzaga Angelo Cuſtodi.* 208.
IV. *Aloyſius Gonzaga Claudio Aquauiuæ.* 212
V. *Staniſlaus Koſtka Franciſco Borgiæ.* 216.
VI. *Ioannes Carrera Angelo ſuo.* 221.
VII. *Cæcilia Valeriano.* 225.
VIII. *Eiuſdem ſecunda.* 228.
IX. *Mater ſua Apollinari.* 231.
X. *Apollinaris matri.* 235.
XI. *Theopiſta Euſtachio.* 239.
XII. *Euſtachius Theopiſtæ.* 243.
XIII. *Theopiſta geminis ſuis.* 250.
XIV. *Theodora ſuo Ioanni.* 254.
XV. *Eiuſdem ſecunda.* 260.

XVI.

XVI. *Ioannes Theodoræ matri ſuæ.* 264.
XVII. *Decius Tryphoniæ ſuæ.* 266.
XVIII. *Tryphonia Decio ſuo.* 271.
XIX. *Theodora Proterio Patriarchæ Alexandrino.* 275.
XX. *Bonifacius ad Solem.* 279.
XXI. *Eleuthera Magiſtriano.* 283.
XXII. *Lucia Amatori ſuo.* 287.

INDEX

EPISTOLARVM LIBRI QVARTI.

EPIST. I. *Sophroſyne Alexio ſpōſo ſuo.* 293
II. *Eiuſdem ſecunda,* 298.
III. *Eiuſdem tertia.* 300.
IV. *Eiuſdem quarta.* 304.
V. *Eiuſdem quinta.* 307.
VI. *Eiuſdem ſexta.* 310.
VII. *Eiuſdem ſeptima.* 314.
VIII. *Eiuſdem octaua.* 317.
IX. *Eiuſdem nona, Parenti & Socero.* 320.
X. *Eiuſdem decima.* 327.
XI. *Eiuſdem vndecima.* 330.
XII. *Eiuſdem duodecima.* 333.

XIII.

INDEX.

XIII. *Epiſcopus Edeſſenus Sophroſynæ.* 336.

XIV. *Genouefa Sifrido coniugi ſuo.* 339.

XV. *Glaucias Genouefæ.* 345.

XVI. *Genouefa Sifrido.* 349.

XVII. *Eiuſdem tertia.* 354.

XVIII. *Eiuſdem quarta.* 356.

XIX. *Eiuſdem quinta.* 359.

XX. *Eiuſdem ſexta.* 362.

XXI. *Eiuſdem ſeptima.* 366.

XXII. *Eiuſdem octaua.* 370.

XXIII. *Mater Genouefæ Goloni.* 374.

XXIV. *Mater Genouefæ ſuæ.* 378.

XXV. *Genouefa Magnæ Parenti.* 380.

Digitized by Google

Facvltas R. P. Provincialis.

Ego infraſcriptus Societatis Iesv per Flandro-Belgicam Præpoſitus Prouincialis hiſce poteſtatem do *Henrico Aertſenio* Typographo Antuerpienſi, typis mandandi libros quatuor *Epiſtolarum ſacrarum Heroum & Heroidum*, *Auctore P. Balduino Cabillauo, è Societate* Iesv. In quorum fidem has manu meâ ſubſcriptas, & officij ſigillo munitas dedi Antuerpiæ 22. Aprilis 1636.

Fredricvs Tassis.

Approbatio.

Cum ſacrarum Epiſtolarum libri quatuor à R. P. Baldvino Cabillavo *è Societate* Iesv *viro eruditiſſimo conſcripti ſanctos Heroum & Heroidum ardores ac ſpiritus explicent, meritò illos luce dignos cenſeo, vt ex ijs cum illâ Poëticæ artis illecebrâ pietatem lectores hauriant. Antuerpiæ,* XXIII. *Aprilis* M.DC.XXXVI.

Gaſpar Eſtrix Plebanus, & libr. Cenſor.

R. P.

BALDVINI CABILLAVI

E SOCIETATE IESV

EPISTOLARVM

HEROVM & HEROIDVM

LIBER PRIMVS.

Digitized by Google

Digitized by Google

EPISTOLARVM HEROVM ET HEROIDVM LIBER PRIMVS.

EPISTOLA I.

ARGVMENTVM.

IN primo adhuc ætatis gradu conſiſtenti GREGORIO NAZIANZENO *de nocte nec opinanti ſe ſiſtunt Sapientia & Caſtitas, auguſtâ ſpecie ſpectandæ virgines. Mirari caſtus adoleſcens vndenam in thalamo, quem ſidis ſeris obfirmarat, id temporis puellæ. Tum Sapientia placido vultu ſic eum allocuta: Non eſt quòd metuas pudoris periculo. ego Sapientia tibi dotes meas offero, ſi modò ſororem hanc meam, cui nomen* Caſtitas, *in tuum contubernium admiſeris, fidam cuiuis ætati comitem & cuſtodem. Arripit ille tam opportunam conditionem, ac poſtea ſuo Baſilio hæc viſa datis his litteris narrat, eumq; hortatur vt ſimul Sapientiæ &* Caſtitatis *ſtudio inuigilet.* Ribadineira in eius vitâ.

GREGORIVS SVO BASILIO.

DVm fruimur primis & adhuc florentibus annis,
Par nos relligio, par quoque iunxit amor.
Dulcibus alloquiis hilares quot duximus horas?
Quot concepta bono ſunt bona vota die?
Nil noſter celauit amor: qui pectore ſedem
Fixerat, arcanos panderat ille ſinus.
Hinc tibi iam noſtros placuit, quibus vrimur, ignes
Scribere, quos geminæ virginis afflat amor.
Forſitan inquires, quid fax velit iſta, quid ardor?
Quæúe gemella fuit virgo, vel vnde domo?
Accipe. Nox tacitis vbi cærula volvitur aſtris,
Virgo bis vna meum ſe ſtitit ante torum.
Euigilo, mirorque duas, duo ſidera, Nymphas,
Queis nitor intactæ frontis eburnus erat.
Dixiſſes (tales oculis afflabat honores
Gratia) ſidereâ fronte referre Deas.
Dixiſſes geminas vnâ de matre ſorores:
Par adeò Nymphis forma duabus erat.
Mens hæret, Diuaſne vocem, geminaſúe puellas.
Sint procul hinc Veneres. Vtraque Diua fuit.
Vna manu ſolem, niueum tulit altera florem,
Vtraque nectareo fudit ab ore roſas.
Vna, parens Sophiæ; Sophiæ comitata parentem
Virginitas: ſignis vtraque nota ſuis.
Illa ſibi frontem biſſenis cinxerat aſtris:
Hæc erat intactis tempora vincta roſis.
E quibus arridens placido quid lene labello
Alma parens Sophiæ, ſic prius orſa loqui:
Ipſa ego ſiderei felix Regina Senatûs,
Virtutum genitrix, cælite nata toro:
Clara magiſterio, teneræ dux fida iuuentæ,
Quâ ſine ſi ſtatuit currere, cæca via eſt.
Si tibi cura meas animum coluiſſe per artes,
Plus aliquid lauru, plus hederaque dabo.

Tu modò iunge tibi, dextrâ quam prenſo, ſororem,
(Et comitem monſtrat Diua) fidémque dato.
Eſt ea, ſi neſcis, eſt mater honeſta pudoris:
Virgo licet, multâ prole beata viget.
Si lubet, hanc ſtabili iungam tibi fœdere ſponſam,
Dos ego, ſi dotem fortè requiris, ero.
His dictis, ſoror vna ſuam, ſimul altera dextram
Implicat, & ſocias vtraque ſpondet opes,
Si modò concordes in fœdera iunxero dextras.
Nec mora: concordi fœdera iungo manu.
Dum prenſo, & caſtis ſimul occupo & illigor vlnis,
Lubrica prenſantes luſit imago manus,
Auolat incerto velut vmbra ſimillima ſomno,
Nî quoque vana Deæ gratia ſomnus erat.
Ex illo mihi nulla quies ab imagine Diuæ:
Cor tenerum ſtimulis acribus vrit amor.
Nil niſi Virginitas, Sophiæque cupido recurſat:
Illa meos ſenſus cepit, & illa meos.
O quoties, dum quæro meis ſolatia curis,
Nox precibus, ſtudiis nox fuit acta meis!
Iamque vbi labentes ſomnus mihi preſſit ocellos,
Abrupit ſomnos vtraque virgo meos.
Nec tamen inde quies: animum nouus incitat ardor,
Votaque cùm fecit plurima, plura facit.
Aurea comebat roſeos Aurora capillos,
Et ſolito frontis gratia maior erat.
Surrexi, formâque loci recreatus & aurâ,
Solus in herboſis exſpatiabar agris.
Quà feror, & mentis repeto ſuſpiria, rurſum
Conſtitit ante oculos vtraque Diua meos.
Obſtupui, preſſique gradum, decus admiratus,
Quale nec æthereâ lux parit vlla domo.
Rarus honor vultu, geminæ par gratia formæ,
Lacteoliſque genis, purpureiſque labris.
Erubuere roſæ vinci ſe flore pudoris,
Liliaque in fuſcâ ſunt niue viſa mori.

Aureolaſque comas radiis intexere poſſet
    Has Sol ipſe ſuis, Luna vel ipſa ſuis.
Adſpexi violas, & amœna roſaria veris,
    Et quas Flora ſinu diuite fundit opes.
Auroramque videns: Solis tibi nuncia, dixi,
    Gratulor, auricomo quod nitet ore, iubar.
Et niueam, fateor, debent tibi lilia formam,
    Et debent animas caltha crocuſque ſuas.
At decus omne tuum, terras quo pingis & æquor,
    His oculis Dominæ ſuccubuiſſe vides.
Cedito Tithoni croceo Matuta cubili,
    Diua mihi reducis nuncia Solis erit.
Talia narranti nubes mihi lucida Diuas
    Abſtulit: auſpicij lux fuit illa boni.
Eia redi, dixi, Sophiæ gratiſſima mater,
    Et mihi pacta ſacro fœdere Virgo redi.
Virgo redi, tua forma meos inuitat amores,
    Et centum cauſſas, cur adameris, habes.
Siue verecundos trepidas attollere vultus,
    Illa verecundi ſigna pudoris amo:
Siue ſiles, capior: ſeu cæli oracula pandis,
    Auferor, ætherei pars quaſi magna chori.
His ego dum gemitus & vota precantia iungo,
    Ac gemitus Echo miſcet & aura ſuos:
Neſcio quis tenui mihi voce ſuſurrat ab alto,
    Anne, putas, iſto gramine Diua ſtetit?
Falleris. His certè non errant Numina campis:
    Sed quam finxit amor, virginis vmbra fuit.
Tunc ego: Me pulchrâ ſi cæca vel vmbra figurâ
    Sic tenet, ô quali lumine Diua trahet!
Ecquid ad hæc, Basili, cenſes, ô carior iſtis
    Tu mihi lux oculis, dimidiumque mei?
Haud dubium, fido ſuades adſtringere nodo
    Vincula, cæleſtem vincula pacta fidem.
Quin age, nos idem ſi iunxerit vſus & ætas,
    Nos idem placito fœdere iungat amor.

Alma

Alma parens Sophiæ, niueiq́ue magiſtra Pudoris,
Si lubeat, faciles addet vtrique manus.
Vtraque ſponſa ſuas promittit vtrique coronas.
Quid precibus poſſit dignius eſſe meis?

EPISTOLA II.

ARGVMENTVM.

SOTERIS *virgo Romana nobiliſſima, Deoq́ deuota, Marcellino Pontifici Romano virginitatem commendat ſuam, ne ſollicitationibus & inſidiis procorum & parentum victa ſuccumbat. Hac eſt illa Soteris, de qua præclarum extat encomium S. Ambroſij in Exhortatione ad Virgines: At non S. Soteris, vt domeſticum piæ parentis proferamus exemplum (habemus enim nos ſacerdotes noſtram nobilitatem Præfecturis & Conſulatibus præferendam, habemus, inquam, fidei dignitates, quæ perire non norunt) at non, vt dixi, Soteris vultus ſui curam gerebat? quæ cùm eſſet decorâ facie valdè, & nobilis virgo maiorum proſapiâ, Conſulatus & Præfecturas parentum, ſacrâ poſthabuit fide, & immolare iuſſa non acquieuit? quam perſecutor immanis palmis cædi præcepit, vt tenera virgo dolori cederet aut pudori. At illa vbi audiuit hanc vocem, vultum aperuit, ſoli inuelata atque intecta martyrio: & volens, iniuriæ occurrit, vultum offerens; vt ibi martyrij fieret ſacrificium, vbi ſolet eſſe tentamentum pudoris. Gaudebat enim diſpendio pulchritudinis periculum integritatis auferri. Sed illi potuerunt quidem vultum eius vulnerum vibicibus exarare; faciem tamen virtutis eius, & gratiā decoris interni nequaquā exarare potuerunt.* hæc Ambroſius.

SOTERIS MARCELLINO PONTIFICI.

ME timor arcanos iuſſit tibi credere ſenſus,
O Pater, ô vitæ prouida cura meæ.
Nempe graues toto perſenſi pectore motus:
Nec ſtat adhuc requies corde, nec ore color.
Adſpice, quàm longas flendo conſumpſimus horas;
Adſpice, quàm trepido frigida corda metu.
Cypridis ad nomen tremor occupat ilicet artus:
Nomen ad hoc ſemper ſum mihi viſa mori.
Ara mihi teſtis (dextrâ contingimus aram)
Quàm ſint fidâ ſacræ vota pudicitiæ.
Teſtis & hæc ſindon præuelatura pudorem,
Et teſtis cælo vindice pacta fides.
Vos etiam appello, quos hæc altaria circum
Propoſiti teſtes contigit eſſe mei.
Aurea gemmanti quas vinxerat inſtita nodo,
Iam cinis obſcurat caſtaque vitta comas.
Fuluaque quæ niueâ ceruice pependit imago,
Luget in obſcuris munus inane locis.
Nempe parum caſtos pudor hinc proſcripſit honores:
Virginitaſque ſibi ſimplicitate placet.
Sic certè placet illa mihi. Sed plena timoris
Bella mihi, video, bella Cupido parat.
Spero equidẽ, noua pugna nouũ paritura triumphũ eſt,
Atque ſuas in me prodiget hoſtis opes.
Heu quid ago? quæ tanta meis fiducia cœptis?
Vincet an imbellis virgo tot vna viros?
Hei mihi! ſollicitò tenerum cor palpitat ictu:
Non caret, heu! iuſtò palma paranda metu.
Alternat dubium palloreque ruborque colorem:
Pluraque frons animi ſigna pauentis habet.
Tot volitant circùm, chorus inſidioſus, amores,
Quot Cytherea parat luxurioſa procos.
Quàm timeo, fraus nequa ſacro ſubrepat amori,
Expugnentq́ue animum bella doloſa meum!

Magne

Magne Pater, teneri ſpes & tutela pudoris,
Diſcute graſſantes in mea damna faces.
Si mereor, ſi iuſta precor, ſi reſpicis vrbem,
Pars ego ſi populi ſum quotacumque tui:
Publica dum Latiæ vigilas in commoda gentis,
Præueniant curæ noſtra pericla tuæ.
En, tuba bella canit; qui me ferus impetit hoſtis
Mille mali ſpecies, queis capiamur, habet.
Ille, vides, priſcis atauûm prætexta tropæis
Limina prætendit principe digna toro.
Ille atauûm reliquos cineres adiurat & oſſa,
Vt patrias ornem ſplendida neptis opes.
Ipſe pater generumque vouet, ſperatque nepotes;
Hæc quoque grandæuus ſperat & vrget auus.
Et ſua me ſub iura vocant; pietaſque vocatur.
Heu pietas votis inſidioſa meis!
Oſtendunt, veteres quot cingant atria ceræ,
Partaque quot bello gloria monſtret auos:
Et tales poteris fraudare nepotibus, aiunt,
Dum patrios ſeruas innuba virgo lares?
Quin & Fama, ſuis hoſtis ventoſior alis,
Aduolat, & lituo grande ſonante fremit.
Nuper, ait, pleno populi deriſa cachinno,
Soteriſque omni fabula facta foro eſt.
Nil agis infelix laſciuæ turba Diones:
I, fateor riſus me meruiſſe tuos.
Nil ego vana moror ſtolidæ ludibria famæ,
Dum mea ſit Supero fama canenda choro.
Rideo Romanos, illuſtria nomina, faſces:
Rideo compoſitas, mollia tela, preces.
Quò mihi multa meos quæ ſpirat imago parentes,
Et domus intonſos quæ mihi cenſet auos?
Quò mihi nobilitas claris tot opima tropæis,
Si iacet informi mens inhonora ſitu?
Auſpice quæ Chriſto fragiles faſtidit honores,
Nil ea Romanæ nobilitatis eget.

Hæc ego dum mecum, cunctas Venus aduocat artes,
Et ciet inſidis bella timenda dolis.
Comus adeſt Veneri, Venerisque caloribus apta
Ipſe ſuâ miſcet vina Falerna manu.
Huc & lena procax quærit Medeïdas herbas,
Et quæ vim Paphij verba furoris habent.
Iamque parat cælo caſtam deducere mentem;
Et faceret, ni te vindice victa foret.
Subiicit & ſpeculum (quæ non Amor inuenit arma?)
Argutis oculis inſidioſus Hymen.
Me iubet hic florem primæ meminiſſe iuuentæ,
Ne ſterili damnem meque meoſque probro.
Ergo, ait, ante diem triſti carpêre ſenectâ,
Dum tibi iucundo vere iuuenta viret?
Haud equidem tantum potui ſperare furorem;
Nolle frui vitæ munere, non furor eſt?
En tibi mille roſæ vernant, & mille liguſtra;
Mille roſæ teneris, mille liguſtra genis.
Tali blandus Hymen, tali me voce Cupido
Incitat, & flammas ſubdit vterque ſuas.
Parce tuas, Hymenæe, faces; tua tela, Cupido,
Spargere: nil in me tela faceſque valent.
Si mihi namque viret primæuo flore iuuentus,
Si rubet æſtiuis æmula mala roſis:
Hunc mihi, ſi neſcis, afflat mens caſta ruborem,
Et culpâ faciem poſſe carere docet.
Tu modò, virginei cui credita cura pudoris,
O ades! ô ſanctâ ſindone conde caput.
Sindone conde caput: dedit hæc mihi flammea ſponſus,
Vmbraque ſunt capiti fida futura meo.
Hæc ſindon mihi caſſis erit: ſic tela repellam,
Telaque, quæ iaciam, crux mihi crebra dabit.
Tum ſacra perfugium noſtro dabit ara pudori,
Cùm tremet infeſto ſeptus ab hoſte pudor.
Sæpè feras vidi medio diſcrimine leti
Sic ſibi maturâ conſuluiſſe fugâ.

Sic,

Sic, quoties timuit, petit hoſpita tecta columbus,
Siqua minax vrget vulturis vmbra caput.
Anxia ſic tacitas irrumpit cerua latebras,
Siqua cient toruos cornua rauca canes.
Et quærit trepido tener agnus ouilia curſu,
Si ferus imbelles territat hoſtis oues.
Inſidias meditetur amor: dabit ara ſalutem,
Huc fugiam, latebris hæc erit apta meis.
Hic ego thuricremis imponam dona fauillis,
Cumque meâ ſeſe tollet acerra prece.
Hic ego te, cui prima meæ ſtat cura ſalutis,
Angele, quâ poteto, religione colam.
Hic dicam, nondum penitus ſecura pericli,
Da mihi, da tutâ virginitate frui.
Dos malè tuta pudor. Quæ penna, quis entheus ardor
Abripiet celeri me ſuper aſtra fugâ?
Si bene quid merui, ſi qua eſt tibi cura timentis
Virginis, ô alas, Angele, trade tuas.
Tu quoque Romulidûm paſtor, cui ſcribere cælo
Iura datur, trepidæ, nam potes, affer opem.
Hoc ſupplex te charta rogat, rogat Aliger ipſe,
Præſidiiſque tuis virgo tuenda rogat.

EPISTOLA III.

ARGVMENTVM.

Theodora virgo Alexandrina aut Diis ſacrificare, aut lupanari proſtitui iubetur. Quomodo Deos ſuos colunt, qui ſic vindicant? aut quemadmodum ipſi viuunt, qui ita iudicant? Ducitur puella Dei ad lupanar: clauditur intus columba, ſtrepunt accipitres foris. At ecce vir militis ſpecie terribilis irrupit, qui ſic ad Virginem: Ne, quæſo, paueas ſoror. Frater huc veni ſaluare animam, non per-

perdere. Veſtimenta mutemus: conueniunt mihi tua, & mea tibi; ſed vtraque Chriſto. Tua veſtis me verum militem faciet; mea te virginem. Et inter hæc verba chlamydem exuit. ſuſpectus tamen habitus & perſecutoris, & adulteri. Virgo ceruicem, chlamydem miles offerre. Quæ pompa illa, quæ gratia, cùm in lupanari de martyrio certarent? Quid plura? Mutato habitu euolat puella de laqueo. Quæ mox rem hanc totam Petro Alexandrino Epiſcopo ſignificat hiſce litteris, eiuſq́; ſubſidium in hoc diſcrimine flagitat. Ex Ambroſ. libr.2. de Virgin.

Theodora Petro Episo. Alexandrino.

ACcipe, magne Pater, noſtri diſcrimina belli,
 Cùm virgo nuper credita miles eram.
Miles eram, formæque decus creſcebat in armis;
 Vſque adeò membris apta fuere meis.
Seu galeam ſumpſi, galeam ſumpſiſſe decebat;
 Seu gladium, gladio virgo timenda fui:
Seu telum digitis circumplectebar eburnis,
 Mirabar faciles tela rotare manus:
Siue truces animus fingebat militis iras,
 Ornabat teneras militis ira genas.
Et bene compoſitis pugnam pugnauimus armis,
 Et ſtetit à ſignis cauſa poluſque meis.
Si licet, & pateris, vixdum ſubducta periclo
 Prima rudimenti perſequar acta mei.
Stat vetus, & multis polluta cruoribus ara:
 Certa fides, illo numen abeſſe loco.
Vana ſuperſtitio pateris hîc libat & auro,
 Fictaque ſacrilegâ numina voce vocat.
Hîc ego dum renuo ſupplex procumbere terræ,
 Thuraque ad infames ferre merumque Deos;

Heu!

Heu! grauior letę, vel ſi quid dirius illo
Ferre poteſt virgo, pœna luenda venit.
Ducor ad Idalios virgo captiua penates;
Ad rapidos mallem ducta fuiſſe rogos.
Sancte pudor! quanto pallebam ſaucia luctu.
Sancte pudor! quantum pectore frigus erat.
Heu! cui me pœnæ, iudex ſcelerate, reſeruas?
Hoc vnum flammis, hoc nece peius erat.
Nil pœnam vereor: ſcelus eſt, quo plectimur, inquam:
Pœna mihi, probrum demite, munus erit.
Eſt aliquid ſæuas alacrem ſpectare ſecures,
Inuictumque flagris oppoſuiſſe latus.
Eſt aliquid perferre rogos, vultumque tenere,
Et ludum Libycis eſſe cibumque feris.
Felices, quibus inde ſacro ſtat vertice laurus:
Hei mihi! quòd capiti non datur illa meo.
Sed perdo miſeras non exaudita querelas.
O bene! ſi tantùm perdere verba datur.
Quippe locum ſceleris (ſceleris locus ære patebat)
Ingreditur miles, congeminatque metum.
Balteus ex humeris pendet, caput horret ahenâ
Caſſide, ſecurum cingitur enſe latus.
Quid faciam ignoro, mediis obiecta periclis:
Cor pudor hinc vrit, cor timor inde quatit.
Nec vigor eſt animo, nec vultus, nec color vnus,
Quæque pudicitiam vis tueatur, abeſt.
Dextra parat pugnam, mihi læua retentat amictum.
Sed magnum teneræ quid potuere manus?
Hei mihi! ſicut eram, ſine mente & ſanguine ſedi
Decolor, heſternâ languidiorque roſâ,
Vtque lepus toruis data præda leonibus horret,
Auia conſpectis vt tremit agna lupis:
Aut ſic, aut grauius mentem mihi perculit horror,
Armato videor dùm placuiſſe viro.
Quod licuit, feci. Tenuis ſub ſindonis vmbrâ
(Tuta tamen capiti ſi fuit vmbra meo)

Erubui

Erubui deprenſa: genas flagrare putâtes:
Et pro voce, manus ſigna fugantis erant.
Quoque repello magis, greſſum magis admouet hoſtis;
Et ſpatio tangit iam propiore latus.
Me miſeram! quoties fugitans auerſa retorſi
Ora Meduſæo frigidiora gelu?
O quoties dixi, Superos conteſtor, & aram,
Quæ mea votiui dona pudoris habet.
Tum bene deuoui memet, neque vota retracto:
Votorum teſtes ſidera rurſus erunt.
Neúe fidem violem, mihi mors priùs eripe vitam;
Heu nimiùm votis mors modò lenta meis.
Me rape, ne rapiat florem mihi leno iuuentæ:
Illa dies caſtæ lucis Eous erit.
Aut vbi victa tremo, victorem fulmine terre:
Sæpè premente metu fert metus alter opem.
Vix ea: cùm miles, Rerum ô pulcherrima, dixit,
Quæ formâ ſuperas aſtra, pudore roſas,
Quid dubitas, & tuta times? ſepone querelas,
Virgo, pudicitiam qui tueatur, adeſt.
Qui tibi cæleſtes radios adſpirat & ignes,
Afflat & hic animo vota pudica meo.
Ipſe tibi quod frater ero: radiantia teſtor
Sidera, virgineæ laudis amator ego.
Non tam forma placet, ſaluæ quàm gloria formæ:
Iuuerit armato ſic placuiſſe viro.
Indue virgo virum, vir virginis induet ora:
Sic pudor armatus nec malè tutus erit.
Accipe (quid trepidas?) galeam noua Pallas & haſtam:
Hic clypeus caſtæ Pallados ægis erit.
Dixerat. incerta eſt, nec quid ſtatuatúe negetúe
Inuenit, implexis mens ſtupefacta dolis.
Et modò confuſo mecum quid murmure muſſans:
An ſumus obſcæno ludicra præda lupo?
Et modò certa mori, fletu ſcindente querelam,
Hoſtis, an, exclamo, tutor honoris ades?

Tutor

Tutor, ait, verbiſque fidem iurantibus affert:
Vix quoque ſimplicitas ſic mea tuta fuit.
Credidimus tardè, quæ lædere fortè pudorem
Nata meum: res eſt ſuſpicioſa pudor.
Dum peſtem metuit, medicum quoque neſcia vitat,
Et propè ſe leto credit abeſſe ſuo.
Tum mihi viſa fuit ſpes dicere: Parce timori,
Virgine vir dignus, dignaque virgo viro.
Spes ſi quaſſa metu, non eſt tamen obruta fluctu:
Sæpè tenet portum quaſſa carina ſuum.
Euentu quoties æther meliore retexit,
Quæ grauis implicuit dira pericla timor?
Nec mora, iucundâ cælum ſpem luce ſerenat,
Datque fidem: fidei ſponſor Olympus erat.
Sed tener vt pudor eſt, & res nimis obuia prædę,
Speſque ſoluta metu ſępè fefellit opem:
Cura vigil, ne quis forſan mihi proditor inſtet,
Vſque parum tutas excubat ante fores.
Sic tandem, alternis licet auferar anxia curis,
Vincere ſtat dubium ſpe meliore metum.
Quid moror? ipſa viri cultumque habitumque latenter
Induor; induitur cultibus ille meis.
Iamque animis maiora loquor: ſed magna locutæ
Excutit ingenuus Martia verba timor.
Hei mihi! difficile eſt faciem componere pugnæ,
Difficile eſt placidâ prodere mente minas.
Nec bene vittato gliſcit violentia vultu,
Nec bene virgineis fingitur ira genis.
Tentaui quoties audaci abſcedere greſſu,
Cùm bene tentaui, pes mihi lentus erat.
Sed tamen euaſi: ſi quis mihi pallor obortus,
Pallentes caſſis texit ahena genas.
Et ſi non audax, at caſta videbar in armis:
Militiæ laus hæc primaque cura meæ.
Hactenus iſta quidem ſumptis feliciter armis
Geſſimus: at nondum laurea parta mihi eſt.

Nam

Nam qui me caſus, & quæ me bella ſequentur,
Ipſe vides: mœſtos res habet ipſa metus.
Non ego, ſi fugi, poſſum mihi tuta videri:
Hei mihi! magnus adhuc pectora terror habet.
Libera ſic volucris metuit, quibus hæſerat, vngues,
Sic excuſſa lupi dentibus agna pauet.
Per Superos oro, per noſtræ præmia pugnæ,
Dum mihi plura manent prælia, dexter ades.
Addimus & lacrymas, tanquam loqueremur & illis:
Hæ vires etiam, quoque loquantur, habent.
Scribere plura vetant: ſed tu modò flentis ocellos
Tergere conſilijs ſubſidijſque potes.

EPISTOLA IV.

ARGVMENTVM.

Elzearius Ariani in Gallia Comes ſibi coniugem adiunxerat Dalphinam, ſed innuptis nuptiis, ſi vtriuſque ſanctum ſpectes conſilium. Ambo enim, vt caſta integraq; vita labor in pietatis obſequio verſaretur, mutuam corporis caſtimoniam voto religioſo ſanxerunt; non tamen ſine vſu contubernij. Interim Elzearium cura Reip. in Galliam Narbonenſem auocat, vbi cùm in Monte Peſſulano moras ille necteret longiores, Dalphina ardens caſto viri deſiderio, facunda in preces, ſuauiter eum domum inuitat, datis è caſtro, quod Podium Michaelis dicitur, litteris. Stephanus Binetus in eius vitâ cap. XI.

DALPHINA ELZEARIO.

QVam mallet coràm tibi dicere lingua ſalutem;
Littera fert, voti nuncia fida mei.
Perlege, cùm ſolitus curarum ceſſerit æſtus,
Quæ tibi ſollicitus ſcribere iuſſit amor.

Inuenies

Inuenies illic, quàm tu mihi ſæpè recurſes,
 Nullaque non gemitus audiat hora meos.
Et quamuis animo tua ſemper oberret imago,
 Soleturque oculos, quà licet, illa meos;
Non tamen illa metus, nec curas pellit: amori
 Miſcet amaritiem viua tabella meo.
Crede mihi, mea lux, nimiùm te tempore longo
 Diſtinet à viduâ publica cura domo.
Si fas eſt vrgere moram, ter plena refulſit
 Cynthia, ter latuit: nec tamen inde redis.
Si ſpatium numerarit amor, mihi longius anno eſt.
 Da veniam: ingenij eſt impatientis amor.
Et tamen interea tot tædia lenta dierum
 Protrudunt animi ſpemque metumque mei.
Ac velut extremis ales Mæandrius horis
 Murmurat ad querulas flebile carmen aquas:
Sic mea ſic totâ reſonant ſuſpiria ripâ,
 Quà Rhodanus lacrymis creſcit ab ipſe meis.
Proximus eſt ripæ (tanto tibi tempore forſan
 Exciderit ſpecies huius amœna loci)
Proximus eſt ripæ frondoſo vertice cliuus,
 Arduus educto ſurgit in aſtra iugo.
Hinc reduces contemplor equos, celereſque quadrigas,
 Quotque rotas video, ſuſpicor eſſe tuas.
Suſpicor: at quoties ſpes irrita ludit amantem?
 Augeturque meus credulitate dolor?
O mea quis rapidis aptabit brachia pennis,
 Dædale ſiue tuis, Icare ſiue tuis!
O quis ab Elyſiâ deducet valle vagantem
 Pegaſon! ipſa regam fræna volantis equi.
Hoc mihi remigio pateat modò pervius æther,
 Deprendamque, animæ pars vbi magna meæ.
Quid loquor, & pennas memoro, celereſque volatus?
 Nil profecturam mens mihi fingit opem.
Ibo, nulla mora eſt, quà dux Amor anteit, ibo,
 Et quacumque gradum diriget ille, ſequar.

Tunc ego cognoſcam, quantarum pondera rerum
Hactenus à patriâ te tenuere domo.
Forſitan orantem noſtri te curia regni
Suſpicit, & fulgens hîc premis altus ebur.
Forſitan hîc placidæ perſuades otia pacis,
Verbaque, quæ profers, ſingula pondus habent.
Forſitan & turbis animum ſubduxeris illis,
Et de more tuas excipit ara preces.
Atque inter gemitus, interque precantia verba
Liqueris in largas flens niuis inſtar aquas.
O ſine Dalphinæ ſocios concurrere riuos,
Et mea ſit lacrymis lacryma miſta tuis!
Quid vetat, immenſis ſpumoſæ Tethyos vndis
Adſerpat modicæ riuus alumnus aquæ?
O ſit fas oculis, geminoque è fonte, doloris
Quà tuus excurrit, coniugis amnis eat.
Aſpice: pendentes oculorum margine rores,
Dum tam lentus abes, promptius ire iubes.
Hinc illæ lacrymæ, nullus quas ebibit æſtus,
Feruidus æſtiuos ſol vbi torret agros.
Sol meus, ô propera, radijſque calentibus vdos
Terge oculos: lentas quid ſinis ire rotas?
Verùm age, quid mœſtum geminas Dalphina dolorem,
Anxia quò iuſtas arguis vſque moras?
Sol properat, ſoleſque bonos adducet, & imbres
Diſcutiet, grauidæ queis maduere genæ.
Tunc quàm ſol imbri, quamque imber roſcidus agro,
Coniugis aduentus tam mihi gratus erit.

EPISTOLA V.

ARGVMENTVM.

VT ſuauiſſimæ coniugis dolorem ac ſollicitudinem leniat abſens Elzearius, ei ſignificat, vt, ſi ſuum velit Elzearium certò reperire, illum in perfoſſo Chriſti latere

latere quærat: in illo ſe habitare, illi ſepræ doloris & amoris dulcedine immorari & immori velle. Stephanus Binetus in eius vitâ cap. XI.

ELZEARIVS DALPHINÆ.

QVæ, mea vita, tuis miſſa eſt querimonia verbis,
Grata quidem; cauſsâ ſed meliore caret.
Nam reditûs ſi ducta mora eſt, ſi longior æquo,
Vulnera tam longæ cauſſa fuere moræ.
Vulnera (pone metum: nihil eſt, quod læſit amantem;
Inque meo nuſquam corpore plaga ſedet)
Vulnera (quid fruſtra palles? gelidoque pauore
Labitur è digitis charta ſoluta tuis?
Perlege; & intrepidâ cum mente reſume colorem:
Forſan & hîc aliquid, quo capiare, leges)
Vulnera, quæ Ieſus laniatus corpore toto
Suſtulit, hæc ſenſus detinuere meos.
Hæc domus, hæc ſedes, hæc ſunt penetralia cari
Coniugis, his adytis inueniendus erat.
Quid tibi cum tabulis? mutâ quid imagine factum,
Præſentemque tuus me ſibi finxit amor?
Quin oculos tenuit Chriſti pendentis imago,
Digna tenere tuos, digna tenere meos?
Hîc memet poteras, quamquam regionibus abſim,
Cernere, & alloquio demeruiſſe tuo.
Hîc ſerâ mihi nocte quies (ſint ſidera teſtes)
Hîc mihi crux feſſo præbuit apta torum.
O quoties, cùm dico vale, cùm dulcia figo
Oſcula, me ſpinis implicat illa ſuis!
Implicat, & reditus primâ ſub luce paranti
Sæpè fuit tacitè dicere viſa: Mane.
Quòd ſi Luna nouum reparat iam tertia cornu,
Cùm gemis inuiſæ tædia longa moræ:
Altera fac redeat, fac tertia, & altera rurſum
Tertia, mille redux Luna det inde vices:

Vix fuerit lux vna mihi. Properantibus horis
Hos mihi crux animos deliciaſque facit.
Scis quid agam? me cura cauæ tenet æmula Lunæ:
Mutuor à Chriſto, ceu noua Luna, iubar.
Nam velut hæc, iuſtæ quoties perit orbita lucis,
Fraternis flammis obuia, plena redit:
Sic ego, diuino vacuum cui lumine pectus,
Lucis egens, Domini compleor igne mei.
Entheus hinc imos mihi diditur ardor in artus,
Largaque lux animo creſcit oborta meo.
Hærebamque cruci, clauis implexus amantis,
Cùm tibi diſcedens oſcula ſumma dedi.
Me lacer ipſe tuis Ieſus abſtraxit ab vlnis:
Nempe potens vinclum, quo raperemur, erat.
Hic erat, arcano qui tangens corda ſuſurro
Impulit haud gratâ dicere voce, Vale.
Et licet ipſa meis abeuntis inhæſeris vlnis,
Ille dedit ſtrictæ rumpere vincla manûs.
Limina dum ſonipes ad eburnea ſtaret in oſtro,
Ad Solymos longum mens ſibi finxit iter.
Aſtur ouans phaleris vbi fræna momordit & aurum,
Cor magis admordit ſenta corona meum.
Stellatis quoties pupugi calcaribus armos,
Lancea mî toties pungere viſa latus.
Et torto quoties inſtabam verbere, flagra
Occurrêre animo ſanguinolenta meo.
Puluereis ſi ſcripta lego veſtigia ſulcis,
Picta mei Domini ſanguine ſigna reor.
Hæc ego ſigna ſequor. Solyma eſt, quò tendimus, inquã,
Hanc meus ad metam currere geſtit equus.
Quid properare vetet? fulmen præuertor & auras:
Hoc pietas, hoc mens libera iuris habet.
Hîc mea pax, hîc tuta quies, hîc meta laboris,
Hîc vmbram, hîc placidum crux facit vna nemus.
Hîc ſedem fixiſſe iuuat, longumque morari,
Quà Domini lato vulnere pectus hiat.

Quærit

Quærit in vmbroſâ caua tecta lepuſculus herbâ,
Arguti quoties ſigna dedêre canes.
Quærit inaſpectum ſpinoſus hericius antrum,
Et ſeſe iaculis occulit ipſe ſuis.
Quærit inacceſſas imbellis dama latebras,
Dum timet excuſſâ ſpicula torta manu,
Et mihi, cui tantis obnoxia vita periclis,
Quæritur in Domini tuta latebra ſinu.
O latus! ô lato vulnus mucrone dehiſcens,
Sis ſedes animo perfugiumque meo.
Hîc mihi (namque patet) ſecura ſit ara ſalutis:
Vrar & hìc Domino victima grata meo.
Viuimus, & morti meus, ah! occumbit Ieſus,
Vita vale: par eſt cum moriente mori.
Impia ſi durâ mors cuſpide fixit Ieſum:
Me pietas: pietas hæc mihi cuſpis erit.
Huc ades acer Amor: ſed telum dextra coruſcet,
Quo fixa eſt Solymo vitaque morſque iugo.
Quoque latus Domini, latus hoc mucrone reſolue,
Miſtus vt hinc gemino ſanguine riuus eat.
Inde mihi plenis dimanant gaudia riuis:
Inde bibit pleno gutture noſtra ſitis.
Quò mihi Campanis manantia pocula prælis?
Gratior è Chriſti vena fluit latere.
Non ſi, quanta patet, Tethys deſpumet Iaccho,
Condiat ambroſijs & freta ſalſa fauis:
His ego contulerim guttam, quæ ſtillat ab illo
Pectore, diuinus quod patefecit amor.
O quæ deliciæ! dulci mens nectaris hauſtu
Naufraga mellitas abnatat in lacrymas.
Et ſitio, & ſatior, nec inexſaturabile pectus
Explet inexhauſtis fons opulentus aquis.
Euge ſacram, mea lux, mecum rimare ſcatebram,
Et iucunda crucis contegat vmbra duos.
Crux torus eſt: ſi virgo viro cum virgine nupta es,
Caſtus vtrique pij partus amoris erit.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

EPISTOLA VI.

ARGVMENTVM.

Eleſbaan Rex Aethiopum fortiſſimus iuxtà & ſanctiſſimus, oppugnat Dunaan Homeritarũ ſeu Sabæorum tyrannum, qui impius transfuga ab crucis vexillo ad Iudæorum caſtra defecerat: eumq; tandem haud ſine manifeſto Numinis auſpicio & auxilio, bello opprimit, tyrannidem exſcindit, iuſtáſque ab eo pœnas exigit, eámque Arabiæ partem Aethiopico adiungit imperio. Verùm, vti ſummis honoribus finitimum eſt faſtidium, vbi quis futile illud falſæ gloriæ choragium altiùs inſpexerit, aliò curas ſuas inflectit, & regni rebus ex animi ſui ſententiâ rite diſpoſitis, coronam ſuam mittit Ieroſolymam, ſacrum cruci anathema, ſeq; regno abdicans in altiſſimum montem ſe recipit, vbi quod vitæ fuit reliquum, animum à concretione corporis ſeuocans, puris liquidiſq;, quas è Numinis haurit contemplatione, perfunditur voluptatibus. Iam itaque Eubulo ſuo ſcribens illi denunciat, hactenus vti ſterilem Labruſcam ſeſe mundo implicitum inhaſiſſe, nunc autem vti vitem cruci inhærere, & inde omnes delicias & diuitias conſequi, quarum ſtudio cætera contemnit. Acta Aretæ Martyris, anno DXXII.

ELESBAAN EVBVLO SVO.

Illa tuis, nuper quæ littera venit ab oris,
  Littera diuinâ non niſi ſcripta manu,
Non oculos tantùm, non ſummas contigit aures:
  Tam pia vox imo corde repoſta ſedet.
Inde refert grates, fidique interpres amoris
  Exprimit has ad te miſſa tabella notas.

Scis

Scis vbinam Solymæ circum veſtigia turris
Clara Palæſtinos palma coronat agros?
Secretis hîc erro vijs, vbi plurima circùm
Sylua viret, votis haud aliena meis.
Hîc ego, complexu ſi me dignetur Ieſus,
Inijciam ſociæ brachia nexa cruci.
Huic vt adoptiuis vbi palmes inhæſero ramis,
Quæ cælo placeant munera digna feram.
Heu! ſat ego ſtirps vana ſteti, & ſine pondere ramus,
Dum fouit ſteriles æſtus & vnda comas.
Quid niſi degeneres ad inania præmia faſtus
Improba fluxarum cura propagat opum?
Erubui ſat fœta nothis labruſca racemis:
Nec pepulit noſtram preſſa labruſca ſitim.
Sic memini; meminiſſe dolet malè dulce venenum!
Triſtis adhuc crudas guſtus acerbat aquas.
Nunc vitis liquidis dimanat opima racemis,
Vnde ſuaue vomant ebria præla merum.
Nec ſatis eſt grato condire liquore palatum:
Procreat & magnas aurea vitis opes.
Nam mihi crux aurum, quouis illuſtrius auro,
Flos mihi bacca, rubens vua pyropus erit.
Aurea ſi denſis gemmat tibi Cyre ſmaragdis
Vitis, ad hanc vitem palmes inanis erit.
I nunc, & longis Aſiæ pete præmia bellis
Victor, Achemeniæ gloria prima domûs.
Quem tibi gemma dabit botro rutilante Lyæum?
Vnde oculos paſcis, non bibet inde ſitis.
I, lege gemmantes flauâ de vite racemos,
Mox erit, vt rubeant ſanguine Cyre tuo.
Nobilior Solymâ vindemia manat ab arâ,
Hîc fluit effuſo copia lauta mero.
Nimirum grauidus, grauidus ſed cælite botro,
Gemmat amor, ſed & hic dulcia muſta coquit.
Cumque putata fuit, fluxit de vulnere vitis
Lacryma, per Chriſti gemma voluta genas.

Qui bene ſic perijt, reperit ſine fraude ſalutem:
Si foris arma ſtrepant, pax ſedet alta domi.
Huic Phœbus placidas ſine nube recurrit in horas,
Aureus æternæ pacis vt annus eat.
Hîc tranquillus honos obſcuro floret in æuo,
Sed cui poſt obitum gloria ſera viret.
Hæc vbi ſic meditor Solymâ ſub rupe ſepultus,
Ab cruce me pupugit vox ita viſa loqui:
Macte poten s animi victor felicibus auſis,
Cui periturus honos, ni periiſſet, erat.
Nunc opus eſt animis, nunc altæ robore mentis:
Vade, age, quò ſuperis te via trita vocat.
Non vis vlla nouis abſterreat æmula cœptis,
Nec fraus illecebris auocet vlla ſuis.
Si nigra Tænarios glomerant ad ſigna dracones
Eumenis, & furuis turbidus Orcus equis:
Obuius infeſtis audentior ito periclis;
Crede, timent fortes ipſa pericla viros,
Quæ non Tænarides valeant exſcindere ferro,
Sancta Sionæo fige tropæa iugo.
Dixerat. hæſerunt admiſſæ pectore voces,
Et memini, magnus pectoris ardor erat.
Chriſte faue, dixi, non me ſpectabis iniquæ
Pacis ad imperium ponere tela manu.
Degenerem vis nulla malis me cedere coget,
Aut fraus delicijs franget amœna ſuis.
Quin & Auernales, crudelia monſtra, leones
Exiget in Stygias crux violenta feras.
Auxilium tuus ecce cliens implorat, Ieſu.
Quiſquis enim pugnat te duce, victor abit.
Sic ego: ſic ſolidæ conſtat ſententia menti,
Si modò fert dexter Numinis vſus opem.
Eia meis igitur concors applaude triumphis,
Quem ſtudium noſtræ grande ſalutis habet.
Iſta diu trepidas auertet epiſtola curas,
Te duce dum pulcrum carpo ſalutis iter.

Non vox vana crepat, nec inania murmura miſcens.
 Fraus ſtrepit: hæc ſignat conſcia cera fidem.
Ab cruce ſiquà fluat ſecuri copia gaudî,
 Ille tui fontis riuus alumnus erit.

EPISTOLA VII.

ARGVMENTVM.

Armentarius & Verinus nobiliſſimi ditiſſimiq; fratres nuptias ambiunt Ruſinæ & Secundæ nobiliſſimarum item ſororum ac virginum: quas illæ dum præ virginitate, quam Deo conſecrarant, fortiter reſpuunt, ac nihilominus variè à procis ſollicitantur, hiſce litteris Ruſina cum ſorore ad diuinum Amorem confugit. Ribadinera x. Iulij.

RVFINA DIVINO AMORI.

O Amor, ille pij qui pectoris igneus hoſpes,
 Et cui ſtat flammæ conſcia tæda meæ:
Quo ſine non viuo, viuum niſi fortè cadauer,
 Quàm mihi dulce, metum quo premor ægra, loqui!
Ecce tibi euoluam luctantes pectore curas.
 Vt potes, his curis ſuffice promptus opem.
Littera ſollicitat blandis malè ſuada querelis,
 Quæ ſedet intacto pectore clauſa, fidem.
Scilicet haud æquos rapit Armentarius ignes,
 Deque meis oculis flammea tela legit.
Flammea tela legit, queis cor ſibi ſauciat ægrum
 Cypris, & è fœdâ Cypride fœdus amor.
Inde parum gratam nuper quis neſcio pernox
 Ad citharam ſurdas conſtitit ante fores.
Appenditque breues multâ de nocte coronas,
 Quas rigat inſcriptis lacryma crebra notis.
Nec ſatis hoc: audace quatit mea limina virgâ:
 Muta ſed in quaſſo limine cura ſedet.

Rurſus

Rurſus vbi ſero redit Heſperis vmbra ſub aſtro,
Et biiugis Tethyn Cynthia luſtrat equis,
Ecce repentè procax, ſi non temerarius hoſpes,
Plaudit iô, & portis orgia ſpurca canit.
Mollia luteolo flauent veſtigia ſocco,
Puniceâque caput purpurat è violâ.
Lumina molle natant humenti marcida ſomno,
Et petulante vibrat ſpinea tæda manu.
Quem comitat Comus, titubanſque madenſque Lyæo,
Implicat in turbam ſe quoque multa nurus.
Hæc pompæ facies nocturnis dedita ludis,
Vt Venus expugnet, quem premo caſta, torum.
Pænè faces admouit Hymen, & poſtibus ignes
Affixit, duras laſſus obire fores.
Quin & obæratas certat perrumpere valuas,
Turba cupidinibus luxurioſa ſuis.
Adijcit & lacrymas: lacrymæ voluuntur inanes:
Excipe, quòd lacrymis naufraga tæda cadat.
Atque meum nomen valuis inſcribit eburnis:
Illinit & madidis oſcula denſa genis.
Viſa ſequi ſurdas tacito pede larua per vmbras,
Aucupe quæ lino nexile rete trahat.
Cui nitor in vultu, roſeo cui candor in oſtro,
Qualis habet Parijs cædua ſaxa iugis.
Cui placidus dentis, ſed non ſine vulnere, riſus,
Torua nec eſt triſti ruga ſupercilio.
Suſpicor, it Como comes inſidioſa Voluptas,
Vt cadat in turpes candida præda plagas.
Cui non illecebras, cui non malè dulce periclum,
Adſtruit in blandam fraus operoſa necem?
Hic ego quid faciam? trepidas præcludo feneſtras,
Et ſera ſollicitas firmat ahena fores.
Hæc inter cæli fragor intonat intempeſtus
Flexanimas citharas, noctiuagoſque choros.
Sidera viſa mori: crebris micat ignibus æther:
In chelyn, inque faces, ignea tela ruunt.

Et

Et quacumque rapit terrorque ardorque pericli,
 Diffugiunt trepidis anxia turba modis.
Eripiorque metu. ſic me ſibi ſeruat Ieſus,
 Votiuamque nouo ſancit amore fidem.
Sæpius ille meos animo præcepit amores,
 Sæpius & votis annuit ille meis.
Nec paſſus trepidare diu, quem claudo, pudorem;
 Hoſtica fulmineâ diſijcit arma manu.
Cerne, faces & tela iacent, truncæque pharetræ:
 Auolat & rapidis fluxa corolla Notis.
Iam pridem ſpolium Cyprijs Rufina laniſtis,
 Vindice nî dextrâ præpedijſſet, erat.
Quem ſenio ſeruat Ruffinæ caſta iuuentus,
 Dedicat hunc florem iam tibi Chriſte ſuum.
Grande pudor pretium viridi qui floret in æuo,
 Cælite digna toro eſt dos vbi ſpernit humum.
I nunc, quiſquis amas tenerum violare pudorem,
 Quò graue ſub Chriſto vindice fulmen emas.
Aſt ego de vario pubentes flore corollas
 Inde legam; flammas ſons Cypris vnde metat.
Sentio; de gelidâ quis neſcio mitior aurâ
 Halitus aſpirat ſaucia corda rogis.
Non his quos Cyprio niger educat igne Cupido,
 Sed quibus æternans ardeat ignis amor.
Nunc igitur ſeris pia vota quid implico ſæclis?
 Nec feruens propero, quod properaſſe iuuat?
Quiſquis hiat pictis flos oſcula odora labellis,
 Adſpice, virgineo geſtit ab vngue meti.
Vt quid Amor tardas pater, ô pulcherrime florum?
 Inuocat irriguas arbor & herba dapes.
Diſcute rorantes cæleſti nectare pennas:
 Omne ſitit pratum, te ſitit omnis ager.
Sentio, puniceis adlaberis aureus alis,
 Quoque praeis, ſequitur vernus ab imbre color.
Omnis humus culmum de pubere trudit ariſtâ,
 Omnis iô pictas induit arbor opes.

Omnis

Omnis iô læto pubeſcit vinea partu,
Omnis iô denſum curuat oliua caput.
Queis non in pratis tenero depingit in auro,
Ferrugo violas, purpura viua roſas?
Quin & vbi viridem ros lympha marita parentem
Imbuit, excuſſis quem pluit ala comis:
Lacte meroque fauoque fluit, fluit vbere riuus,
Riuus inexhauſtas promere natus opes.
Hæc mea ſors, fateor, quâ non felicior vllis
Regibus: hunc fructum crux mihi læta parit.
Immemori nequando ſacer de pectore fructus
Excidat, è dulci quem cruce gignat amor:
In docili violâ nota ſublinat atra dolorem,
Flos pius vt triſti diſcat ab imbre queri.
Ambit enim caſtum violæ flos caſtus amorem,
Pulcher vt è pulchro creſcat amore dolor.
Sed dolor ille, ſuo quem ſanguine paſcit Ieſus,
Vnde fluant animo gaudia pura meo.
Læta bibant nunc ergo meos violaria rores,
Lympida queis ſemper littera Chriſtus erit.
Et ferrugineis affundam floribus imbres,
Imbres, quos vitreis pupula rorat aquis.
Hinc argenteolis Rufina legêre lituris,
Innuba quo ſancto Virgo fruare toro.
Si flos puniceus Chriſti de nomine creſcit,
Creſcet & è noſtro nomine floris honos.
I procul hinc Aiax, procul hinc Hyacinthe, doloris
Nomen inane: piâ viuet amor violâ.
Et nunc funeſti modò littera mœſta doloris
A'i miſerum, felix ſtabit amoris *ai*.

EPI-

EPISTOLA VIII.

ARGVMENTVM.

Zvatoplucus Rex Morauiæ, qui Suatocopius dicitur Aeneæ Syluio in Hiſt.Bohem.cap.13. vbi ferro decernit cum hoſtibus, fuſus fugatúſque ſeſe præcipiti curſu in auia proripit, & abdit in ſolitudinem: vbi ſolitarij tuguriolum ſubit ignotus & anxius hoſpes. Hic vbi iam fame ſitiq; enectus, & fugâ fractus, tenues olerum & aqua delicias deguſtarat, abdicat ſe regno, & parco duroq; victu, quod vitæ reliquum, tranſigit, eâ animi iucunditate, & ijs à Deo illecebris, vt illas vix capere poſſint Regij pectoris anguſtiæ. Æneas ſylu.

ZVATOPLVCVS MVNDO VALEDICIT.

Mvnde petis, victrix quas exarat haſta, tabellas,
Et viridi laurus cingit amœna comâ.
Hæc equidem volui felicis mittere famæ
Nuncia, de palmis ambitioſa meis.
Pendula ſed dubijs quæ ſæpè ſubhæſerat alis,
Spes in ſanguineos excidit ima lacus.
Iam noſtro videas ſpumantem ſanguine Multam:
Decolor atratis ingemit Albis aquis.
Si mea ſors vario ſe mutat vt alea caſu,
Mutat & affectus mens benè docta ſuos.
Hoſtica quà Morauas inſultant caſtra ruinas,
Inſulto ſolium, perfide munde, tuum.
Alter enim rapit alterius me ſplendor honoris:
Ambitus hic omnes pauper abhorret opes.
Iam noua lux vitæ ſecuro naſcitur aſtro,
Alta ſub obſcurâ quam ſpecus abdit humo.

Cerne,

Cerne, verecundas rimor per opaca latebras
  Victus, vbi cæcâ ſupprimo rupe caput:
Haud ſecùs ac ceruus frondoſis intremit vlmis,
  Cornea cui nudæ gloria frontis abeſt.
Grande fugæ pretium, felix iniuria Martis:
  Nam fuga non æquo fit mihi Marte ſalus.
Felici qui clade ſuum ſic ſubruit hoſtem,
  Hic belli ſocius, durus an hoſtis erat?
Hoſpes erat. dubitas? me neſcius euocat aulâ,
  Inuitatque nouo quærere fercla toro.
Datque, nouâ dape dulcè fruar conuiua Tonantis,
  Cui ſtruitur curto regia cœna ſpecu.
Quas hìc delicias! quæ præmia digna coronis!
  Quàm liquidos Soles! quàm ſine felle fauos!
Eloquar, ô felix, de cælite gaudia palmâ.
  I procul, i puris turba profana ſacris.
Fallaci ſolio nunc ſecubo regius exſul,
  Hic, vbi ſcrupoſo tuta ſtat aula ſolo.
Crœſe, ſopor ſurdo ſi te pretioſus in auro
  Occupat, & felix diuite nocte timor:
Curarum domitor mollis mihi ſomnus in herbâ
  Otia ſecuro fallit amica toro.
Quin & diues-inops paupertas vbere cœnâ
  Affluit, anguſto cui viret herba toro.
Æmula vel Medis hìc certet beta popinis;
  Nempe olus ambroſias hìc ſapit omne dapes.
Viderit hæc aliquis ſtans fortè crepidine rupis,
  Quæret: In hoc nihilo ſunt tibi Regis opes?
Et dicet, Moraui tu qui modò gloria ſceptri,
  Dic, vbinam ſolio principe diues ebur?
Dic, vbi de Phrygijs operoſa lacinia limbis?
  Et toga de Tyrijs ambitioſa cadis?
Neſcio quis pulchris ſic improbus obſtrepet auſis,
  Mens cui ſub bruto pectore læua ſtupet.
Exſecror ardentes fuluo de lumine gemmas,
  Et queis erubuit purpura tincta probris.

Non ego commutem micam ſqualentis arenæ
Baccarum modio diuite, ſiue Tago.
Nolo ſequi vanas, gemmata pericla, coronas.
Me noua, ſed paruo ſub lare regna beant.
Hîc placidis ſecura quies indormit ariſtis:
Incubat auratos pallida cura toros.
Si grauido Pluti gremio non affluit imber
Aureus, aut gemmis diſcolor ardet ebur:
Vber inexhauſtâ nec copia pullulat arcâ:
Nil moror in nihilo paupere diues opes.
Vnde ſitim pleno ceu fons ſatur impleat alueo,
Quæ de rore cadit cælite gutta, ſat eſt.
Si te gemma tenet rubro maculata Lyæo,
Me iuuat in liquido lympida concha lacu.
Tubera rade ſolo, ſimul oſtrea quære Peloro:
Me rubra teſta, breuis cui viret herba, beat.
Quique ſali parcoque impallet caulis oliuo,
Hic mihi plus omni copia lauta garo eſt.
Milleno boue Lydus aret ſua regna colonus,
Me tenet in paucâ pauper agellus humo.
Ipſe legam largas auguſto fœnore meſſes,
Ipſe meas ſegetes, quod meto, deinde feram.
Ipſe legam grauidos cæleſti vite liquores,
Ebria quos vuis pocula nulla vomunt.
Lumina non inhiant hîc marmor auara, nec aurum,
Quodque ſuperba nitens limina veſtit ebur.
Hîc caſa de culmo, thalamus de paupere fœno,
Faginus hîc crater, hîc mea lympha, merum eſt.
Hîc puræ ſine voce preces, quas trudit anhelo
Corde dolor, muto doctus in imbre loqui.
Flexanimis lacrymis faciles hîc Numinis aures
Tango: natat purâ cura ſalubris aquâ.
Hîc cor de facili biuios diuertit in amnes,
In liquidas oculus manat vtrimque vias.
Nec minus apta ſtylo quid neſcio dextera Diuis
Scripturit: at neſcit quid ſibi dictet amor.

Scri-

Scribere qui poſſim ſuadas reus ipſe querelas,
Mens cui defecto pectore rapta ſilet?
Scribo tamen: victo vox ſi fugit ægra palato,
Hæret adhuc alto pectore fixus amor:
Quo duce figo ſtylū, qui, queis premor, exprimat æſtus;
Vnde meo diſcas abdita ſenſa ſinu.
Fit cor cera rubens, cui mollior intepet ignis,
Littera fit pluuijs fuſa litura genis.
Prona per ora cadens in pectus defluit imber,
Qui bibulas ſerpit cordis in vſque fibras.
Quid ſcribam rogitas? humiles mens ardua faſtus
Deſpicit, & fluxâ ſceptra regenda manu.
Deſpicit & ſolium, curruſque eiurat eburnos,
Queis ſedet in Tyriâ pallida cura togâ.
Abdicat & virides fragili ſub fronde triumphos,
Quos regit ad vitreas ſors maleſida rotas.
Denique de luteâ quid neſcio fictile glebâ
Calcat in ætherias ſpes abitura plagas:
Cui de nectareo Crater vouet aſtriger imbri,
Mens quibus æternùm perfluat, illecebras.
En quas ſuſtinuit lituo frondente coronas
Fama vetus, preſſis ter ſubigo pedibus:
Et tandem ſummis quæ vox ſedet vltima labris,
Quo ſine dulce mori eſt, perfide munde vale:
Vix vbi ſcribo vale, ſuperis delapſus ab oris
Dius amor, ſubitò dulce reponit Aue:
Prætexitque manu ramum pubentis oliuæ,
Cui pluit è glaucis roſcida gutta comis.
Ille virens, inquit, modico qui ſtillat oliuo
Termes, agit plagis munera grata tuis.
Improba ſi duræ cruciant te vulnera ſortis,
Hac tibi felici clade ſtat empta ſalus.
Crede mihi, vincis tali dum vincere caſu,
Gloria cui ſerum fœnerat aucta decus.
Scilicet immenſum modico pro puluere regnum
Ambit inops, terris quem iuuat aſtra ſequi.

EPISTOLA IX.

ARGVMENTVM.

THeodoſius audit Circenſi in ludo motam Theſſalonicæ ſeditionem. Vnde improbo Rufini conſilio plus æquo in vindictæ dolorem exardeſcit, & calido imperio, eoq́ſ ſeuero iubet populum dari internecioni, quo è populo cæſa ad ſeptem millia. Prô Neroniana ſub Chriſtiano principe tempora! In quem Ambroſius ſuæ eloquentiæ euibrat fulmina, quibus omnes odij & irarum faces extinguit. Nec ſolùm extinguit, verùm lacrymas pœnitentiæ indices elicit. Vnde dolor, qui imis Theodoſij defixus hæret medullis, has ad eum litteras exprimit, deteſtatus ſuam in Theſſalonicenſes ſæuitiam.

THEODOSIVS AMBROSIO EPISCOPO.

HEu! vix tango ſtylum, primis en illita guttis
Erubuit crimen conſcia cera meum.
Seque verecundum nigra ſepia vertit in imbrem,
Inque mei minium triſte pudoris abit.
Seu potius (quid non vertit mens verſa piaclo?)
Quæ niger ante liquor, ſepia facta cruor.
Nempe cruor dirâ fuſus de cæde clientûm,
Guttanti ſiti quem ſtylus enſe bibit.
Vt memini, trepido triſtem mihi ſubijcit ignem
Ore rubor, triſti creſcit ab igne dolor.
Quid ſperem, metuámue? biceps me diſtrahit angor.
Teſtis in infidum detonat æthra caput.
Attamen immitem ſpes mollior excipit iram,
Et leuat, alliſit quem Metanœa ſolo.
Diſcit ab exemplo, qui nunc reus accubat aris,
Quas ſibi placandus ſpondeat vltor opes.

An

An non, cui rapidis torrens ceu ſpumeus vndis
Decurrit Solymâ plurimus arce cruor;
Reddidit infauſto Babylon ſua ſceptra Manaſſæ,
Vt merſit lacrymis fulmina fracta ſuis?
Talis Ieſſeïdes, cædes quem dira clientis
Vſſit, & hoſtili damna tot hauſta manu:
An non exſulium, crepeřique pericula belli
Mutauit ſolio principe tuta ſalus?
Sic mihi, cui trepidis perſtat fiducia rebus,
Quam pia promittit ſpes rata, promet opem.
Quamlibet infandis terram ſcelus occupet auſis,
Spem pacis ſceleri mitior æthra vouet.
Sic ego: ſed contrà facinus memor hoſtis Erinnys
Arguit haud vllis inficianda modis.
Eumenis infeſto nam ſæua recurſat Auerno,
Cui ſtant anguiferâ torta flagella manu.
Monſtriferū ſpeculumque facemque obiectat, & inquit:
Tot ſcelerum monſtris vnus es ille, caput.
Quæ veniæ ſpes vlla ſuper? circumſpice terram
Ætheraque: hic iras obijcit, illa neces.
In varias animum verſa nunc improbe partes:
Quâ tibi ſpes ſpondet parte ſerena diem?
Quâ molles aditus tentes ad Numinis aures,
Pars cui nulla tui crimine pura vacat?
Anne manu plangas? queis non manus obſita noxis?
Quod non in facinus dextra ſiniſtra ruit?
Molle genu frangas verrens in puluere crines?
Quis non, quæſo, genu ſedit vtroque furor?
Anne pios imo promas de corde dolores?
Cor cui fons ſcelerum ſanguinolentus ijt?
Denique flens totum ſubſternas corpus ad aras:
Mille ſuper toto corpore probra ſedent.
Prô crudele ſcelus! princeps tu gloria Romæ,
Chriſtiadumque ratis quo regererur, eras?
Victor eras: vicit te cædis auara cupido.
Cæſar eras: ciues Cæſaris arma premunt,

Purus eras: quo non violas iam crimine famam?
Mitis eras? vicit ſæuior ira tigres.
Audin' talis eras? quoties id mente reuolues,
Et toties ægro pectore vulnus erit.
Nempe minace manu tibi quos intento chelydros;
Hiſce cor in duras diſcruciabo faces.
Dixit; & horrificos intorſit in ora ceraſtas,
Qui laniant ſæuis turbida corda modis.
Transfuditque virens ambuſta per oſſa venenum:
Crudelis populat triſtis echidna ſinum.
An querar? an ſileam? geminis mens voluitur vndis?
Culpa queri ſuadet; probra ſilere, pudor.
Nulla ſed elingui ſat vox erit apta dolori.
Vincit eam culpæ noxa luenda meæ.
Sed quâ parte querar? dolor omnia, & omnia terror.
Pars quotacumque mei quid niſi crimen alit?
Os pandam? graue funeſto ſonat ira piaclo.
An plangam? temerant tela cruenta manum.
Cor imis num mœſta trahet ſuſpiria fibris?
Quæ non fibra nigro felle venena bibit?
Quos in vota vocem Diuos? quæ ſidera teſtes?
Vota negant Diui; ſidera ferre fidem.
Mollia quî fandi ſupplex iam tempora quæram,
Durior Aemoniâ mens cui rupe ſtetit?
Cedrus vt alternis labat hinc, labat inde procellis:
Sic mihi mens dubio fluctuat icta metu.
Eloquar? horribili monſtrum furiale periclo
Inſequitur, rapidoque implicat vngue pedes.
Quid ſequar infelix? gelat artubus ilico ſanguis;
Algidus ora pauor ſuccutit; oſſa tremor.
Audio terrificos ſonitus, tractuſque catenarum
Horribiles, diræque omina ſæua necis.
Ecce minace rapax (heu me!) me bellua hiatu
Occupat, horrendis bellua torua minis.
Fax cui viuaces paſcit de ſanguine flammas,
Paſcit & heu lacrymis Theſſalonica ſuis.

Spicula quin etiam mors illacrymabile monſtrum
In caput intentat ſanguinolenta meum.
Clamitat heu! ſanguis, cæleſteſque euocat ignes:
Clamitat heu! terras clamor & aſtra ferit.
Terra parens ſi virgo rei de labe cruoris
Vnius ad mortem ſaucia viſa queri eſt:
Quas tot ab immenſo cæſorum flumine torrens
Mater inulta, putas, vndat in aſtra preces?
Ardentes ſed in arma preces, queis vindice cælo
Expetit in nocuum fulmina iuſta caput.
Et radios ſol in linguas procudit ahenas,
Arguat vt dirum conſcia & æthra nefas.
Quis non Theſſalidûm rubuit de cædibus amnis
Teſte ſalo? quæ non ſtagna bibêre ſcelus?
O ſi fas fuerit manes excire ſepulcris,
Quos dedit inuiſæ ſica cruenta neci!
O quibus officijs crudi vis ſæua doloris,
Qualibus & donis buſta redempta forent!
Sed iacet, heu! clauſo ſpes irrediuiua ſepulcro:
Mors adamantæis ſignat auara feris.
O caput infelix tanto Rufine furori,
Cui parit Eumenidum fax ſcelerata facem!
Cur tibi non ſæuam Themis exſcidit obuia linguam,
Quæ fuit exitio ſuada miniſtra meo?
Credidimus blandis nos credula turba ſuſurris;
Sed ſuberat blando vipera cæca ſinu.
Noſco dolum: ſed ſera doli iam crimina torquent;
Et graue credulitas criminis inſtar habet.
Cur adeò mens vana leues diludit ad auras,
Error vt impellat, quò Themis ire vetat?
Vt ſcelus expugnet iuſtis Metanœa piaclis;
Vota dabo noxis non aliena meis.
Quid voueam quæris? poſco quid triſte Tonantem,
Vnde noui ſpecimen grande doloris eat.
Nolo breui ſiquidem claudat cor carcere coſtæ:
Libera quæro leuem laxet habena fugam.

Exſul vt effræni cor impete peruolet orbem,
Et petat è Latiò Theſſala regna mari.
Hîc ego ritè pijs dabo iuſta piacula ſupplex
Manibus, haud æquo quos tulit enſe furor.
Omnibus Æmonidûm cor oſcula carpet ab vrnis,
Omnibus & triſtes oſſibus addet aquas.
Quin & balſamino cineres perfundet oliuo,
Viuus vt excludat funebre virus odor.
Nî ſatis hoc; pectus ſeſe diſtendat in orbem,
Quod premit anguſto coſta maligna ſpecu,
Ampla Pelethronijs cor viuat vt vrna fauillis,
Mille capace memor claudat & oſſa ſinu:
Securoque meum pectus conſeruet aſylo
Æmonioſque viros, Æmonidaſque nurus,
Vt quibus eripui iucundæ pignora vitæ,
Cæſareus mortis præmia reddat honos.
Vana ſed in ſteriles quid vota retexo querelas?
Dona peto, ſolidam ſpes quibus addat opem.
Quadrifidâ Ieſus quos tendit in arbore neruos
Opto ſtruat cordi fila ſuſurra meo.
Inque vicem hoc corpus, quos oſſibus adſtruit artus,
Exprimat in triſtes iam Metanœa lyras.
Totus ego lyra viua darem tunc mille ſonores:
Oſſa forent viuæ plectra canora lyræ.
Theſſalis innumeras ſi plangit Diua querelas,
Vnus & innumeras ipſe ſonabo preces.
Quidquid id eſt, Cæſar reus omnibus expiat aris,
Quod peperit ferro Cæſaris ira ſcelus.

EPISTOLA X.

ARGVMENTVM.

Pelagia claris imaginibus domi nobilis, haud ita moribus in vulgus, elegantiore cultu, & oculorum illecebris,

bris, ne quid dicam de odorum delicijs, omnium animos & ſuſpiria, quacumq; incedit, trahit: & in primis mouet Nonnum Edeſſenum, ſed alio prorſus ſenſu. Non enim inde amoris lenocinium, ſed doloris tormentum exprimit. Nimirum ingemuit vir ſanctus tantum laboris & induſtriæ inani corporis vmbræ impendi; animam interim negligi, imò in orcum abripi. Vnde ſuam acriter deſidiam arguit, qui tam parum ſtudij animæ ſuæ ornamentis comparandis adhibeat. Inde hoc incitatus ſtimulo eò & ipſam Pelagiam impellit, vt omne fragile illud mundi muliebris choragium abdicet, ſeq; vni animæ cæleſtibus gemmis exornandæ penitùs addicat. Hanc vbi ſacro lauacro Nonnus expiat, viſa atra columba fontem circumuolitare, quæ vbi ſeſe illi immerſerat, niue purior inde euolat, mutatæ in melius vitæ indicium. Inde enim vt altera Magdalena Hieroſolymis vitam egit Chriſtianâ & religioſâ caſtimoniâ dignam. Menolog. Græcor. Niceph. lib. 14. cap. 40.

NONNVS PELAGIÆ.

PIngo, dolor falſo quas imbuit imbre, tabellas;
 Sed pius & dulci melle remiſcet amor.
Nempe tui miſeret, felix quam copia rerum
 Impulit infelix ire doloris iter.
Cypris enim placido ſimul ac tulit oſcula vultu,
 Hæſit in amplexu cæca catena tuo.
Detinuitque leui captiuum compede pectus,
 Bella parans blandis inſidioſa minis.
Nempe venenato (num quis fallacior error?)
 Melle ſuos condit trux Cytherea fauos.
Pontica ſic violant dulces abſinthia ſuccos,
 Vnde ſuaue legit perfida virus apis;

Hinc varios animus transformis aberrat in vſus,
Circæiſque nouat pectora bruta dolis.
Hinc alios aliosque iubet variare paratus
Luxus, & immenſas prodigus haurit opes.
Protinus vt vidi, cœpi neſcire quid anceps
Eloquar, an Nympham, te Cyprin ánnevocem?
Aut quid alas monſtri? facies cui blanda puellæ;
Fœda ſed hoſtili corde Megęra ſedet.
Ludis enim ſæuos iucunda in vulnera ludos,
Sed fera diſſimulat toxica blandus odor.
Scilicet Indus odor cor vrit olente mephiti,
Et mihi cum calthâ putet odora roſa.
Heu! oculos pungit, tacitoque cor vlcerat ictu
Mæonis ipſa, ſtolam quæ tibi pingit, acus.
Vidi ego, quod Tyriam pallam diſcriminat, aurum;
Vidi ego de gemmâ Perſide ſtare togas.
Vidi ego, criſpanti queis fimbria ludit in auro,
Aſſyrio cirros demaduiſſe croco.
Has rebar tenues noxæ ſine pondere nugas;
Sed nimium pondus perfida noxa trahit.
Cultus enim iuſto qui mundior occupat artus,
Inquinat immundo ſqualidâ corda luto.
Ah! pereat Tyrio toga quæ rubet vncta veneno;
Infuſcat niueum purpura pulchra latus.
Ah! pereant, oculi pretioſa pericula, gemmæ,
Nec rea pręſtinguat lumina vanus onyx.
Ah! pereat, liquidâ coma quæ madet ebria myrrhâ,
Quæque vibrant tortis cornua nexa comis.
Spinea mors roſeis intexit tela corollis,
Queis ſuauis tacitum virus inhalat odor.
Vt vidi, ingemui, quæ floret amœna ſmaragdis,
Floret in opprobrium lux pretioſa tuum.
At tua formoſo ſpeculo ceu conſulis ora,
Sic animo ſpeculum tu modò facta meo es.
Sed ſpeculum, non quale tuis obludit ocellis;
Atra ſed vnde nefas increpat vmbra meum.

De-

Degenereſque ſacræ purâ ſub luce tiaræ
  Arguis ô mores, culta puella, meos.
Te ſimul ac noui, quid non ſim, noſcere cœpi,
  Erudior ſtudijs Nympha venuſta tuis.
Debueram puris decus addere concolor aris;
  Dedecoro fœdis candida ſacra probris.
Ipſa tuis oculis tenero dare vulnera cordi
  Quæris, & hinc ambit luxus auarus opes.
Huc omnis labor, huc ſtudium coit omne iuuentæ,
  Vt pereas damnis ambitioſa tuis.
Aſt ego, fida meæ quæ ſint tutela ſenectæ
  Munia longæuâ negligo deſidiâ.
Sedula tu vanos cultus meditare labore:
  Aſt ego, duco graui languida cœpta morâ.
Vt pereas, quantis moliris peruigil horis!
  At malè ne peream, me ſopor altus habet.
Queis coëmas orcum, gemmas impendis & aurum;
  Vix ego ſed tenui flens ſtipe Numen emo.
Arguit in vanas induſtria prodiga curas,
  Otia, & infames, quas traho iuge, moras.
Vecordes animos! tantíne perire ſalutem eſt,
  Vt tot opes emptâ perdere morte velis?
Quid? quòd odorato crinis madet vnctus oliuo,
  Acrius arſuros paſcat vt igne rogos?
Nè precor è vitreis tanti ſit gloria gemmis,
  Prodiga cæleſtes vt tibi perdat opes.
Quid ſtola Mæonio prodeſt circumdata limbo?
  Quæque tuis ardet fulua corona comis?
Si quæ Sidoniâ corpus tegit inſtita byſſo,
  Plus retegit cordis putida probra tui.
Quid memorem moneo? memor & me cura remordet.
  Inſpuo, cerne, meum iam ter & ipſe ſinum.
Nonne vides ambos de fraude ſed impare ſontes?
  Pelagiam & Nonnum noxa bis vna tenet.
Nunc pudor ibit, item dolor: ibit vtrimque, ſed ibit
  Diſcolor: hic ater; ſed ruber ille gemet.

Pulla tibi ſtultos Metanœa retexat amores:
At mihi languoris ſit nota mœſta rubor.
Me duce nunc igitur, via quà vocat ardua cælo,
Fige licet tutum pulchra per auſa gradum.
Si quæris, volucrem noua quæ trahat area currum,
Quæ via, ſiue viæ meta, vel vnde fuga?
Nequitiæ caput eia Cyprin Cypridiſque labores
Mitte, parum caſtus quos malè turpat honor.
Quid paris indecorem fragili de flore decorem,
Vnde trahas vitæ ſeria damna tuæ?
Opprobriumque tui ſpoliumque infame pudoris
Differat obſcænis fama per ora modis?
An tibi vis narrem ſtolidum, quem videro, ludum?
Tam ſtolidus ludus, ſed miſer error erat.
Veráne res fuerit, vel imago ſimillima vero,
Eſt, vt ego dubitem: res, puto, vera fuit.
Nuper ego pertuſa ſecans fòrs compita Edeſſæ,
Deprendi fatuam, frons cui fuſca, nurum.
Stare, vel ire velim, dubito: ſed comprimo greſſum.
Fòrs erit erudiam, cura quod æqua iubet.
Sub laceris pannis immiti ſaucia Phœbo
Vritur, aprico, ceu nigra Maura, ſolo.
Vitta, mitella, monile, peplum, cum ſindone zona
Ante pedes atro puluere ſparſa iacent.
Et circa latus vmbra nigrum proſerpit in orbem,
Quæ nitidi fuſcat nobile ſolis iter.
Quid verò? poſito tum bruta puella paratu
Ludit, & inſanis luditur ipſa modis.
Nempe nigram (quantus furor occupat?) expolit vmbrã,
Et ſpolijs ornat non benè ſana ſuis.
Ridiculum ludit cultu de diuite ludum.
Quàm colit ars vmbram, tam fugit vmbra coli.
Cerne, Cytheriaco caſtigat pectine cirros,
Deducitque comas ſectile dentis ebur.
Grande monile, vides, appendix aurea collo
Errat, & in pictâ larua ſtat atra ſtolâ.

Quin

Quin & purpureo ſola mulleus induit oſtro,
Denique gemmatus tota fit vmbra decor.
Sic vbi neſciò quid nigrum nurus excolit auro,
Exurit miſerum Siria flamma caput.
Purpureumque oris ſol turpat iniquus honorem,
Torridaque infeſtus decoquit oſſa vapor.
Plurimus inde liquor calidos prorumpit in artus.
Belidis hîc vrnæ currere reris aquas.
Et tamen infelix placidis arridet ocellis,
Irritaque vmbroſo ſuauia ab ore rapit:
Contemplatur item fuluo radiata metallo
Pectora, & inſtabilis quod tenet vmbra, decus.
Vt vidi ſteriles, nulloque in pondere curas,
Defleui fatuæ futile mentis opus.
Riſerunt comites tam degener admirantes
Obſequium formæ, larua quòd atra fugit.
Nemo non ſtolidam iuſtis defigere probris:
Tuque adeò triſtem, ſi lubet, adde notam.
Vt quid enim brutam comit, polit, excolit vmbram?
Culta nimis cæcas exprobrat vmbra manus.
Dic, Vacuam, demens ſoror, ô ne come figuram,
Cui ſine flore decor, cui ſine mente caput.
Ecquid ad hæc cenſes? vin' rhonchos, ſibila, ſannas
Ferre? velis, nolis, ocyma fœda feres.
Crede mihi hæc de te narratur fabula cælo,
Pelagia in terris ſic vbi culta nites.
Ecquid enim corpus, mentis niſi futilis vmbra?
Mens tamen in culto corpore nuda iacet.
Heu! animæ piget aſſiduas aduertere curas,
Vnde tibi vitæ vena perennis eat?
Omnis at informi labor impendendus honori eſt
Corporis, vna breui quod rapit hora die.
Stulta quid immundo tibi quæris crimine mundum,
Et grandi pretio grande licere probrum?
Ergon' ab immenſis referes hæc præmia curis?
Carius vt pereas, prodiga fundis opes?

Mitte

Mitte leues curas, fragilique in puluere currus,
  Quos regit incertâ leno Cupido manu.
Ex alijs alios ſed prouida dirige curſus,
  Iamque redi, numquam ſera redire ſalus.
Vidiſti reuolare Syras ad tecta columbas?
  I comes æqua: polo ſi lubet ire, licet.
Nolo ſed Idalio ludas malè nupta columbo,
  Malo, Palæſtino fonte columba gemas.
Accipe dicta memor: vigil en tibi ſomnia narro;
  Somnia, ſed veri quæ graue pondus habent,
Somnia, quæ veros mentiri docta dolores,
  Somnia purpureum ducere læta diem.
Luna leui curru medium, nunc hauſerat orbem,
  Cùm varium pernox ſomnus adumbrat opus:
Ecce repens atris fontem circumuolat alis
  Coruus, & illimes ardet anhelus aquas.
Vtque ſititor hians vitreas ſatur ebibit vndas,
  Induit in puras ſe nigra penna niues.
Nec mage cras ater cras lugubre concinit oſcen,
  Sed gemit in niueis caſta columba comis.
Hæc equidem vidi; mihi Cynthia teſtis & æther,
  Qui mihi tot teſtes, quot gerit aſtra, dedit.
Anxia ſi dubijs hac illac voluere curis,
  Quid ſibi fons Syrius, quidue columba velit?
Auguror: attigeris nitidi ſacra balnea fontis,
  E piceo coruo pura renabis auis.
Idque, vbi caſta ſago mutâris paupere mundum,
  Mundum, qui Tyrias ardet auarus opes.
Vt quid enim vano color ardet adulter in oſtro?
  Et micat aureolis gemmea vitta comis?
Decolor indecorem luxus cui ſplendet in vſum,
  Damna ſibi famæ purpura diues emit.
Parua queror: nigræ mala qui queror omina famæ,
  Famæ criminibus te mage noxa grauat.
Excludit phaleras & turgida pectora faſtu,
  Quæ nimis arcta domo cælite porta patet.

Nec capit hæc tumidis ſpatioſa volumina limbis,
Quæque trahunt longas ſerica fluxa ſtolas.
Turpe nigro Ditis pendebunt limine donum,
Aurea quæ collo diuite vincla geris.
Et domus atra tuas gemmas exſpectat & aurum;
Vertat vt in cineres orcus inane decus.
Numquid & vltrices poſuere cubilia Diræ
Hoc thalamo, formam quo tibi cæca polis?
Eumenideſque vlulant murmur ferale per vmbras,
Quâ præit ad citharam Cypris amœna choros?
Ora Meduſæis videas horrere ceraſtis
Tiſiphonæ, gremio quæ ſedet atra tuo.
Quid loquar, è cælo vindex quas aggerat iras,
Tot ſua dona tuas ſic vbi perdis opes?
Funeſtam nunc fortè repens mors concutit vrnam;
Et tu ſub Tyriâ ludis amœna ſtolâ?
Excute moroſi tot inania pondera luxus,
Qui furuos animas deprimit vſque lacus.
Quin potiùs rapidis benè pendula nitere pennis,
Lactea ſidereum quà via ſignat iter:
Iam volita turres ſuper & iuga ſumma Niphatis,
Dedignata humili radere calce ſolum.
Et tandem paribus felix adlabere remis,
Quà ſuperâ Ieſus explicat arce ſinum.
Euge columba tuo felix denube columbo,
Ore gerens niueas ſed magis alba roſas.
Has quo ſigno notas, memor inſpice, quæſo, ſigillum,
Iſtud imago tui caſta columba notat.
His votum ſubſcribo (pio Deus annue voto)
Pelagiæ Nonnus dulce reponit Aue;
Seu potiùs ſalue: ſed quale ſpopondit Ieſus,
Quo ſine ſub multâ nulla ſalute ſalus.

EPI-

EPISTOLA XL.

ARGVMENTVM.

N*Vnciat ſe Nonni litteris impulſam in mundi odium, & vitæ emendationem.* Iacobus Diaconus in eius vitâ.

PELAGIA NONNO.

MAius opus nunc auſa, nouiq; magiſtra laboris
 Deſino iam Cypridis ſorte minore regi.
Iamque aliò volucres rapit orbis & orbita currus,
 Quà ſacer inuicti pectoris ardor agit.
Plus ſatis inceſtos luſi per compita ludos:
 Sat docui dirâ ludere fraude viros.
Te duce iam didici pulchri pia verba pudoris,
 Nec minùs his verbis facta pudica ſequi.
Nam ſimul ac Syrijs huc appulit aduena regnis
 Littera, cæleſtes littera docta notas:
Me pia ſidereis mors induit ilicò telis.
 Hinc in Pelagiâ pars propè nulla fui.
Ex alijs alios mens induit altera ſenſus:
 Ipſe tuos mores quâ regis arte, regam.
Si Metanœa ſuis te figit acerba ſagittis,
 Et mihi qui figat cor, ſacer arcus erit.
Nec deerit medico cordis de vulnere ſanguis,
 Et lacrymæ cordis ſanguine mille fluent:
Vt prius in decorem fuco de pellice formam
 Candidus illimi diluat imbre pudor.
Ergo peroſa nigram formoſi corporis vmbram
 Nunc animæ quæret nobile cura decus.
Quanta fui, iuſto ſum tota tabella pudori,
 Viua tabella, nefas docta rubore loqui.
Luctificis alij narrent ſua probra lituris:
 Fons mutus lacrymis malo perenne queri.
Lothis vt aſſiduos flendo diſtillat in imbres:
 Lothide plus omni flebilis ibo liquor.

Nempe

Nempe Syris Niobe nunc liquitur altera campis.
Viuit aquans lacrymis: cetera mortis habet.
Ecce dolor liquidum, ceu fons qui currit in orbem,
Fluxa reuoluendis fræna relaxat aquis.
Quâque per ora ruit denſo ſatur agmine riuus,
Deterit è pictis perfida philtra genis.
Iam color exſanguis ficti decus arguit oris,
Cui ſtetit è fluxis purpura vana roſis.
Sic quæ mundicies niueo nitet improba fuco,
Exit in immundum nix vt aquoſa lutum.
Altera Pelagiæ facies iam ſurgit, & ætas
Altera, cui puro floreat ore pudor.
Inque nouâ ſpeculum iam quæret imagine vultum
Pelagiæ; ſpeculi ſi tamen vſus erit.
Seque gemet falli mendax cryſtallus ab atro
Puluere, & è rugis quas mihi fletus arat.
Talis erat, modò tota probrum, modò tota venuſtas,
Quæ ſcelus erubuit Magdalis ægra ſuum.
Et mihi dux pulchris prælucet Magdala cœptis,
Magdalin in Pelagin vertat vt æquus amor.
Si nardus mihi nulla, pedes quæ tingat Ieſu;
Pro nardo lacrymæ, quas bibat æthra, fluent.
Talis erat Pharijs nuper laus prima choreis,
Poſtea deſertis ſqualida larua plagis:
Quæ ſimul ac calidis expunxit crimina lymphis,
Candida de nigrâ Thaide Thais abit.
Nempe nouum niueo Thais trahit imbre decorem,
Cùm vetus impuro pectore noxa fugit.
Sic vtinam caſtus caput hoc mihi diluat imber!
Heu! nimiùm ſerò, ſed pia vota moror.
Nempe in Acidalio me linea ſumma theatro
Detinet: hinc præceps in mea buſta feror.
Quàm propè me pronum deuolvit itura ſub orcum,
Quæ ludit Stygijs ſepta chorea feris?
Horreſco referens diri diſcrimina leti:
Hæret adhuc toto frigidus ore liquor.

Hoc

Hoc memini te, Nonne parens, aperire periclum;
Dum ruerem rapidis in Stygis ima rotis.
Sulphureos digito monſtrabas indice fontes,
Ignea queis piceis æſtuat vnda vadis.
Sunt aliquid manes, nec mors iacet vltima rerum
Linea : finis adhuc alter & alter erit.
Et Stygijs me munde iubes illudere flammis;
Ceu Stygiæ flammæ fabula vana forent?
Haud mihi ſit tanti fata flore fugace voluptas,
Vt dein æternos cogar inire rogos.
Nunc igitur, melior cui mens, me diſce magiſtrâ
Tandem vera loqui, qui niſi vana doces.
Audiat hoc æther; ſimul imus & audiat orbis:
Terra vale, ſuperis aduoco fræna plagis.
Vnicus (ô quantum vis ignea mutat amoris!)
Nolle frui cultu diuite, cultus erit.
Orba priùs truncis manus artubus excidet exſul,
Quàm ſit adhuc vanis fœda miniſtra dolis.
Ibit Edeſſenis nunc Magdalis altera campis,
Poſt Helenen Cyprij fama ſecunda chori.
Viderit Euphrates mutatas puluere gemmas;
Attonitis ſtabit rupis hic inſtar aquis.
Viderit & Titan ſparſum caput omne fauillâ;
Aurea puniceis fræna reflectet equis.
Nunc erit, vt quouis miretur Edeſſa theatro;
Vt fuſcâ Pelagin viderit in tunicâ.
Atque aliquis Syriæ dum præterit orgia pompæ;
Dicet: Vbi eſt noſtri dux modò prima chori?
Feſta dies hodie (niſi me vos fallitis horæ)
Nec tamen his Pelagis conſpicienda ſacris.
Pompa choros ducat. Supplex aduoluar ad aras;
Haſque ego, teſte fide, caſta dicabo preces.
Euantes eiuro choros : eiuro iuuentæ
Gaudia, de damnis ambitioſa meis.
I toga, purpureo quæ velificaris honori,
Tincta bis; hoc diſcas erubuiſſe probro.

Qua-

Qualis honos, varijs ſi picta refingo figuris
  Sideream, Iuno quam ſibi paſcit, auem?
Verſicolorque decus gemmis inſignis & auro
  Exprimit auratis æmula palla roſis?
Natiui me lana, precor, tege pulla coloris,
  Vt quâ terra parens, hac ego veſte tegar.
Vitta priùs nitidis radians inſigne pyropis,
  Nunc iaceas atrâ ſqualida reſtis humo.
Pendulus antè leui qui luſit ab aure cylindrus,
  Excidat in tetrum, ceu ſcabra teſta, lutum.
Tuque monile vale, quer uliq́ue valete ſmaragdi,
  Nobile degeneres dedecus inter opes.
Quæ Cyprios imis cuſtodit in oſſibus ignes,
  Cura memor valeat, voſque valete faces.
Hæc reor ad dominæ faſtidia dura pyropos
  Dedecus in ſpretis erubuiſſe ſtolis.
Adiuro genium, caſtis qui militat armis,
  Hoc procul obſcænas arceat ore feras.
Inſidiaſque metuſque ſacro ſecludat aſylo,
  Quo ſecura mei cura pudoris agit.
Excludit ſpes tuta minas, Orcique periclum,
  Paupere ſub culmo ſi ſedet alta quies.
Pulchrior hic culmus, laquear quàm diſcolor auro,
  Pace tuâ, Cæſar, pace, Luculle, tuâ.
Si farris mihi mica breuis, ſi lympida roris
  Gutta ſat eſt, Crœſo ditior hoſpes ero.
Mome, nigro de felle ſales ſuffunde cachinnis:
  Nil moror indignis ſibila miſta iocis.
Lingua mihi cunctas, ô! colligat vnica voces,
  Vocibus vt iunctis gaudia caſta canam,
Nî ſatis hoc; omni folium ſtruat arbore linguas,
  Vt loquar hîc, quidquid fructus amoris alit.
Sæpè quidem memini Sodomæ ſata poma fauillis,
  Vt fama eſt, & erit: poma fauilla parit.
Promittunt oculis quid neſcio dulce ſub oſtro;
  Sed caua ieiunam fraudat imago famem.

Hæc mundi facies: fallax arridet ocellis
  Gratia; ſed guſtum teter amaror habet.
Haud ea ſors dio, ſatiem qui paſcit, amori.
  Vſus inexhauſtas haurit opimus opes.
O, vt ego felix, vacuos pertæſa labores
  Quæ carpo ſolidas vbere fruge dapes!
Id munus, mi Nonne, tuum de munere Diuûm,
  Seu benè fanda doces, ſiue docenda patras.
Auſpice te pulcher ſibi me deſpondit Ieſus.
  Vincior: at vinclo cælite vinxit Hymen.
Sanctus Hymen, cui dos locuples ſub paupere pallâ,
  Et qui pulla ſacri vela pudoris amat.
Nunc illi hos oculos, hunc illi ſeruo pudorem:
  Has illi lacrymas cælite libo toro.
Et cur non etiam caſtum prolibo cruorem?
  O vtinam Chriſto victima ſera cadam!
Sanctior vt tandem vetus expiet hoſtia crimen,
  Haud poſſim leto nobiliore mori.
Sacra litant, cor ara, ſacrum ſtant pectora templum,
  Mens hîc myſta, merum fletus, & ignis amor.
Si non de ſolidâ cadit hoſtia magna iuuencâ:
  Sed litat & paruis grata columba ſacris.
Parcus amor ſi promus aquam vix ſtillat ocellis,
  Omnibus è membris mox dabit ire merum.
Dulce merum ſanguis, benè prodigus ardor Ieſu
  Quem ſitit, his venis enſe vel igne fluat.
Sed quid ago? tali me digner honore Tonantis?
  Da mihi nunc ſaltem vota modeſta feram.
Improba ſpem nimijs ſi fallit opinio votis,
  Vota minora valent ſuſtinuiſſe fidem.
Antè niger coruus, ſim pulchra columba pudoris,
  Alba verecundo cui ſedet ore Charis.
Et piget, & pudet immundæ nimis antè iuuentæ.
  Hinc ſacri nitidas inuoco fontis aquas.
Pura diu fuſcas mihi Naïs vt exuat alas,
  Et niueum cingat candida pluma latus.

Auguror

Auguror hoc equidem, nî fallor, & imperat æther,
 Vt ſequar æthereis præmia digna choris.
Paruus honos terris: hic omnia puluis & vmbra.
 Quæ venit è cælo gloria, magna venit.
Quæ vixi dubij coruus niger antè pudoris,
 Alba volo caſtâ fronte columba mori.
Hæc ego venturos pia cœpta propago per annos,
 Præmia maturâ quò nece magna legam.
Sin ſedet emerito felix hic terminus æuo,
 Sitque operi finis, vix vbi cœpit opus:
Deprecor hoc vnum, ſi quando recumbis in vrnam,
 Quo cadis, æqua pari vulnere vt vmbra cadam.
Mortis vt & vitæ quò primus & vltimus ordo
 Et Nonnum & Pelagin compare condat humo.
Sic benè nupta ſuo iam caſta columba columbo
 Iunget inabruptâ fœdera ſancta fide.
Inſcribet tumulo grandes pia fama figuras,
 Quas leget æternis mater Edeſſa notis:
Vindice ſub Nonno teneri flos integer æui
 Cui ſtetit, hîc Pelagis ceu roſa pura iacet.

EPISTOLA XII.

ARGVMENTVM.

Sanctus Stephanus Rex ſuo exemplo regnum Hungariæ Chriſti imperio adiunxit, & omnem priſtinam ſuperſtitionem excluſit. quo in negotio multa bella ſuſtinuit, omnibus ſuperior: quin imò & Cumanos barbaram gentem bello adortus eſt, eamq́; ad Chriſtiana ſacra ſuſcipienda compulit. Hungaria itaque de ſalute ſui Regis ſollicita auocat eum à belli periculis, & ſuadet vt non tam ſuo ductu, quàm ducum ſuorum induſtriâ, bella gerat. Chartuitius Epiſc. in eius vitâ.

HVNGARIA STEPHANO REGI SVO.

ASper Hyperboreis te Mars circumtonat armis,
Et lauat vndoſâ Nympha Tibiſca manu.
Cumaniq́ue fremunt horrendis vnguibus vrſi,
Quos Scythicis texit denſa pruina iugis.
Ipſe ſed impauidum genio pugnace leonem,
Hæc eſt Hungariæ gloria, victor agis.
Laudo equidem pulchros inuicti pectoris ignes:
At capiti metuo dira pericla tuo.
Quid tibi cum telis? galeâ quid tempora duras?
Apta manus ſceptris, apta corona comis.
Quò ſqualens auro lorica trilice vel hamo?
Purpura, dic, tenerum mulceat ipſa latus.
Quid tibi regna petis dubijs quærenda ſub armis;
Tot cui regnorum præmia Geiſa dedit?
Scilicet egregios pietas impellit in auſus,
Cæleſteſque animo ſubijcit illa faces.
Et pretium pietatis erit. Cùm fregeris hoſtes,
Hoſtibus edomitis ſacra fidemque dabis.
Auſonijs viuent tum legibus Iſter, & Iſtri
Accola, Cumanis qui fugit exul agris.
Sæpius hoc voueo, cumuloque altaria donis,
Pax ſociâ iungat ſorte ſequeſtra fidem.
Non agitur votis; Opus eſt hîc viribus, inquis:
Tantaque laus multo ſanguine emenda venit.
Da veniam, non iſta mea eſt, Rex magne, querela:
Te queror infidâ ſorte pericla ſequi.
Atque etiam denſo fumantes puluere campos
Vertere, fulmineis quà ruit hoſtis equis.
Forſitan ante ſacras dum numina poſcimus aras,
Tu, dum rauca fremunt claſſica, poſcis equum.
Poſcis equum, gaudeſque tuens in bella ruentem,
Quà ſeges hoſtilem ferrea cingit agrum.
Nunc humeris aptas de ferro textile pondus,
Cui crepitat pulchris aurea ſquama minis.

Et

Et clypeum lateri præcingis, baltea coſtis,
Æreus ardenti fulgurat vmbo manu.
Atque grauem quaſſas dextrâ criſpante ſariſſam,
Proludiſque agili, quà vocat hoſtis, equo.
Et iam procedit lituis equitantibus agmen,
Et ſonitu tellus quadrupedante tremit.
Concurrunt acies, bello iurata iuuentus
Horrida pugnaces vrget ad arma manus.
Exſuperas virtute duces, & vertice turmas:
Poſtremus dirimis prælia, primus inis.
Heu! metuo præſaga mali (Deus obruat omen)
Nè ſe mors armis miſceat atra tuis.
Si tuear volucri frondem tremuiſſe ſub Euro;
Suſpicor, iſta tui frons tremat icta metu.
Si Niobæa graui deſudant marmora cælo;
Auguror hæc fletus omina dira mei.
Sanguineis vidi vada pura rubeſcere riuis,
Iſtrias vndoſo quos vomit vrna ſinu.
Et vidi virides triſti pallere ſub imbri,
Sylua quibus nuper riſit amœna, comas.
Queis non illacrymat templis ebur? omnibus aris
Emicat in mœſtas lux inopina faces.
Exequijs hos, credo, tuis prælucet ad ignes
Ipſa tuæ Pietas immoritura neci.
Dum Boreâ trepidus turbante remurmurat Iſter,
Mœſta tuos caſus flumina credo queri.
Quò ruis infeſtas malè ſpernere fortior haſtas?
Ah! quoties dixi ſaucia tota metu?
Reſpice res bello varias, & vt alea Martis
Alternâ galeâ vertat agatque vices.
Dexter vbi lætas palmas addixit Eous,
Abdicat has læuis Heſperus alter equis.
Et tua barbaricum quoties bibit haſta cruorem,
Tela tuo, metuo, ne qua cruore fluant.
Plus æquo violens te proripit ardor in hoſtes;
Obruit audaces mors violenta viros.

Si tua quis ſpectet fors fulmina, credat Achillem,
Hectoraque in Stephano bella ciere meo.
Sed nocet, inuictos animos durare periclis.
Ars regit arma, ſalus arte regenda venit.
An non inſidijs Mars perfidus hauſit Achillem?
Raptauitque auidis Hectora victor equis?
Quo non ludibrio princeps caput orbis & Vrbis
Perſide ſub caueâ iuſſa ſuperba tulit?
Plorat adhuc tacitis campus Mageddo querelis
Ioſiam Pharijs ſuccubuiſſe rotis.
Viderit immanem fractum aſpra ad fræna leonem,
Frangitur ipſa pari pardalis icta metu.
Viderit oppreſſam iaculis tigris anxia tigrim,
Effugit, & Zephyro præuolat ales iter.
Diſcit ab exemplo, quiſquis ſapit, omina fati,
Alterius damno ſic ſua damna cauet.
Sed noua Pannonijs ſunt ſceptra tuenda ſariſſis,
Et quærenda pio pax noua Marte fuit.
Pacis enim cuſtos Mars excubat aſper in armis,
Et ſedet in telo vindice tuta ſalus.
Hoc ita ſit. patriæ, non pugno, tuere ſalutem:
Tu tamen ipſe tibi publica parce ſalus.
Bella gerant alij pugnace minacia dextrâ,
Arbitra ſed bellis tu rege iura tuis.
An non Ieſſeiden Syrias qui diruit arces,
Ieſſeidæ in Sion detinuere duces?
Quot tamen hic armis hoſtiles exſcidit arces?
Quanta Sionæâ fulmina rupe dedit?
Nunc igitur dum Martis honos ſpolijque cupido
Excitat, in leti mitte pericla duces.
Indomitaſque mori ſine ducere bella phalangas
Infractis animis, robora dura, viros.
Hi tibi, ſi vincant, transſcribent præmia belli:
Sin vinci eueniat, ſpes mea ſoſpes eris.
Quid vetat, & geminas mittant in fœdera gentes,
Auſpice quas Chriſto des tua ſigna ſequi?

Arguat hoc metuis nè ſibila fama ſuſurro?
Arguat: at famæ crimina temne tuæ.
Dic quota pars Regum medijs ſe immiſcuit armis,
Nec magis auſpicijs arma tulere ſuis?
Et tu Chriſtiadûm teneras da creſcere ſtirpes,
Et rege bella domi, dum foris arma tonant.
Sit ſatis hoc: vnus pugnabis in omnibus armis;
Vni pugnabunt omnia & arma duci.
An neſcis, riguas iam primùm fontis ad vndas
Relligio primis creſcit alenda fibris.
Iamque rudi ſubnixa ſedent tua ſceptra coronâ,
Quam noua Romanis ſuſtinet ara ſacris.
Barbariciſque feris lex imperat arbitra mores,
Qui frangant placidis ferrea corda modis.
Parce tibi mea, gnate, ſalus, & parce parenti,
Parce ſacro, fontis quem lauat vnda, gregi,
Vno te miſeranda parens ſi nudor alumno,
Millibus innumeris orba perennè querar.
Sin autem canos ſors candida ſoſpitat annos,
Tu mihi de gnato tunc eris ipſe parens.

EPISTOLA XIII.

ARGVMENTVM.

Aſſeuerat ſe religionis propagandæ cauſsâ oppugnare barbaros, nec ſe adeò ignauum velle videri, vt ſua bella alijs committat, vnde cæleſtem exſpectat coronam. Chartuitius.

STEPHANVS HVNGARIÆ SVÆ.

PAnnonijs quò ſigna vocant nos æmula ſignis,
Defixit Pietas hoc mea pila ſolo.
Non vt mitis eat circum mea tempora laurus:
Nil iuuat è fluxâ lecta corona comâ.

Aſt vt ſidereæ felix inſigne coronæ
Hungaricos cingat, quos fouet ara, focos.
Hæc vbi bellacem meditor ſubnixus in haſtam,
Quem cingunt Scythicis barbara caſtra globis:
Tela per, & lituos, & ſaucia ſcuta ſagittis,
Irruit audaci littera danda manu.
Littera, quæ longas detexit acerba querelas,
Quas trahis in pullâ, Pannoni Diua, ſtolâ.
Admiſi querulas triſti de rore lituras:
Pallebat tacito turbida cera metu.
At ſimul atque oculos pupugit nota prima timoris,
Heu! oculis vulnus, ſicut ab hoſte, tuli.
Nempe tui me lædit amor, timor inſuper vrit:
Et duo cùm ſimus, nos dolor vnus habet.
Plurima nam genitrix geniti ſub pectore viuit,
Et meus iſte tuo ſanguine ſanguis ijt.
Parce graui gemitu, tibi neſcia quæris honores
Mater, & in gnato tam pia bella geris.
Cedo tamen matri, Martiſque retracto labores,
Et pono gremio Martia dona tuo.
Et fera pacali laurus ſe vertit oliuâ.
Sed quid ad hæc Pietas Marte tuenda meo?
Annè putas iuſtis hæc deputet otia cauſſis,
Si trahat imbelles languida vita dies?
Cura nec auguſtis iam militet vlla triumphis,
Queis vix nata nouo creſcat honore fides.
Cernis, vti parcâ tenuis qui naſcitur vrnâ,
Prodigus immenſas fons procul vndet aquas?
Quaque fugit felix natales nympha ſcatebras,
Roſcida fœcundis imbuit arua vadis.
Vnde virent hilares herboſo ceſpite ripæ,
Et ridet liquido lætior amne Ceres.
Haud aliter latum ſeſe diffundit in orbem
Vitali Pietas quæ ſata fonte fluit.
Et ieiuna diu cæleſti pectora riuo
Paſcit, & ambroſias educat inde dapes.

Hinc

Hinc mihi tantarum molimina grandia rerum,
 Fons ſacer vt patrios impleat auctus agros.
Iſtrias ô Regina, nouis huc afflue riuis,
 Aureus æthereas cui vouet imber aquas.
Mox tibi mille ſuas ſubmittent Naiades vrnas,
 Mille quibus fontes ad tua ſceptra natent.
Hæc mihi crede; ſacris laurus viret inclyta bellis,
 Sauus vt & Drauus ſub tua iura fluant.
Supplice quando genu minor, omnibus accidet aris
 Hoſtis, vt inde petat quæ ſacra ritè colat.
Indomitos animos ſed atrox obdurat Erinnys,
 Impiaque in Chriſtum bella ciere iubet.
Nil ſuper his moueor. vis durat ahenea pectus,
 Enthea magnanimo fax vbi corde viget.
Pax bello quærenda: pijs pax naſcitur armis:
 Pax pia queis naſci poſſit, in arma ruam.
Quàm e Pannonijs attollet gloria ſceptris!
 Præmiaque hoſtili quanta leget ſolio!
Fulmina ſi belli Diuûm comitantibus armis
 In Stygias vindex intonet ira feras.
Et quæ Cimmerio latrant circumſona fluctu
 Hungaricâ cedant Boſphora fracta manu.
Relligio vt tandem victrix queat auſpice Chriſto
 Mittere ſub leges barbara regna ſuas,
Diſcordeſque diu coëant in fœdera gentes,
 Hinc meus ardenti puluere ſudat equus.
Bellica quæ ſacro defigit puluere curas
 Gloria, cæleſtes hinc ſibi quærit opes.
Viuit adhuc, oculiſque ſubhæret imago parentis,
 Plurima cui viridi laurea fronte ſedet.
Quique truces hoſtes infractis contudit armis,
 Hungariæ in clades queis dedit arma furor.
Quid? me degenerem ſuperas ſibi Geiſa per arces
 Audiat, infracto Mars cui corde ſtetit?
Et vis, indecorem me nunc Mauortis alumnum
 Arguat vt fracto languida fama ſono?

Et canat hoſtiles (prô crimina fœda!) per vrbes:
Marcet in imbelli Pannonis haſta manu.
Et priùs ille potens duris bellator in armis,
Somnia nunc molli ducit inerma toro.
Vtque tulit fuluæ radiantia dona coronæ,
Iam mage de lauru nulla corona viret.
Indignum facinus! patriis teret otia campis,
Obuius infeſtis quem premit hoſtis equis?
Sed timor incurſat. Fac vicerit impius hoſtis:
Sic vinci, egregiâ vincere morte fuit.
Deputat in lucro pietas, ceu pignus honoris,
Siqua pio bello damna decora tulit.
At meliora Deus: læuum procul auolet omen:
Auguror auſpicijs dextera ſigna meis.
Plurima Pannoniis florebit adorea ſceptris,
Aſſueſcentque ſacris plura tropæa tholis.
Has ego vis alijs commendem carpere palmas?
Præripiatque meum non mea dextra decus?
Degeneres animas! meritos aget ergò triumphos,
Cui ſit ab hoſtili ſicca cruore manus?
Haud ſic auerſas Iſtro ſol flectit habenas,
Entheus vt nullo ferueat igne vigor.
Haud equidem inuideo reliquis ſata præmia bello;
At pretium belli me ſine nolo legant.
Non quæ ſtat ſolio maieſtas nixa ſuperbo,
Sceptra vel auratas inter eburna togas;
Nec quæ nobilibus radiata corona lapillis,
Conciliant ſtabiles, quas honor ambit, opes:
Regia nec Pariis quæ ſtat ſuffulta columnis,
Pulucreo fugiet ſera ſepulcra ſolo.
Quid cameræ pictæ gemmis, auroque lacunar
Irradians, vanus non niſi ſplendor opum?
His ego vis ſedeam ſtatuæ par Regis imago,
Bruta, vel inuiſo pondus iners ſolio?
Hinc procul imbelles belli ſine puluere curæ:
Regia res, Regum præmia Marte ſequi.

Nempe

Nempe decet mediis operoſa pericula pugnis
  Quærere, & inuicto Marte referre decus.
Quale decus ſurdo cinis haud premat atra ſepulcro.
  Quæ cadit in cineres, gloria fluxa venit.
Æternas meditamur opes, meditamur honores,
  Queis Stephano cingat fida corona caput.
Hinc labor, ardentique liquens in puluere ſudor,
  Martis vt ad lauros creſcat adulta fides.
Nemo dabit, tenero quæ iam ſuccreſcit in æuo,
  Vt non & virides augeat arbor opes.
Quæque viret ſpes cruda meæ de flore iuuentæ,
  Ne matura tibi poma ſenecta ferat.
Hoſtilem quot tela vides ſtillare cruorem,
  Crede ſeri regnis tot noua ſceptra tuis:
Et niueos fracto reuehi tot ab hoſte triumphos,
  Quot numeras Albam caſtra ſecuta Crucem.
Si non diſſimulas arcani pectoris æſtus,
  Hæc quoque fixa tuo pectore cura ſedet.
Scilicet Hungaricis accedat vt altera ſceptris
  Hungaria, hoſtilis quæ prius orbis erat.

EPISTOLA XIV.

ARGVMENTVM.

ERat in Syriâ ſanctiſsimo viro Abrahæ neptis Maria, teneræ adhuc ætatis, ideoq; ancipitis curæ: è quâ vt ſe patruus eximeret, neptis ſuæ animum ab oculorum conſuetudine ad res diuinas contemplandas abducit, & fidâ cuſtodiâ in caſa anguſtijs incluſam iuxta ſuum tugurium ſepit obſeruatq;. Sed illa œſtro, neſcio quo, percita tam lyncei Argi oculos fallit, & effugit ad luſtra, vbi corpore quæſtum faciat. Quod ipſum pridie bono ſeni animus præſagierat. Viderat enim in ſomnia

colum-

columbam pulcherrimam ab teterrimo dracone in ventrem abſtrudi. Vnde illum nec vanus manè inceſsit timor. Anxiè ergo appellat ſuam Mariam. Sed quæ vocem reponat, nuſquam eſt Maria. Quid ageret eluſus patruus? vbiuis neptem indagat, ad omnia loca litteras mittit, & tandem eam deprehendit. Quæ ſcelerum pœnitens ſe iterum patrui curæ commiſit, & in priſtinâ ſolitudine vagam hactenus vitam deſerto gurguſtio incluſit. Hac itaque epiſtolâ Abraham Mariæ ſuæ enarrat horrendum de illâ ſomnium, deinde ſuos in eâ inueſtigandâ labores. S.Ephrem.

ABRAHAM MARIÆ SVÆ.

QVas tibi mitto, ſtylus tereti non exprimit ictu,
Has ſed acerba notas ſpina doloris arat,
Spina doloris arat patrui malè roſcida fletu,
Quam ferit ærumnis aſpera cura meis.
Arida ceu riguis fons temperat arua ſcatebris:
Sic rigat & mœſtus torrida corda liquor.
Pullulat inde ſeges longæui ſpinea luctus,
Vnde ſecant pectus ſpicula ſenta meum.
Hinc dolor, ah! miſerum crudeli ſauciat œſtro,
Et quot alit curas, tot mihi tela parit.
Hinc & in alternos mens diditur anxia flexus,
Et rapit incertis neſcia vota vijs.
Inſperata animum fuga concutit, & probroſis
Arguit heu! Mariæ dedecus in latebris.
Et certè memor his oculis obludit imago,
Quâ mihi nox dirum pinxit acerba ſcelus.
Scilicet immani data præda columba draconi
Viſa mihi eſt mœſtis ingemuiſſe modis.
Anxius exclamo; vacuum vox fraudat hiatum:
Rurſus hio; me vox rurſus auara fugit.

Hæc

Hæc inter, cui roſtra inhiant horrenda, chelydro
 Ferales epulas hauſta columba facit.
Quàm timui! tremuit teſtis torus ipſe periclo.
 Nunc etiam noſtro pallor in ore ſedet.
Arrectæque horrore comæ ſtant tempora circum,
 Hæret & attonitis hydra minax oculis.
Omen abeſſe precor, diramque abſiſtere peſtem.
 O ſuperi! tumidis hæc date monſtra fretis.
Improba fallaces ludant inſomnia ludos:
 Hoſtibus eueniant, imprecor, illa meis.
Eſt tamen, vt credam, quamuis id rideat alter:
 Vana licet, veram ſæpè dat vmbra fidem.
Præcipuè roſeas vbi flectit Eous habenas,
 Corneaque in vitreo limine porta patet.
Quàm metuo, verum triſti ſit in omine pondus!
 Ægra tui cuſtos cura timere iubet.
Vt video, non ſigna dedit temeraria ſomnus:
 Dirus ab euentu me tenet inde dolor.
Mitte, Maria, fidem funeſti quærere ſomnî:
 Vera nimis diræ victima facta feræ es.
O miſeram! niueâ quæ purior antè columbâ,
 Volueris obſcæno putida lena luto.
Infelix! animam ſæuo ſic proijcis Orco?
 Sic amens animi gaudia dira colis?
Squameus, ah! auido te ſic vorat helluo rictu?
 Ibis in immanem præda cruenta feram?
Vt breue neſcio quid delibes dulce quod vrat?
 Vnde gemas feræ tædia amara necis?
Sic onerare probris famæ potes ergò pudorem?
 Nil pietas, nil te pura iuuenta mouet?
Hoc an ſuſtineat tenero pudor æger in æuo
 Dedecus? hoc crimen mens generoſa pati?
Haud ego. nunc igitur latis circumuagor aruis,
 Erro gemens ſyluis triſtibus, erro petris.
Nec piget hiberno freta currere turbida cælo.
 Tu tua de curis diſce pericla meis.

Quin

Quin & Orontæis curas aduerto fluentis,
Seu Iordane tuis, ſeu mage, Nile, tuis.
Inde loci prono quà labitur agmine flumen,
Fluctiſono feſſum litore figo pedem.
Iamque natans lacrymis ſurdos interrogo fluctus!
Sed niſi muta cauis fluctibus aura redit.
Flens certè calidis imploro ſidera lymphis,
Appello & faciles in mea vota Notos.
Heu! quid agam? dubium, ſtabo, an noua litora quęram?
Neſcio quid ſuadet dux mihi fidus amor.
Scribe, licet, dixit: marmor, viden', hæret arenis:
Hîc memores docili marmore ſcribe notas:
Parce, Maria; frui ludo fallace iuuentæ:
Ah ſatis! opprobrijs omnibus hauſta peris.
Seria porrò ſequi verſis nunc incipe remis,
Candida quà caſtus vela retorquet amor:
Error ſi miſeram tulit; error at ille iuuentæ eſt:
Dein ſapiat canam puta ſenecta fidem.
Hæc ego, cognato Mariam qui ſanguine tango:
Si tamen in Mariâ iam mea neptis agat.
Quis ſcit an has olim legat errabunda figuras,
Quæ fraudat patruum cæca puella larem?
O, quando patrui lacrymas ſiccabis amaras,
Rurſus in amplexus neptis itura meos?
Excludamque meo tibi noxia gaudia luctu,
Dum ſcelus euincet cura pudica tuum?
Sed nimis in molli te perfida Cypris habenâ
Detinet, & ſuaui glutine corda trahit:
Nec miſeræ vix vlla ſuper iam vena, venenum
Quæ non dulce bibat, mors quod amara vomat.
Huccine tot patrui curæ, durique labores,
Triſte tui vt pretium dira Megæra ferat?
Et ſtringas propiore tota nigra limina Ditis,
Liuidaque ambuſtos alluat vnda pedes?
Quot mihi purpureos bibit ebria vena liquores,
Tot ſatur hinc lacrymas hauriat opto dolor.

Ille

Ille dolor, nullo pulchri qui limite voti
  Siſtat, inexhauſtus qua ruit imber, iter.
Sanguineis lacrymis reducem ſancire pudorem
  Vt liceat miſeræ, cui ſine fronte pudor.
Crede mihi, quot cera ſtylo notat icta figuras,
  Vulnera tot lacero pectore mœror arat.
Quotque legis viridi iam fors de ceſpite flores,
  Vnde ſtruas collo pendula ſerta tuo;
Hei mihi! de miſeræ neptis florente corollâ
  Pectus in hoc ſpinæ tot cecidere meum.
Et necdum, tot vbi tibi ſaucius ardeo ſpinis,
  Vlcerat hinc pectus ſpinea tæda tuum?
Quin etiam (miſerum!) fors & mea vulnera rides,
  Inſultaſque hilari triſtia corda choro.
Vt lubet inſulta, facileſque reuolue choreas:
  Hæc inter piceam mors quatit atra facem.
Diſtrictus ceruice ſuper tibi dimicat enſis
  Flammeus, ardenti quem vibrat ira manu.
Iamque imo fugiens tibi terra dehiſcit Auerno,
  Atque vorace pedes haurit auara ſpecu:
Et necdum citimo veſtigia cæca periclo
  Abripis, in Stygios non reuocanda lacus?

EPISTOLA XV.

ARGVMENTVM.

Explicat conceptum de flagitio ſuo dolorem, & conſcientiæ ſtimulos, quos ſæpè voluptas infregerat, ſed iam altiùs animo infixos, quàm vt euelli queant: denique ſe Andromedæ comparat, quam vinculis plurimis illigatam Perſeus à ceti faucibus eripuit. S. Ephrem.

MARIA ABRAHÆ PATRVO SVO.

HVc ab Orontæis incertus nuncius oris
  Appulit, in dextrâ vox cui ſcripta ſedet.

De

De Mariâ quærit. Mariæ, heu! ad nomen & auram
Emicuere meæ corde tremente fibræ.
Inde pias facili tranſſcribit ab vngue tabellas,
Quas vbi vix oculo turbida tango, fluit.
Liquitur in lacrymas oculus mihi criminis index,
Nubilus & puris flens probra ſcribit aquis.
Quot lego pænè tuo de ſanguine mœſta lituras,
Heu! oculos ſpinæ tot pupugere meos.
Et mihi mille dolor ſerit hoc in pectore ſentes:
Flos pudor vt perijt, ſentibus opto frui.
Et cur diſſimulem? fœdis mens dedita noxis
Quæ patrare dedit probra, patraſſe pudet.
Facta gemens, infecta velim: ſic ſuadet honeſtas,
Et rubor, & caſto digna rubore ſalus.
Sæpè quidem pectus tacito dolor appetit ictu;
Dulce ſed obtundit ſaucia corda nefas.
Nequidquam diris me nox circumſona monſtris
Territat, & Stygias obiicit atra feras.
Iucundum mentita notho de lumine ſolem
Fax Paphiæ, nigros diſcutit alba metus.
Pœnarumque minas, quas mens mala pendat Auerno,
In malè ſana leui ſibila verto ioco.
Attamen eſt ſemper tacitè quod figit & vrit,
Et medio gaudi fonte quid acre ſapit.
Mens geminas dubio diſpungit pondere lances;
Ten' ſequar, an fugiam? ſed fuga crimen habet.
Nempe minax ſæuis Cythereïda comprimit armis,
Quæ furit arcano conſcia noxa ſinu.
Intentatque feris Mors cincta draconibus iras:
Me nimis, heu! veræ terret imago necis.
Te ſequar ergo: redux reddam ſua dona pudori.
Pænè fidem dederam: nec datur vlla fides.
Me Cypris hinc blandis tenet vnca venefica philtris,
Abſtrahit à gremio Cypridos inde timor.
Ocyùs obſcænis vbi iam celer enato luſtris,
Sirenum ſcopulis, nauifragiſque vadis:

Lito-

Litoreaſque bidens pelago rimatur arenas
 Anchora, & in portu pænè ſtat alta ſuo:
In ſua vincla Venus me blanda retractat Erinnys,
 Et miſeram in Paphias vſque reſorbet aquas.
Rurſus vt hinc trepidæ procul euolo præpetis inſtar,
 (Addit enim pennas anxia cura ſuas)
Me nouus in pedicas Amathuntidos abripit error,
 Et tenet implexis lena libido plagis.
Horrificoque minax me prædo reſorbet hiatu,
 Et rapit in Stygios, regna tremenda, lacus.
Ergo columba nouo perit vna bis hauſta ſepulcro;
 Bis moritura, ſemel non tamen apta mori.
Nempe nimis blandi fallax dulcedo veneni
 Detinet inuitas ad ſua philtra nurus.
Heu! nimium veri te mouit imago draconis,
 Quem tua nox atro pinxerat antè ſtylo.
Interea (quantus miſerum ſcelus occupat error!)
 Grandè tumens ſurdas parturit ira minas.
Fulmineiſque poli furor excubat vltor in armis,
 Qualibet effugiam, qualibet ira premit.
Quòd ſicunde ſonat quid lene, vel increpat aures,
 Emicat in triſtes anxia noxa metus.
Haud ſecùs ac fugitat lepus ilicet, & tremit artus,
 Aura leui folio ſiqua ſuſurra ſtrepat.
Signarique oculis me, me reor indice nutu:
 Importuna reum territat vmbra caput.
Quin etiam quocumque premo veſtigia campo,
 Fingo ſolo ſculpi ſub pede turpe ſcelus.
Aut pernox biiugis ſi ſpectat Cynthia terras,
 Euolui trepido putida probra toro.
Ardenti tellus abrupta dehiſcit Auerno:
 Mugit adhuc imis turbidus Orcus aquis.
Sic video, aut vidiſſe reor: nec fallit Auernus;
 Cui vigil æratas mors ſedet ante fores.
Quin & mille ſonat fœcunda pharetra ſagittis,
 Obuia quas certâ deſtinat ira manu.

Increpat arcus adhuc mucrone minace periclum,
  Iamque nocens circum mors volat atra caput.
Emicat en neruo ſtridente ſagitta per auras :
  Inſpicat lacerum præpes arundo latus.
Hæc mea ſors fluxi malè ſuada per orgia gaudî ;
  In ſpeciem felix ; cetera mœror habet.
Adiuro lacrymas, & ſacra per omina Diuûm,
  Quiſquis es, obteſtor, quam potes, affer opem.
Tuque adeò, cui prima meæ tutela ſalutis,
  Et cui fida meæ cura pudicitiæ :
Si lubet, aſpicias, quæ ſit pereuntis imago:
  Hinc tibi, quo miſeræ damna leuabis, erit.
Dux vbi veliuolis Zephyris, & ouantibus vndis
  Æolus impellit per freta prona ratem,
Atque Parætonijs commendo carbaſa ripis,
  Inuidus auertit naufraga tranſtra Notus.
Prora dehiſcit, hianſque cauas me mittit in vndas:
  Æolidûm rapidis ludus oberro fretis.
At me litoream caſus ſat dexter Iöppen
  Appulit; huc Ionæ non tamen orca tulit.
Me Deus huc malo tumidas equitante per vndas
  Detulit, inuitis lugubre pondus aquis.
Hîc vbi ſalſa feri faſtidia deſpuo Nerei,
  Atque dies madidum ſiccat aprica caput:
Aduerti medio portu ſtridere catenas,
  Oſſeaque immanis texta natare feræ.
Tunc animum ſubijt triſtiſſima mortis imago;
  Cepheïs Syrijs flebile nomen aquis.
Illa catenatis mihi plangere viſa lacertis,
  Illa mari ſparſas viſa ſecare comas.
Illa mihi viuo iam iam mergenda ſepulcro
  Ire per vndoſæ viſcera viſa feræ.
Tunc quis ijt terris plangor, quis plangor & vndis?
  Tunc quis item cælo plangor & imber ijt?
Aſt vbi fulmineo iam victor acinace Perſeus
  Detonat horrendis ardua bella modis,

Saucia-

Sauciaque immenſo metatur in æquore mortem
Bellua, & vnda redux mille voluminibus
Currit & vſque recurrit, agitque in litora fluctus
Extremum luctans cœpit vt orca mori:
Pegaſideſque heros abrupit ahena catenæ
Agmina; & à vinclis libera virgo ſtetit:
Quantus ijt terris plauſus, quis plauſus & vndis?
Quantus & æthereis, quem ciet aura, plagis?
Tunc ego flens dixi, tollenſque ad ſidera vultum;
Hei mihi! ſub Mariæ nomine quale nefas!
Alter Ioppæâ luget Cepheïs in actâ,
Altera & vndoſis adnatat orca fretis.
Nemo ſed æratas curuo ſecat enſe catenas:
Expedit hoc ferro vindice nemo ſcelus.
Hanc, ô! Andromeden funeſtis eripe vinclis;
Eripe. Sin, haurit viua Charybdis aquis.
En monſtrum immani vorat exſecrabile rictu,
Abſtruditque imo gutture triſte caput.
Hunc poteris ſiccis oculis ſpectare cruorem,
Sauciaque horrendis pectora vulneribus?
Haud ita ſtant rigido tibi corda recuſa metallo,
Mollior at lanâ viſcera mulcet amor.
Vt quid enim durum, quâ non tibi carior olim,
In Mariam patruum ferreus hoſtis agas?
Agnoſco tenerum patruo ſub corde parentem.
Nec pater eſt vllus, qui, quod es, eſſe neget.
Hinc mihi cor mollit patrijs vox ſuada querelis,
Quod ſteterat duris petra Sicana fibris.
Iamque ſedet ſparſis euertere crinibus aras,
Queis Cypris illaqueat perfida lena viros:
Et nitidos ſepelire nigro ſub puluere flores,
Queis caput inceſtat ſpurca corolla meum.
Iamque meo rurſus procumbam cernua Chriſto,
Stabit & ante ſacros multa corona pedes.
Hæc equidem ſtat fixa meæ ſententia menti.
Sed quid? adhuc arctant priſtina vincla pedes.

Heu! quid agam, cui ſola ſuper ſuſpiria & ægro
  Corde dolor? propera, quæſo, doloris opem.
Et certè quoties miſſas flens lectito ceras,
  Fax vigil inde meæ, dico, ſalutis erit.
Quòd ſi certa ſalus puro cor imbuat igni,
  Quod nequij, ſalue mox tibi ſalua feram.

EPISTOLA XVI.

ARGVMENTVM.

DAuid Bethſabeam intuitus, illius amoribus inardeſcit: flagitioq; peracto dat Viræ eius coniugi litteras, quibus innocentiſſimus vir deſtinatò hoſtium telis obijciatur. Interim, vti ſuaui conſopitus ſomno, ſolidum annum peccato ſuo indormit; donec Nathan hominem ſui immemorem è tam graui veterno excitauit, exemplo ficto illo quidem, ſed ad veritatis imaginem compoſito, viri copioſi, qui cùm innumeris abundaret gregibus; tamen vicino ſuo vnicam, quam ſuo ſinu vti ſuas delicias fouebat, ouiculam extorſerat, vt eam hoſpiti recens excepto epulandam apponeret. Hoc apologo à Propheta explicato, Dauid, cuius oculi alienis oculis hucuſq; inhæſerant, eos ad ſe reflexit. Vnde tot deinceps expreſſit lacrymas, vt torum quaſi lugubri diluuio infunderet. Iam autem per litteras luctum ſuum Prophetæ ſignificat. II. Reg. XII.

DAVID NATHAN PROPHETÆ.

VT quid inuſta meis iam pridem vulnera fibris
  Diſſimulo? accelerant diſſimulata necem.
Exproment ſenſum lacrymæ, teſteſque lituræ,
  Quàm mea luctificus pectora mœror habet.

Credo

Crede mihi, penitis hærent tua verba medullis,
Me quibus in lacrymas impulit ire dolor.
Ah! memini, mihi me ſimili quàm pinxeris arte,
Æmula dum crimen pinxit imago meum.
Crœſus erat, quo non ſiluas poſſederat alter
Latius, aut culti iugera plura ſoli.
Mille greges illi frondoſis collibus ibant,
Atque ibant totidem ſub iuga curua boues.
Quem prope Mopſus inops magalia ruſtica fixit,
Parua cui patrio condita meſſis agro.
Hornus huic fuerat villis albentibus agnus,
Delicias domino dans capienſque ſuo.
Agnus hians auidis vbi deuorat oſcula labris,
Atque inhians agno ſuauia reddit herus:
Diripuit, lacerumque tulit vis improba Crœſi:
Ereptaſque ſibi fleuit egenus opes.
Sic miſer hamatis diſcerptus ab vnguibus agnus
Immiti cecidit præda cruenta manu.
Ah! ego tale nefas. Quò me ſcelus impulit? eheu!
Quóue tulit blando ſæuus amore furor?
Vt vidi, vt perij, veſano coniugis igni
Saucius, immeritam mens fuit auſa necem.
Hinc mihi non magnis direptus ouilibus agnus,
Et peragor furti perfidiæque reus.
Balat adhuc, memoremque monet, longoſq; per annos
Balabit ſceleris conſcius vſque mei.
Quin imò rabido quaſi ſaucius æſtuet œſtro,
Infremit horrendis, ceu fera torua, minis:
Sanguineos voluens orbes, atriſque minaces
De maculis, rabidis aſperat ora modis.
Arrectis videas horrere trementia villis
Terga: quatit quadrupes vngula turpe ſolum.
Inſultanſque fremit, iuſtaſque aſſurgit in iras:
Credideris crimen prodere velle meum.
Scilicet Vriæ nouus eſt ex oſſibus vltor
Ortus, vt incuſet dedecus vſque meum.

Educat hoc monſtrum diræ mens conſcia noxæ,
Cordis & aſſiduo vulnere fœta parit.
Suſpenſas hinc dira trahunt inſomnia curas,
Nec minus infeſto nox grauat atra die.
O ego, nè tales furerem ſine more furores,
Quàm mallem Solymis rupibus eſſe ſilex!
Stare vel iratis arbos obnoxia ventis,
Quàm tantum nocuâ ſciſcere mente ſcelus!
Dextera ferales cur ſcripſit ſæua tabellas?
Hei mihi! funeſtæ dextra miniſtra necis?
Sanguis adhuc digitis tacitos diſtillat in imbres,
Et cadit in bibulum lympha cruenta ſtylum.
Cur non, vt calidum biberat mea cera cruorem,
Fluxit ſanguineis illiquefacta notis?
Nec ſtylus intremuit, nec iniqua tabella ſceleſtis
Articulis tepidas excidit in lacrymas?
Cur mihi non præciſa prius manus impia ferro,
In caput Vriæ quàm foret auſa nefas?
Hactenus ille, Syrâ qui tot ſcidit arbore palmas,
Caſtus ab inſonti ſanguine mucro ſtetit:
At nunc innocuum ſititque bibitque cruorem,
Quem non immenſis diluat vnda fretis.
Quod merui, fateor, crudelibus ardeo flammis.
Ardeo: quaſſat adhuc dira Megæra faces.
Hinc & acerba dies, & acerbæ ſunt mihi noctis
Tempora; felle ſuo noxque dieſque madet.
Nec lyra blanda iuuat; nec mulcet amica dolores
Purpura, nec vincunt pocla Lyæa metum.
Non ego iam numero veteres, mea præmia, palmas,
Quæque Gigantæâ cæde tropæa tuli.
Ipſe, Gigas vaſtis cælum ceu terruit armis,
Efferus in ſuperas molior arma domos.
Heu! quocumque feror, tacitò mea crimina queſtu
Increpitant fontes, mœnia, ſaxa, lacus.
Ara, Sionæas cui fumat acerra per arces,
Arguit hoſtili ſidera læſa probro.

Quæ non ex adytis vox vindicis intonat iram,
Excuditque graui tela vibranda manu?
An non opprobrio de Numinis ingemit æther?
Pallida de ſpreto Numine & aſtra ſilent?
Hoſtica & Iſacias accuſant mænia clades,
Quas Arabo victor Marſpiter orbe dedit.
Arguit & crimen, quæ denſâ è nube pharetræ
Obruit Vriæ ferrea grando caput.
Præcipuè facinus querulis fons opprobrat vndis;
Vnde nocens lacrymis manat imago meis.
Scilicet vt puro ſparſi rea lumina ſtagno,
Improba non caſtis flamma natauit aquis,
Betſabeeque faces gelidis accendit in vndis.
Dodone an Syrijs altera ſtagnat agris?
Quin etiam à Solymâ (quod non Cypris improba crimẽ
Audeat!) Arabiam ſanguis inundat humum.
At cruor innocuus pugnacem in coniugis haſtam
Fluxit, vbi Solymo fonte natabat Amor.
Hinc modò fons, terræ qui lympidus ibat ocellus,
Nunc vndat lacrymis turbida vena meis.
Impurum puro ſcelus exprimit ille lauacro,
Betſabee Cyprias miſit vt inde faces.
Ne caſtas violent tam ſpurca piacula lymphas,
Credo, velit ſicco puluere Nympha mori.
Hæccine purgandis diffundit balnea næuis
Nais, vt infami ſit rea lena probro?
Ah! miſeros atris quid verſat in oſſibus ignes
Seu furor, obſcæni ſiue furoris amor?
Quæ modò non recinet de me ludibria rumor?
Aut quos non referet libera turba iocos.
Audio: per Syrias vox vnica diditur vrbes,
(O quàm vox animum ſauciat illa meum!)
Victor io, præclarus io bellator, Ieſſes
Filius, egregio Marte tropæa refert.
Ille, Giganteo cui gloria parta triumpho,
Nobiliore parit maius ab hoſte decus.

Scilicet ille potens terrâ victricibus armis,
  Nunc & ad egelidas vicit inermis aquas.
Iam ſileant litui: Pharijs ſed clangite ſiſtris
  Cyprigeniqúe chori, Cyprigenûmque duces.
Pompa venit, pulchro prælustris pompa paratu,
  Pompa Sionæo conſpicienda iugo.
Euge graui miles ſer fercla, fer oppida pilo:
  Adde triumphali thura litanda foco.
Quæque præit te turba comes, ſequiturque vel ambit,
  Plaudat, io: forti femina victa viro eſt.
Hæc bello caput, hæc felicis adorea belli,
  Hæc & Ieſſeiâ digna tropæa domo.
An non egregijs bellator hic ardet in armis,
  Otia quem blandâ compede vinctâ tenent?
Hunc agit in Solymâ (quis crederet?) arce triumphum
  Victus Ieſſeïdes: vicit adulter amor.
Heu! fateor, priſcas Venus obruit impia laudes:
  Opprobrium merui, ſubdita turba, tuum.
Scilicet abſtruſis quiſquis delinquit in vmbris,
  Tale ſibi toto publicat orbe probrum.
Fallor? an occurſat gelidus ſine ſanguine vultus,
  Omnibus Vrias funebris vmbra locis.
Sanguineas (horreſco) minas intentat Erinnys,
  Et comes atra nefas increpat vſque meum.
Hinc terror curæque ſtrepunt, ſurdæque catenæ,
  Et paſſim querulo ſtridula larua ſono.
Suſpicor, inſontem redimi vult cæde cruorem,
  Vt meus hunc ſonti diluat imbre cruor.
Suſpicor, hunc buſto vindex Deus euocat hoſtem,
  Viuat vt in luctus flebilis vmbra meos.
Sanguis adhuc triſti ſuſpirat inultus ab vrnâ,
  Infandum Nemeſis plectat vt æqua ſcelus.
Ter centum tonat ore minas, plagaſque, neceſque,
  Queis nocuum victrix opprimat ira caput.
Quid tandem? dubiæ quà ſe via prima ſaluti
  Nunc aperit? quà ſpes aduocat alba pedes?

Quas

Quas mihi nunc facileſque vias, Zephyroſque ſecundos
  Annuit æthereâ Pax reditura domo?
An non fulmineum, vindex Deus, arripis arcum,
  Intentaſque graui tela triſulca manu?
Peſtemque, horribilemque famem, bellique furorem
  Obijcis? hæc ſceleri terna piacla meo.
Hæc merui, vel plura: nec id ſatis vllus Auernus
  Expiet, immenſis vlla nec Ætna rogis.
Sed tamen eſt aliquid ſæuas quod leniat iras.
  Blanda ſub immiti fulmine oliua viret.
Namque ego procubui non ſurdis cernuus aris,
  Quò me mens ſtimulis vrget inuſta tuis.
Et dixi, miſcens lacrymas, molleſque querelas,
  Quas dolor è noxis imperat ire meis:
Vltor, inulta graues armans in crimina flammas,
  Mitior exſtincto fulmine parce pater.
Aut ſaltem arſurus fac ſegniùs ardeat ignis,
  Ex quo tot lacrymas ebibit ara meas?
An necdum ſummo proſpexit Eoüs Olympo
  Lætior, vt terris ſurgat oborta ſalus?
Haud ſemper piceos vis aſperat ignea nimbos,
  Semper & vltrices nec tonat ira minas.
Emicat obſcuris radius quis neſcio nimbis:
  Hac mihi, credo, dies parte ſerenus erit.
Protinus aduerti mentemque oculoſque ſequaces,
  Quà mihi lux puro ſurgere viſa polo.
Et me nunc oculo tandem pater adſpicis æquo,
  Antè minax vltor lumine fulmineo.
Deſuper oſtendit fractas iam fulminis iras,
  Et placidam cohibet mitis oliua manum.
Pax reparanda nouis deſpondet dona tropæis,
  Altaque ab hoſtili clade tropæa ſtruit.
Triſtibus è cœptis quàm felix pullulat omen!
  Qui merui fulmen, dulce reporto iubar.
Hæc, Vates, eſt parta tuis mihi gratia verbis:
  Dum tua balat ouis, ſic leo victor ero.

EPISTOLA XVII.

ARGVMENTVM.

FRanciſcus Xauerius, Ioanne Iaſſo & Mariâ Xaueriâ nobiliſſimis parentibus natus, vnus è primis S. Ignatij Socijs, à Paulo III. Pontif. Max. miſſus in Indias cum ampliſſimâ poteſtate Legati (vt aiunt) de Latere; antequam iter adeò longum capeſſat, paternam domum, quò breui diuerticulo è via poterat deflectere, negligit, & ne ſalutem quidem per litteras raro ſanè exemplo impertit. Vnde parentum, & matris præſertim, frequens querimonia; & eò magis, quòd etiam tam procul in India abſens Franciſcus omnem conſanguineorum amorem ex animo depoſuiſſe videretur. Habent igitur hæ ſequentes epiſtolæ varios ſollicitæ lugentiſq; matris affectus. quas inter hæc prima luctum indicat, quem mater Indicæ nauigationis conſilio primùm intellecto conceperat. Turſellinus in eius vitâ. Lib. 1. cap. ix.

MARIA XAVERIA FRANCISCO FILIO.

TRiſtis Iberiadas decurrit fama per vrbes,
Fama per Eoas mox abitura plagas.
Narrat Vlyſſæo ſub litore ſtare carinam,
Teque per ignotum vela vocare fretum.
Ergóne ſic miſeram ſtatuiſti linquere matrem,
Naufragus inſanis, gnate, futurus aquis?
Nec patriæ tantùm, ſed noſtri transfuga mundi,
Solis ad Eoi certus es ire domos?
Sis vtinam memor vſque mei, memor vſque laboris,
Quem peperit caſto Cynthia nona ſinu!

Sed

Sed fuga longa rapit, curſumque aduertis Eoo,
Auſus inaſſuetis ire viator aquis.
Nec metuis tenſis vndoſa pericula velis
Frangere, nec fragili puppe domare fretum.
Scilicet hoc animi poterit fiducia veſtri,
Et tua qui ſtimulat pectora, dius amor.
Hic mortis terrore caret, vireſque miniſtrat,
Inſtructaſque iubet nare, renare rates.
Aurea formoſi compes quem vinxit amoris,
Mollia quò ducunt vincula, ſponte præit.
Cùm lubet, aëreas pernix euadit in auras;
Cùm lubet, æquoreas peruolat ille vias.
Si velit, æthereis tranſcurrit ad aſtra quadrigis,
Si velit, infernos permeat ille lacus:
Solus aperta ſuo ſuſpendit lintea malo,
Solus in vndoſo litore vela legit:
Solus & à matrum gremiis abducit alumnos,
Solus & affectus abripit ille meos.
An querar, an plaudam gemini diſcrimine voti?
Plaudere ſuadet amor; ſed fuga longa queri.
Quid ſequar? alternis mens pendula fluctuat auris,
Sed propiùs tangit me fuga longa. querar.
Quid facis infelix? cùm floret amœna iuuentus,
Et viret in magnum ſpes abitura decus:
Exul, inops, orbos linquis, Franciſce, penates,
Laurus vbi claros plurima cingit auos.
Et fugis immanes, numquam rediturus, ad Indos,
Nec memoras viduæ triſte parentis onus.
Quid loquor? ànne illum ſubeat reuerentia matris,
Quem famæ ſubijt nulla cupido ſuæ?
Me miſeram! cui tot crudi faſtidia fœtûs
Nil grauido prodeſt ſuſtinuiſſe ſinu.
Decerpit matura mei ſibi præmia partûs
India, barbaricis India fœta feris?
I fuge, ſollicitis proras obuerte periclis,
Quæque vbi ſint neſcis, auia regna pete.

Barba-

Barbaraque immanes expugna regna Moluccas.
  Poſcit nempe tuas Indica palma comas.
Solue ratem: non ſe ſoluent mea pectora luctu.
  Heu! erit in ſicco naufraga vita ſolo.
En haurit lacrymis dolor improbus ora parentis,
  Si non & lacrymis corda ſepulta iacent.
Et potis es tot, nate, malis onerare parentem,
  Hæccine grandæuæ pignora ſera ſpei?
Si fruſtra lacrymis reuocat dolor æger alumnum,
  Vota dabo. votis fortè mouendus eris.
En ego votiuas aris affigo tabellas,
  Nè tua Luſiaco litore nauis eat.
Et ſupplex cumulo ſanctis altaria donis,
  Quæ pietas noſtro promit auita ſinu.
Tot lacrymas vanis fundi patiere querelis?
  Votaque ſunt ventis diripienda tuis?
Quos, precor, externo tibi fingis in orbe labores?
  In patriâ mater ſede leuanda venit.
Dulcior an Ganges? an gratior hauſtus ab Indo,
  Quàm tibi de patrio quæ fluit vnda Tago?
Scilicet ipſa ſalus Indum quærenda per æquor.
  Quis quærat mediâ morte ſalutis iter?
At iubar, Heſperiâ mundi quod parte relucet,
  Debet & Eois irradiare plagis.
Haud equidem iubar inuideo, quod reddis Eoo;
  Nubila ſed lacrymis hinc queror ora meis.
Quòd ſi te patriâ pietas abducit ad Indos,
  Hæret in Heſperijs & pia cura plagis.
Et tua, ſi quid amas miſeram, Franciſce, parentem,
  India materno ſub lare tota ſedet.
Hìc etiam tibi ſurget honos dignandus Olympo,
  Quem matri impendes, aſtra meretur amor.
Sancta quid externis niſi præmia quæris in oris?
  An patriâ laurus nulla relicta domo eſt?
Sola polo dignas non educat India palmas;
  Et potis Heſperio palma virere ſolo.

EPISTOLA XVIII.

ARGVMENTVM.

Poſtquam è Luſitano iam litore in Indiam ſoluerat filius, mater illum lacrymis litteriſq́; proſequitur.

MARIA XAVERIO FRANCISCO FILIO.

EXul Vlyſſeâ dum ſoluit pinus arenâ,
 Pinus Atlantæis imperioſa fretis:
Hei mihi! quàm gemui? lacrymas quot in æquora fudi?
 Intumuit lacrymis Nereus ipſe meis.
Heu! numquam patrias, mea vita, renabis ad oras,
 Vita peregrino fors rapienda vado?
Quis prius abruptum tutis animantibus orbem
 Iunxit, inexpertis hoſpes iturus aquis?
Auſus & ignoto mortem ſibi quærere ponto,
 Obuia quæ terris omnibus vna venit?
Cur non Scylla rudem tunc hauſit amara carinam?
 Aut rapidis vſſit flamma triſulca rogis?
Tunc primùm viduis natos abſtraxit ab vlnis
 Puppis ad ignotos vela datura ſinus.
Atque adeò, pulchrâ mihi qui viret indole, gnatum
 Auellit gremio dira procella meo.
O, quæ te rapuit, rurſus refluentibus vndis
 Reſtituat patrio Doris amica lari!
Cetus Iöppæis vatem ſi reddat arenis;
 Reddere Franciſcum cærula Nympha poteſt.
Sin negat vnda piæ nimis, ah! inimica parenti;
 Quod faciam è lacrymis, hoc dabo vela mari.
Parca ſed exſudat tenues niſi pupula ſtillas,
 Quid facit ad vaſtum paruula ſtilla ſalum?

Quà

Quà via longinquas procul auocat auia puppes,
Magna quis in guttâ paupere vela dabit?
Si negat immenſos pupilla maligna liquores,
Ibit ab vberibus largior vnda meis.
Rite mones, dixi, liquido Natura ſuſurro,
Quæ riuos puppi ſuggerat vrna meæ.
Huic ego panda ſalo committi lintea malim,
Quàm tibi, quæ gaudes fallere Tethy fidem.
Sic me ſepoſitos pietas deducet ad Indos;
Quaſque affundet amor, carbaſa tendet aquis.
Ipſa gubernaclum moderans, & ſidera ſeruans,
Moliar vndoſam, quà vehet aura, viam.
Non opus vt ſeruent vllum mea lumina ſidus.
Natus erit Pollux, & mihi Caſtor erit.
Haud dubium, faciles auras afflabit Ieſus,
Auſpice quo fauſtâ ſpes mea ſoluet aui.
Nate, tamen potiùs matris miſeratus amorem,
Hinc tua per liquidas vela reflecte vias.
Quid tibi cum lacrymis, mater quas anxia fundat?
Sat ſcio, te fletus non iuuat ille meus.
Quin memini (certè dulce eſt meminiſſe parenti)
Te puerum lacrymis illacrymaſſe meis.
Nolo tamen lacrymas his te miſcere querelis:
Sufficiet vultus exhibuiſſe tuos.
Hoc voueo: ô! quando? quid vota morare parentis?
Quæ malè tardat iter, dat mora ſæpè mori.
Vt quid adhuc lentis mihi ſpem ſuſpendis habenis,
Dum properat celerem tarda ſenecta necem?
Si deeſt prora, ſuis ſol te vehet ipſe quadrigis.
Sic eris Heſperijs Phoſphorus alter aquis.
Malo ſuas tibi nectat amor tamen aliger alas;
Ocyùs inceptum nullus adurget iter.
Quod vitæ ſupereſt, per te ſimul, & tua viuam
Gaudia, quæque mihi præmia ſera feres.
Aduena rumor ait: reuolat pius exſul ab Indo
Ignatî imperijs; nec mihi, nate, redis.

Inde dolor furuis ſed ferreus adnatat alis;
Nil niſi ſpecto mari grande doloris iter.
Et vereor, ne dum pelago ſe credit & Euris
Natus, Atlantæis præcipitetur aquis.
Spes vbi bis miſeræ gemino perit orbe parenti;
Quid niſi longæuæ tædia duco necis?
Languidus exſangues, heu! ſpiritus effugit artus,
Semianimique micant anxia corda fibrâ.
Labor humi; pandis lapſam Spes ſuſtinet alis.
Quid iuuat? inſtabili ſido relapſa pede.
Quod ſupereſt, fractæ mors imminet atra ſenectæ.
Viuere vis matrem? ſpes mea, gnate, redi.

EPISTOLA XIX.

ARGVMENTVM.

Filium à periculis Indicis domum reuocat mater, ac debitam ſibi pietatem illi commendat.

MARIA XAVERIA FRANCISCO FILIO.

Mittere ſæpè lubet Salue; ſed nulla ſalutis
Spes ſuper: heu! rurſus flens tibi mitto, Vale.
Opto quidem valeas: ſed ſpes malè tuta periclo eſt,
Quæ ſecat incertas regna per Inda vias.
Ah fugis! at fugiens trahis ad tua vela parentem.
Hæret enim velis pendula præda parens.
Quò Notus immenſo ventoſa per æquora curſu
Te rapit, huc matrem cogit & ille rapi.
Nec tam cura meæ me detinet anxia vitæ,
Quàm tua fluctiſono ne cadat orbe ſalus.
Tot dubijs ventis, pelagique erroribus actus
Neſcit ab iratis viuere tutus aquis.
Qui vaga lina nigros facili pede flectis ad Indos,
Non potes, ah! animi flectere fræna tui?

Cernis,

Cernis, vti facili manus errat habilliſsima clauo,
 Molis & immenſæ pondera flectit aquis.
Quaque lubet dominâ de puppe volubile proræ
 Verſat iter, famulo quam iubet ire mari.
Nec breue cor (quota, quæſo, tui cor portio ?) iuſto
 Imperio frænas, quò mea iuſſa vocant ?
Durior at ſaxo, quod mollibus obſtrepit vndis,
 Reſpuis auerſa, quas damus, aure preces.
Cur mihi non rapidis cor emicat exſul in alis,
 Præpete quò liceat carbaſa corde ſequi ?
Sæpè quidem, memini, velo remoque carinam
 Sum mihi viſa ſequi. ſed niſi ſomnus erat.
Somnus erat, volucri ſed ſomnus inanior aurâ,
 Quæ vehit, Eoo quam regis orbe, ratem.
Quin etiam (triſti timeo ſit in omine pondus)
 Naufragij vidi ſomnia gnara tui.
Quod metuit, ſibi fingit amor, non optimus augur.
 Vana licet, veri eſt cauſa timoris amor.
Naufragiis infame fretum quis neſcit ad Afrum
 Litus, vbi iugis marmora damnat hyems ?
Quæ non ſollicitis Thetis eſt ſulcanda carinis,
 Torquet vbi abruptas dira Charybdis aquas ?
Dic vbi non cæcas portus conuoluit arenas,
 Mors vbi non dubijs Syrtibus atra natat:
Dic vbi non raucis allatrat Scylla moloſsis
 Anxia vela graui naufraga pænè metu ?
Vt portum teneas, ſtat ſæuius æquore litus:
 Occurrunt toto litore mille feræ.
Hîc Scinis, hîc Sciron, hîc cum Scirone Procuſtes,
 Hîc ieiuna feris mors Diomedis equis.
Hîc portenta Deûm metuenda minacibus aris,
 Hîc & ab Arabio cornua torua freto.
Pardalis hîc, parduſque Syris ſata bellua regnis,
 Et quæ non Indo monſtra proterua ſolo ?
Vnus an innumeros tu viceris ergò leones ?
 Viceris & toruas, horrida caſtra, tigres ?

Fors

Fors timor hic vanus: timeo tamen omnia gnato,
Quid niſi de gnato damna timenda meo?
Quis ſapiens iuſto nolit dare vela timori?
Si tumidis vndant fœta pericla minis?
Prouidus ergo, precor, venturis proſpice damnis;
Et pia cura ferat, quam negat error, opem.
Et tandem viduos, mea vita, reuiſe penates;
Quo ſteterunt cunæ, quære ſepulcra ſolo.
Inſpice palantes cæli per inania turmas,
Erudient curas plumea caſtra tuas.
Exſul ouans hiemis crepitante ciconia roſtro
Deſertos Libyco quærit ab orbe lares.
Miluius æſtiuis memor aduolat aduena campis;
Et repetit niueas pura columba domos.
Atque vbi Threïcijs Itylum non repperit oris,
Heſperiâ Progne figit in arce torum.
Et quæ non volucris, quæ non gens ſquamea ponto;
Quò fugit, inde redit; quò redit, inde fugit.
Idque, ſuis vbi certa dies iter imperat horis,
Nuntiaque edicunt aſtra vel aura fugam?
Quos ſalſo Thetidos demulſit ab vbere riuos,
Fons ſatur in ſalſas nonne refundit aquas?
Vt viridi de matre breues ſemel abſtitit exſul,
Ad matrem refugo vimine ramus adit.
Vix radium de ſole leui diuulſeris ictu,
Ad ſolem radius ſaucius ambit iter.
Et quid ego memorem vitreâ quæ ludit in aurâ,
Vt ſpeculum conſors quærat imago ſuum?
Nec, Franciſce, pias, mea cura, recurris in vlnas,
Vnde trahis vitæ gaudia prima tuæ?
At, mea ſpes, Indâ fugitiua vagaris arenâ,
Siue Molucca vocat, ſiue Malaca tenet.
Vlla nec Heſperiæ te gratia tangit alumnæ,
Dum perit Heſperijs triſtis alumna plagis.
Vt quid adhuc iniuſta meas metit India meſſes?
Nec redhibet iuſtam, quæ redhibenda, fidem?

Diſſidium crudele! ſuâ ſi concidat orba
Prole parens, proles orba parente cadat.

EPISTOLA XX.

ARGVMENTVM.

IN Xauerio caſtello, atque adeò in ipſâ natali Franciſci domo, ſacellum eſt, vbi Chriſti crucifixi effigies religioſiſſima & illis locis antiquiſſima viſitur. Hic prodigium fuit viſu euentúque mirabile. Conſtat ligneum hoc, quod dixi, ſimulacrum, quoties Xauerius grauius aliquid pateretur in Indiâ (quod ex eius litteris domeſticî collatis temporibus compererunt) haud dubio ſudore fluxiſſe: porro eo ipſo anno quo Xauerius exſtinctus eſt, feriis ſextis deinceps omnibus per annum totum ſudaſſe ſanguine: ſudandi autem initium feriâ item ſextâ feciſſe. Quod homines ſic ſunt interpretati, perinde quaſi Franciſci (qui crucis mortificationem iugiter in ſuo corpore portauerat) mortem poſt maximos ac diutinos labores Chriſti cauſſâ exſudatos portenderet. Iam itaque Xauerij mater ediſſerit vt in arce Xauerianâ crux lignea ſæpiùs occultâ vi illacrymans, ſuos matris & Xauerij dolores deploret. Turſellinus in vitâ Xauerij lib. VI. cap. IV.

MARIA XAVERIA FRANCISCO FILIO.

NATe redi, matriſque graues ſolare dolores;
Sic ſuadet patriâ quæ nitet ara domo.
Sic ſuadet pietas matrem miſerantis Ieſu:
Ille meos caſus, & mea damna gemit.

Scilicet Hiſpanis Nain eſt altera terris,
Mater vbi gnato cum pereunte perit.
Si lubet, auſpicium longæui triſte doloris
Accipe: crux mœſtis exprimit illud aquis.
Desertâ pro matre loqui iam cœpit Ieſus:
Pro verbis lacrymæ muta per ora fluunt.
Dum ſolitos pietas ſuperis inſtaurat honores,
Xaueriana ſtatas immolat ara preces.
Crux ſuper inſiſtit de buxo raſile ſignum:
Hic moriens fabrâ viuit ab arte Deus.
Crux ea (prodigium!) tacitos diſtillat in imbres,
Liquitur arcano viuus in imbre dolor.
Excepi teretes conchâ Nereïtide rores:
Hinc eſt & chartis facta litura meis.
Videris: hac, dices, flens in cruce viuit Ieſus.
Saucius an geſtit rurſus, vt antè, mori?
Crux aliquem miſerata, nouis circumfluit vndis,
Et queritur lacrymis non ſua damna ſuis.
Deploras, mihi crede, meos, Franciſce, dolores,
Fortunæque memor non minus illa tuæ eſt.
Scilicet illa tuis hæret defixa medullis,
Quique tui eſt ſenſus cordis, & ille crucis.
Hinc ſudat tacitos buxum lacrymabile rores,
Et didicit gnato cum patiente pati.
Id ſimul aduerti, Chriſti morientis imago
Quid moneat; cœpi triſtis & ipſa mori.
Saucia nunc Ieſu clauis, nunc ſaucia ſpinis,
Tot roro lacrymis, crux quot inundat aquis.
Ardet & eluctans ardenti pectore mœror,
Queis premitur flammis, clámue palámue queri.
It vox in gemitum; ſed iterum reſorbet anhelus
Verba dolor, labio qui ſedet exanimi.
Rurſus anhela traho lento ſuſpiria queſtu,
Semianimumque animâ cor fugiente tremit.
Rurſus eunt lacrymæ iam dona ſuprema doloris:
Vena ſed exhauſtis aret aquoſa genis.

Pectora

Pectora ſi gemitum fruſtrant, & lumina fletum,
Includitque flagrans ignea tela dolor;
O mihi cor lato ſeſe diffindat hiatu,
Omnis vt hàc imo transfluat vnda ſinu,
Guttaque vitales ſimul ebibat vltima ſuccos,
Et pia victuri teſtis amoris eat.
Sed quid ego lymphas bifidâ deriuo ſcatebrâ,
Sanguineas bipatens cor vbi fundet aquas?
Quem mihi nolo mori, cor viuidus exedit ignis;
Exedat, ô! grato me iuuat igne rapi;
Si modò Franciſco redimant mea funera vitam,
Biſque meâ gignam vel nece facta parens.
Victima cur nondum gnati votiua ſaluti
Occido? nec viuis immolo corda focis?
Forſan erit, ſanctis cui grandior hoſtia flammis
Concidat, & multo ſparſa iuuenca mero.
Aſt ego parua ſacris adolebo dona fauillis,
Et minor in parco victima thure cadam.
Si non magna peto, ſint non ingrata Tonanti,
Quæ lito dona: breuis placat & agna Deum.
Sic ego curua meo ſubſtringens brachia Ieſu,
Adſpiranſque cauis oſcula anhela labris.
Deinde crucem blando cœpi mulcere ſuſurro,
Quæ plorat lacrymis humida, credo, tuis.
Annue iam tandem, dixi, miſerata parentem,
Quod rogat aſſiduo victa dolore parens.
Quoſque tibi toties reparas, compeſce dolores,
Inque tuo lacrymas ſiſte dolore meas.
Xauerium rediuiua precor ne vulnera lædant,
Parce tuis, Ieſu ſpes mea, vulneribus.
Siqua luenda piacla manent, aut peccat alumnus,
Supplicium infelix hauriet omne parens.
Explebo numeros noxæ, quos imperat vltor,
Satque ſuperque crucis gnatus acerba tulit.
Nônne tibi Virgo dum ſtabat proxima, luctus
In ſua tranſſumpſit viſcera & ora tuos?

Inque ſuas lacrymas transfudit amara cruorem,
Vulneraque, hamati quæ peperere rubi?
Et mihi fas fuerit dare iuſta piamina gnato,
Dummodò ſic matris ſit memor ille ſuæ.
Quæ rogat eſt mater, meritum quò reddat alumno
Officium, & duram leniat alma necem.
Spicula mille ruant: haud deprecor anxia vulnus,
In caput hoc leui ſpicula mille ruant.
Dummodò ſim clypeus, quo fida tuebor alumnum,
Perfodiant poſtrum tela cruenta latus.
Ferrea dum gnatum cupido mors appetit ictu,
Viuat, io! viuat, dum cadit icta parens.
Xauerio mors parce meo, qui criminis exſors,
Inque reæ matris funere plecte ſcelus.
Noxia ſum, fateor; patrias crux teſtis ad aras,
Quid ſcio, num crimen defleat illa meum?
Quidquid id eſt, quoties alios dolor admouet ignes,
Xaueriumque nouo vulnere noxa grauat?
Cerne, domi, licet exſul abeſt Gangetide ripâ,
Illacrymat gnato crux lacrymoſa meo.
Tunc ego flens voueo (voti ſit in omine pondus,)
Vt Deus alterutro mutet in orbe vices.
Nempe vel Heſperias tunc immigret India terras,
Heſperis aut Indas immigret ora plagas:
Vt coràm ſic blanda queam lenire dolores,
Xaueriaſque feram dein comes ægra cruces.
Aut me Callaïco tranſmittat ab orbe Moluccas
Dux amor, aërium qui ſecat ales iter.
E tereti Vates ſi crine pependit ad auras,
Præpes in Aſſyriâ quem ſtitit vrbe comes:
Et mihi cæſaries quâ forti pendula dextrâ
Deferar Eoi ſolis ad vſque domos.
Aſpera tum leni mulcerem vulnera ſucco,
Extraheremúe piâ tela ruboſque manu:
Appoſitâ nigros ſiccarem ſindone rores,
Membraque puluereo ſqualida facta ſitu,

Et

Et ſalſos vapidis quos artubus incoquit imbres
Sudor, odora ſuo ſpargeret vnda thymo.
Denique ſi gnatum mors opprimit impia ferro,
Quâ gnatus, caderet mater & icta manu.
Dignius obſequium ſic ferrem mater alumno,
Quàm dare ſumma pijs oſcula luminibus.
Eia faue, crux alma, faue; ſi debita poſco,
Vt quid adhuc, buxo durior, æqua negas?
Xauerij, credo, ducis de corde rigorem:
Xauerius durâ ſed cruce corda trahit.
Tu tibi tam diſcors ſenſu cur impare pugnas?
Inque breui buxo diſſona bella cies?
Liqueris in lacrymas nati miſerata labores,
Ad matris lacrymas, ceu petra dura, riges.
Nil tot adhuc valuere mei ſuſpiria cordis,
Surdaque queis toties ſidera tundo, preces?
Si tandem placidis crux annuis obuia votis,
Sentibus hærebit multa corona tuis.
Pendulaque intexam gemmata monilia vinclo,
Qualia litoreis colligit Indus aquis.
Quin & odoratas paſcent opobalſama flammas,
Aurea queis puro lux parit igne iubar.
Et dicam: Suaues ea fax vt ſpirat odores,
Sic gnatus vitæ lampas odora meæ eſt.
Dulce quid vt fragrat tua quam parit India nardus;
Sic &, gnate, tuus dulce quid halat amor.
Sed mihi tam dulces quando ſol annuet ignes,
Nunc vbi nox oculos incubat atra meos?
Spero quidem; ſed ſpes longos ſpem trudit in annos.
Hæc inter rapidis mors ruit acta rotis.
Hos tibi, gnate, pios genitrix ſuſpirat amores,
His lacrymis ſocias addit acerra preces.
Ante crucem mater ſed vbi flens ſupplicat aris,
Ah! noua crux matri factus es ipſe tuæ.
Nec matris gemitus, nec res miſerabere fractas?
Durior an buxo cornea fibra riget?

An tibi, quos tandem flectis, truculentior Indis
Eſt animus, ſiccis qui legat iſta genis?
Anne tibi pluris quis neſcio fuſcus ab Indo
Hoſpes, & hoſtis atrox, quàm pia mater erit?
Quid tot adhuc lacrymis ſtas illacrymabile ſaxum?
Num, quo te peperi, ſaxeus ille ſinus?
Aut, vbi barbariæ luſtris & montibus erras,
Te docuit mores barbara terra ſuos?
Ad ſcopulos (tantum ſi fas ſit credere crimen)
Imbibis hæc, pelago ſurdior & ſcopulis.
Ergóne Xauerij nullus ſub pectore viuit,
Hei mihi! Xauerius, qui mea vota legat?

EPISTOLA XXI.

ARGVMENTVM.

Dolet filij moram in Indiâ, optátque, ſi eo viuens frui non poſſit, ſaltem cum eo in Indiâ ſepeliri.

MARIA XAVERIA FRANCISCO FILIO.

NAte, pias necdum matris dolor appulit aures?
Nil oculos pupugit mœſta litura tuos?
Supplicijs fœcunda ſuis & luctibus ætas
Ducitur, ærumnis nullaque meta meis.
Nata, renata nouos mihi parturit hora dolores,
Dic mihi, quâ quæram parte ſalutis opem?
An forſan reduces Euro pelagóque fauente
Indica Luſiadas mox feret vnda rates?
O vtinam! placidos obſeruo ſedula ventos,
Et vaſtas oculo præpete metor aquas.

Mul-

Multaque cùm rediit felici ſidere claſſis;
Nulla tamen natum candida prora refert.
Nate, nimis durus miſeræ fractæque parenti,
Quam ſubigis lentæ tædia ferre necis!
Cerne, precor, qualis viduæ te cura ſenectæ
Tangat, in extremos cùm fugis exſul agros.
Nec caput innumeris metuis pepigiſſe periclis,
Auſus inexperto credere vela mari.
Pulchra ſed auſa iuuant, quà te rapit entheus ardor,
Et patet in laudes India tota tuas.
Laudo fidem (ſed enim modus imperat æquus amori)
Nulla ferat pulcher ſi modò damna labor.
At nimis inſonti pietas damnoſa parenti;
Pænè tot eſt lacrymis impia facta meis.
Parce, precor, nimio ſi peccat lingua dolore:
Sæpè dolor cogit me ſine mente loqui.
Nam ſimul his oculis Xauerius abſtitit, eheu!
Deficit, & longis mens ſtupet ipſa malis.
Nec magis exactis numero iam ſolibus horas,
Sed numero damnis tempora lenta meis.
Durus amor, decimum qui fræna momordit in annum,
Vt quid adhuc ſurdâ reſpuit aure preces?
Te pietas, longo quem flectere debuit vſu,
Durat, & immitis pectora ſtringit hiems.
Saxa vel ipſa mei tandem vis vincat amoris,
An maiora tuum frigora pectus habent?
Haud alius quiſquam ſic ferreus aſperat aures,
Vt non tot lacrymis molliat ægra parens.
Stabis adhuc Indis tot ſolibus vſtus & Auſtris,
Ad patriam gelidas ſegnis inire vias?
Quin etiam (ſic fert noua fama; nec abſona vero)
Diceris extremis vela vouere Sinis:
Vt tibi longinqui modò meta Molucca laboris,
Non niſi ſit curis iam via prima tuis.
Quæque ſuo defixa ratis ſtat litore, rurſum
Vertitur in curſus, & noua vela facit.

Et Iaponas vicisse parum: noua nauigat Argo,
  Auiaque inuitas abripit aura trabes.
Ex alijs alios virtus emenſa labores,
  Semper anhela, nouis ſemper itura vijs.
Nempe quid anguſtum cæleſti eſt mundus amori,
  Hic modus eſt votis, qui modus orbis erit.
Fallendi ſic mille vias arteſque dolori
  Inuenit pietas ingenioſa meo.
Scilicet Oceanus nullis quos fluctibus ignes
  Vicerit, immenſos paſcit, vt Ætna, rogos,
Thureaque vt ſanctis ardent altaria flammis,
  Cor ardet vapidis ſic pyra viua focis.
Viuite felices auguſtâ ſorte parentes,
  Queis licet à gnatis oſcula ferre ſuis.
Aſt mihi (prô quali me vis grauat inuida damno!)
  Qui vetus antè dolor, iam noua cura redit.
Spes niſi felici tandem expleat omine votum,
  Non valeo, quamuis ſalua, ſalute frui:
Si modò ſalua parens, cui lugubre tota ſepulcrum
  India, natus vbi geſtit vbique mori,
Sic mihi lenta meæ ducuntur ſtamina mortis,
  Stamina, quæ triſti liuida felle virent.
Nate, tui quoties animum memor impulit aura,
  Et linguam toties impulit illa meam.
Hinc titubat, blæſoque labat vox balba palato,
  Atque in Franciſco vinctus obhæret amor:
Franciſci nomen pro nomine fratris oberrat,
  Nam mihi Franciſcus Sancius alter erat:
Nî potiùs ſanctus. Sic fama renarrat ab Indis,
  Nec minus Heſperijs accinit æqua plagis.
Sed pietas quid ſancta iuuat ſine prole parentem,
  Vt mihi ſuccreſcat ſæuior inde dolor?
Et magis inuideat tantum decus orbis Iberus,
  Quod rapit iniuſtis barbara terra modis?
Ipſe ſed obſcurò nouus ibis Eous Eoo,
  Sidereo Chriſti qui trahit ore iubar.

Dulce, nec inuideo, cæco iubar affer Eoo,
  Si tamen Heſperio reddis & orbe diem.
Immemor Heſperij ſed enim fugis orbis ad Indos,
  Et fugis infeſtis irreuocandus aquis.
Perfer & obdura, Spes obuia ſæpiùs inſit;
  Quam tulit vnda, redux mox dabit aura ratem.
Tu tamen, ô! miſeræ vanam ſpem ludis alumnæ:
  Numquid & in ſancto pectore vana fides?
Obteſtor Zephyros, volucres obteſtor & Euros,
  Et quæcúmque vagis obſtrepit aura fretis:
Vos Atlantæis vada grande ſonantia ripis,
  Lubrica queis fluxâ denatat vnda viâ:
Teque adeò roſeis Aurora reuecta quadrigis,
  Aurora ô nitidum quæ vehis axe diem:
Indica maternas ad regna referte fauillas,
  Hoſpita barbarico quas tegat vrna ſinu.
Viuat vt ille mei memor, & memor ara parentis,
  Noſque ſepulcrali mors tegat æqua toro.
Concordes gemino ſic mors leget orbe fauillas,
  Heſperioque ſuas iunget Eous opes.
Orbis vterque breuem ſe tunc mihi claudet in vrnam,
  Amborum cineres ſi breuis vrna capit.

EPISTOLA XXII.

ARGVMENTVM.

QVeritur Maria Xauerium ſuum tot in Indiâ periculis obiectari: quorum vel ſolâ recordatione exanimari ſe ſcribit. Ad extremum eius reditum in Europam vrget, ſi non videnda conſolandaq́ue, ſaltem ſepeliendæ matris gratiâ.

MA-

Me quibus inſidijs fallax amor appetit hoſtis,
Filius in matrem dum maris armat aquas?
Ille, meo gremio quem diripit India, gnatum
Æquora nimboſis cogit arare vijs.
Et nunc Taprobanem, nunc ſuadet adire Moluccas,
Mauriacoſque rogos, clauſaque regna Sinæ.
Credo, ſuas pennas, Indum queis peruolat orbem,
Xauerio volucris ſponte reſignat amor.
Et poſitis alis capit hoc ſub corde quietem,
Et regit hîc dominâ ſceptra decora manu.
Inde ſed, heu! rapidâ pennatas morte ſagittas
In caput hoc Indo mittit ab orbe dolor.
Nec dolor hic ſimplex, terris qui ſæuit & vndis,
Mille per ærumnas ferrea ſæcla trahit.
Malueram celeri, ſineret dolor, æquora remo
Scindere: ſed tardâ compede ſiſtit iter.
Hinc mors indomitas rapit ad mea buſta quadrigas,
Vixque trahit parcas, quæ fugit hora, moras.
En de ſollicito vitæ quaſi pendula filo,
Omnibus è canis anxia cura tremit.
Vt quid vana queror? mortis cur deprecor ictum?
Si qua nocet, noceat; ſpes vbi victa perit.
Heu! vbicumque vagas palaris vt aura per vndas,
Errat & hiſce mei funeris vmbra vadis.
Conſului Tethyn; Tethys necis omina ſignat,
Votaque cum velis turbo ſalumque rapit.
Conſului litus; ſtat litore mortis imago,
Hîc & Xauerium ſors manet atra meum.
Dum queror, ambiguas quis neſcio perpulit aures,
Aut ſonus, aut blandi cæca figura ſoni.
Suſpicor à Zephyris (an ſit pars fraudis in illis?)
Inſidias. dixit ſpes bona, Pone metum.
Audijt aura preces. Celeres admittit habenas
Pinus ab Eois læta redire plagis.
Veliuolis cum puppe redux adremigat alis
Spes mea, cui liquidum ſufficit Eurus iter.

Nam-

Namque ego ſperabam mecum ſic corde volutans;
Qui ſemel, haud ſemper deſeret exſul amor.
Fracta tot vndoſis iam tandem vita procellis,
Franget & hæc animum, ſpes mea gnate, tuum.
Verùm litoreis Franciſcus inhæret arenis,
Et ſtat Callaïco ceu petra ſurda mari.
Quæ ſuper vna ſedet fœcundæ gloria matri,
Nate, tui partûs mors mea pignus erit.
Sanguinis hoc pretium, niueique hæc gratia ſucci eſt,
Vt meus, ah! ſanguis nil niſi vulnus alat?
Vtque feras pelagique minas, cælique furores,
Nec mihi, quam debes, des, mea vita, fidem?
Cui matris ſic ſordet amor, quod deprecor, vnum eſt:
Te ſine quæ nolit viuere, coge mori.
Vtque facis, cogis. nec enim ſpes longiùs exſul
Relliquias vitæ ſuſtinet vlla meæ.
Aſt ego fortè nocens ſancto non æqua labori
Si noceo, noxam vindice plecte morâ.
Suſpicio noxæ ſed nulla, nec vmbra parentem
Tangit; at omne meo crimine crimen abeſt.
An non lac bibulis immulgens dulce labellis,
Et cum lacte dedi cor tibi, gnate, meum?
Et ſimul affudi tutæ pia vota ſalutis,
Vt tenero virtus creſceret alma ſinu?
Hæc eadem nunc cura ſedet, nec ſegnibus annis
Mutor: adhuc gremio gliſcit adulta meo.
Id, credo, meruit pietas, vt dulce parenti
Obſequium ſero munere, gnate, feras.
Satque ſuperque datum nigris, quos abluis, Indis,
Iam tempus refugæ ſoluere fræna rati.
Æquoreus necdum faciles auriga recurſus
Spectat, & inuiſis vela retorquet aquis?
O vtinam, varijs ſe mutat vt aura ſub aſtris,
Sic mutanda nouum prora reflectat iter!
Lumina quò gelidæ claudas moribunda parenti,
Atque feras cineri dona ſuprema meo.

Iuſtior

Iuſtior ecquis honos? quis dulcior vſus honoris,
Quàm cui do vitam, te dare iuſta necis?

EPISTOLA XXIII.

ARGVMENTVM.

LVctu anniſq; fracta mater poſt varios ad Franciſcum *reuocandum nuntios fruſtra miſſos, imminente iam morte, vltima ad filium mittit ſuſpiria, rogatq; vt in Europam redux materno ac nobilium atauorum ſepulcro cineres quoque ſuos inferri ſinat, maiore cum gloriâ patrio in ſolo, quàm in barbaro conſeruandos.*

MARIA XAVERIO FRANCISCO FILIO.

HEſperus Eois quam diſtinet orbis arenis,
Et mare longinquis diuidit hoſpes aquis,
Hæc ego longæuis mater fœcunda querelis
Xauerio lego verba ſuprema meo.
Iamdudum volui clauſas euoluere curas;
Sed mea qui ferret nuncia, nullus erat.
Miſimus hinc puppes; ſurdum ſtat puppibus æquor;
Miſimus & lacrymas; has maris vnda bibit.
Miſimus errantes per plana, per alta veredos;
Nullus at huc Indo fræna reflexit eques.
Miſimus & curas; curæ, res neſcia famæ;
Miſimus & famam; neſcia fama redit.
Tum dixi, ſuffuſa genas, & ſaucia planctu;
Hei mihi! tam tenuem denegat orbis opem:
Tam tenuem negat orbis opem, negat improba Doris.
Quid leuius cerâ, quam leuis aura ferat?

Nunc

Nunc igitur cui terra fidem, cui fallit & æquor,
Quod ſupereſt, votis tertia regna ſequar.
Fortè meas Zephyrus, nato quas mitto, tabellas
Deferet, aut fido deuehet Eurus equo.
Obſequiumque piæ præſtabit amica parenti,
Sedula quod nato præſtitit aura meo.
Vos ergo Zephyri properis vaga turba quadrigis,
Pennipedes Euri, pennipedeſque Noti;
Ite, redite, graues matris narrate labores,
Xauerioque meo dicite triſte Vale;
Seu potius ſalue (quod enim dabo gratius omen?)
Siqua ſalus, vbi ſpes tota ſalutis abeſt.
Dicite, & ima nouos vt traxit in oſſa dolores
Ægra parens, lento cœpit & igne mori.
Hæc ego iuſſa dedi rapidis ſuper æquora ventis;
Hei mihi! ſed fallit ventus & vnda fidem.
Si vox nulla pijs interpres amica querelis
Hactenus appulerit, quæ mea vota ferat:
Accipe mente pios quos diripit aura ſuſurros:
(Abſens abſentes nam procul audit amor)
En ego, cui luctu corpus iam marcet & annis,
Labenteſque genas ruga ſenilis arat.
Si tamen annumeres, quos iam confecimus, annos,
Ante ſuam venit curua ſenecta diem.
Scilicet hanc natus terris iactatus & alto
Attulit: hinc vitæ facta ruina meæ eſt.
Incumbo tumulo. grauis hæc ſpes ſumma ſenectæ,
Hæc ſacra ſtat votis ancora pacta meis.
Quò mihi vita, meæ ſpes ſi fugit vltima vitæ,
Et procul ignoto lux mea ſole perit?
Gnate, precor, patrio mecum decumbe ſepulcro,
Et cinis hîc cineri ſit tua iuncta meæ.
Exſpectant atauûm manes, vmbræque parentum,
Oſſibus oſſa pari iungat vt vrna ſinu.
Vt quid amas cineres ignotâ condere glebâ,
Siue procelloſis perdere funus aquis.

NI

Nî fòrs (magnanimis quid non amor imperat auſis?)
Vis dare veſanis viſcera noſtra feris.
Aut lacer in dumos ſpargi ſine nomine corpus,
Aut inhumata putri gleba iacere ſolo.
Ecqua peregrinis floreſcit adorea buſtis?
Nónne viret patriâ gloria maior humo?
Nónne ſuprema parens hîc dona parentat alumnis,
Et vouet inferias officioſa ſuas?
Ac tumulum ſtatuit, ſolemniaque addit auorum
Præmia? an hæc Indo dona repoſta ſolo?
Cui fracto iam marcet iners vigor igneus æuo,
Euge ſepulcrales hîc tibi quære domos.
O ego quàm felix tunc vixero poſtuma leto,
Si mea das ſanctis oſſibus oſſa frui!
Quis ſcit, an vt ſanctos tumulo ſociaueris artus,
Gratis odor tumulo non fluat inde meo?
Gratus odor, qualem tua dedicat India Diuis,
Siue ſuâ caſiâ, ſiue liquente croco.
Sic vbi, nate, pari iunges cum funere funus,
Tunc pôtero cineri nil timuiſſe meo.
Quam nunc exſul inops Gangetide temnis in orâ,
Priſca Nauarræis gloria ſurget agris.
Priſtinaque antiquos tibi fama reponet honores.
Reddit enim ſpretum gratia ſera decus.
Torus & electro, totus contextus & auro,
Excipiet mortis pignora clara torus.
Nec decet, vt pulchris deſit Serrana fauillis
Purpura, & Aſſyriâ fimbria picta manu.
Scilicet æqua ſacras decernit gloria palmas,
Pauper vbi virtus præmia ſpreuit opum.
Hîc denſos inter clypeos, proauûmque ſariſſas,
Et tot inauratis dona repoſta tholis,
Purpureoſque inter calices, & thuris aceruos,
Et necis & vitæ poſtuma iura dabis.
Inter & heroas, tunc inter & heroinas
(Gloria queis pulchrum ſignat auita decus)

Eximium patrias iubar irradiabis ad aras,
  Ceu ſol aſtrigero gloria prima choro.
Forſan vbi violas ſacrâ quis ſparſerit vrnâ,
  Ver violis, iſto ſole, perenne fluet.
Si quid enim ſanctis defert pia turba fauillis,
  Fœnora Diuorum grata fauilla refert.

R. P.

R. P.

BALDVINI CABILLAVI

E SOCIETATE IESV

EPISTOLARVM

HEROVM & HEROIDVM

LIBER SECVNDVS.

Digitized by Google

Digitized by Google

EPISTOLARVM HEROVM ET HEROIDVM LIBER SECVNDVS.

EPISTOLA I.

ARGVMENTVM.

LVDOVICVS Pius, Caroli Magni filius in tres filios Carolum, Ludouicum & Pipinum diuiſo imperio, commendatáq; enixè eorum patrocinio Romanâ Eccleſiâ piè obit: poſt annos tamen triginta & amplius ab obitu ſuo, Ludouico filio Veronæ apparet, depoſcens ſupremam opem, quâ poſsit à piacularibus flammis eripi. quem in finem toto Imperio iuſsit Ludouicus patrios manes incruento ſacrificio expiari. His autem datis ad fratrem litteris aſſerit, ſibi in templo oblatam parentis ſui miſerandam ſpeciem auxilium poſtulantis, fratremq; hortatur, vt purgantibus flammis ſociâ manu patrem eximat. Baronius Tomo x. ad annum Chriſti D. CCC. LXXIV.

Lvdovicvs Rex Germaniæ Carolo fratri Imp.

SI liber, auſpicium diri ferale doloris
Accipe, luctificâ quod tibi ſigno manu.
Et, minimè quod rere, Pius quæ mittit Auerno,
Heu! genitor, ſiccis perlege ſcripta genis.
Quis nouus has Stygio tulit hoſpes ab orbe tabellas,
Quæris? eas Orco lugubris vmbra tulit.
Me de more ſacram pia cura vocabat in ædem,
Annua ſolenni dum facit ara ſacro:
Contriſtantque ſuis velamina pulla tenebris
Templa, diu fuluis irradiata tholis.
Feraliſque nigro cuſtos in poſte cupreſſus
Excubat, vt luctus excitet atra meos:
Funeſtoque oculos inceſtat honore feretrum,
Quo pater, & proauus, funebre ſedit onus.
Hæc vbi ſpecto gemens, libaminaque addo doloris,
Et lacrymas, functis lugubre munus auis:
Ecce repens mugire ſolum: mihi viſa moueri
Templa, ſimul triſtes exululare ſpecus.
Diſſiliere cauis dirupta ſepulcra latebris:
Crede, tremens trepidam diuidit Orcus humum.
Haud magis immani terram dirumpat hiatu,
Turbida flammando quæ furit Ætna iugo.
Emicat hinc rutilas certè ſcintilla per auras,
Plurimaque in volucri ſulfure flamma vibrat.
Quaque volat, tenues oculis celer aucupor ignes;
Ambuſſit teneras flamma maligna genas.
Ingemui, trepidoque excuſſi lumine noxam;
Namque dolor ſalſis ora rigabat aquis.
Vix benè diſcuſſi: rurſus nouus inuolat ignis,
Rurſus edax vrit lumina mœſta vapor.
Attamen inſpexi volitantibus vndique flammis
Infeſtam, proauûm quâ cubat vrna, ſpecum.

Me

Me tenet vſque noui tam dira libido doloris.
  Tantus erat flammæ, quâ miſer vror, amor.
Luſtro ſagax buſtum: furuo quid neſcio buſto
  Candicat; id tetigi: candida charta fuit.
Sic tamen, vt trahat informes ambuſta lituras,
  Et propè fumoſo tota ſit atra rogo.
Inſpicio: nec opus, relinam reſtemque ſigillumque,
  Vſſerat infelix cerea ſigna focus.
Inſpicio; diras quo vis loquar ore querelas?
  O miſere, cæcus cætera fumus obit.
Credo, ſtylus cœpit, *miſeremini*, arare; ſed hauſit
  Improba flamma ſtylum: littera trunca ſtetit.
Noſco notas, ſignumque, preceſque agnoſco parentum,
  Et lacrymas; lacrymas ſi tamen ignis alit.
Hei mihi! bis cecidere manus, cecidere tabellæ:
  Anxius has Stygiæ decutit horror aquæ.
Vt verò trepidos collegi pectore ſenſus,
  Tum demum patrias voluo, reuoluo notas.
Vix lego; me primâ mens ægra in voce reliquit.
  Porrò legam; durus ſerpit in oſſa dolor.
Heu! ego longæuæ tot poſt diſpendia mortis,
  Gnate, preces medijs has tibi lego rogis.
Cui ſeri iam tuta ſedet fiducia caſus,
  Forſitan ante diem te mea fata manent.
Sis memor, ah! hodie mihi mors quos educat ignes;
  Cras tibi dira ſuis nutriet Ætna focis.
Forſan & hac flens vota patris quâ perlegis horâ,
  Ibis & in patrios ignea tæda rogos.
Ergo tuos de morte meâ metire dolores,
  Deque meo ſpeculo tu tibi diſce mori.
Sed potiùs mihi viue, piumque affunde liquorem,
  Vt pius exſtinguat buſta paterna liquor:
Æthereaſque irrumpat ouans tum ſpiritus arces,
  Quem tenet hîc duris nexa catena moris.
Volue, reuolue putres ambeſa per oſſa fauillas:
  Eſt præter cineres, inde quod æthra ferat.

Nempe procul viduo qui corpore demigrat exſul
  Spiritus, hinc cælo dulce reflectet iter.
Quoſque priùs gelidâ mors falce retexuit artus,
  Artubus intexet vita renata ſuis.
Ignea cæleſtis, neſcis? hîc ſemina flammæ
  Abdidit exſangui puluere ſera ſalus.
Abſtruſos ſilicum venis vbi condidit ignes
  Terra parens, viuas elicit arte faces.
Vitales gelidis ſic & Deus oſſibus auras
  Abdidit, æthereâ quas dabit ite domo.
Iſtud at in longos ſors poſtera differet annos:
  Funde, precor, niueas, nunc quibus vſus, aquas.
Nempe ſitit riguos exuſta fauilla liquores,
  Imber vt arſuros influat inde lacus.
Et benè ſi quæras, diris quis pabula flammis
  Sufficit, aut fœtas ſuggerit igne faces:
Nate, meo tu fomes eras ignique flabellum,
  Et ſeges atra pyræ diues aceruus opum.
Facta tuo vitio mens eſt vitioſa parenti.
  Dum ſceleri parco, quid niſi paſco ſcelus?
Plus nimio blandos quis non indulget amores?
  Quis non diſſimulat facta pianda parens?
Inque ſuum caput arceſſit de crimine gnati
  Fulmina; & infelix, quæ luat ille, luit?
Quid loquar infelix, auri ſcelerata cupido
  Vt fuerit noxis velificata tuis?
Ambitus omnis auûm, dic, nónne nepotis honori
  Militat, vt faſtum faſtus auitus alat?
Quot ſuper ipſe tuo molitus honore labores
  Gnate tuli! quanto puluere ſudor ijt!
Si qua tuis nuper præfulſit adorea regnis,
  Princípe nónne tuli tela cruenta manu?
Tela, ſed in tædas quæ ſæua recudit Erinnys,
  Vt foret ambuſtum flammea tæda latus.
Gnate, quot antè tui clauſi ſub pectore curas?
  Et tibi cura meæ nulla ſalutis erit?

Ardeo,

Ardeo. Flammatis ardens, viden', vnda medullis
Æſtuat, & piceos euomit alta globos,
Nec patris miſeret? ſtringunt tua lumina flammæ,
Nec mihi, qui flammas temperet, imber erit?
Non ea Mæotis Tanaiſue incendia vincat.
Tu tamen hæc parco vincere rore potes.
Et modicæ tu parcis aquæ, quam prodigis amens,
Dum leue quid regnis ſors inimica mouet?
O quàm ſæpè fluunt tibi largis humida riuis
Lumina? quot lacrymas puluis auara bibit?
Sed lacrymas, non illa quidem quas exprimat ardens
Flamma patris, damnum ſed breue gignit opum.
Das leuibus noxis, quod non das, nate, parenti?
Quem grauat immenſis noxia tanta malis.
Sit mihi fas tenues lymphas arceſſere riuo,
Illo, cui ſanguis fons ijt ipſe meus.
Nempe meo tradux duxiſti corpore corpus;
Nec pia de vitæ munere dona refers?
Cerne, mihi penitus populat vis ignea venas;
Nec tamen emollit cor mea flamma tuum.
Durus es, ô! nimium, nimis & tu mollis; inani
Fons es mollis aquâ, durus in igne ſilex.
Quid lacrymas niſi poſco? breui quid parcius imbri?
Tu tamen exiles abnuis aſper aquas.
Facta gemens infecta velim; ſed ſerò piacli
Pœnitet: hæc damnis noxa pianda meis.
Aſt aliena meas expungat gratia culpas
Nunc opus, & puro diluat amne ſcelus.
Nónne graui, mi gnate, patris quo diffluis auro,
Quæ non empta fuit, iam fit emenda ſalus?
Tale tamen nil poſco; pij quid neſcio roris
Quæro; breui cælos rore licetur aqua.
At mihi tu fallis (ſic immemor ergo parentis?)
Quam pepigere ratam vota ſuprema fidem.
Hæc dextræ data dextra? pio ſic ſumma parenti
Oſcula fers, duro ſi fugis ore preces!

Ambuſtos candente toros vbi verſo cubili,
O, quot ego gemitus & ſine voce preces!
Singultuſque & trunca breui ſuſpiria queſtu,
O, quot vota ſacris poſco litanda focis!
Nec tamen vlla litant: raræ ſtant Manibus aræ;
Aridaque in parcâ friget acerra manu.
Vlla nec antiquo ſcintilla ſuperſtes amori eſt,
Quæ tibi cor vrat, dum pyra viua cremor.
Prima ſed inuento te cura exuſſit in auro:
Funeris inde labor; cætera riſus erant.
Curarum nimis, ah! veterumque oblite dolorum,
Excidit infido, gnate, pater gremio?
Siccine (me miſerum!) patrios cum puluere manes
Obteris, inuiſo quos tegit vrna ſolo?
Huc proles ſuſcepta, ſuo quò dira parenti
Noxa ſit, immenſis noxa pianda rogis?
Non mihi te talem Lucina puerpera gnatum
Promiſit, nitido lux cui ſole ſtetit.
Quo genui patrias thalamo, mea pignora, curas,
Hoc agitas feſtis orgia læta choris.
Quoque parens enixa toro natalibus horis,
Totque per ærumnas tædia cruda tulit;
Marcidus hîc bruto noctis trahis otia ſomno,
Imprimit & tenerum plumea ſtrata latus.
Nec tenues volitant circum tua lumina vitæ,
Nec ſedet ad ſurdos vmbra paterna toros.
Non ego terribiles viſu volo ſtridere formas,
Quæque fremant diras horrida monſtra minas.
Mitto procul vaſto portenta minacia hiatu.
Nil facit ad noſtras impia larua preces.
Finge ſed ex vero tranquillâ noctis in vmbrâ,
Dum ſilet in dulces cura diurna moras;
Nocturnam tibi ſtare graui ſub imagine formam,
Cui pyra ſæua latus, ſulfure pulmo flagrat,
Ora vomunt ignes, dirâ ſtant lumina flammâ,
Auris & ardentes euomit atra globos.

Quæ

Quæ tenui tum voce gemat ſtridente ſub igne,
Sitque pater, tenui qui tibi voce gemat:
Gnate, precor, miſeri ſpes, ô! ſuprema parentis,
Qui mea damna, tuas tot modò cernis opes:
Gnate, parum memor, ah! ſi non oblite laborum,
Præmia queis heres diues opima metis:
Te nil vlla mouet tantarum gratia rerum,
Tanta nec, ô durum! diſcutit Ætna gelu?
Molliat, ô! tandem, calidoſque reſoluat in imbres,
Hic æſtus glaciem, quam fera durat hiems.
Eripe me his, ô nate, malis, potes, eripe flammis,
Eripe; quid tardas? Vrimur. vrat amor.
Ah! pius vrat amor: miſeros miſerare parentes,
Qui patri ſimilis cras miſerandus eris.
Quæ rogat eſt mater, partûs in præmia poſcit,
Et pater in pretium dulce laboris, opem.
Heu! ad opis nomen trepido quid lumine palles?
Annè putas ignis quærit auarus opes?
Non fundos, non rura, graui non fœta metallo
Scrinia, non largo munera fuſa ſinu.
Hoc ſibi tempus opis facilem niſi poſtulat vſum,
Ah! petimus facili dona paranda manu.
Ignea ſi neſcis ſibi quid petat vmbra parentum,
Vult tenuem, quam flens ſtillat ocellus, aquam.
Poſcit aquas, heu! poſcit aquas, quis promptior humor?
Gutta nec è madidis affluit vlla genis?
Ferreus immenſis nec dum tu liquere flammis,
Durus vt Ætnæo ſoluitur igne chalybs.
Vna vel hinc ſtrictura tuos ſi mordeat artus,
Tam tenui poſces flumina mille rogo.
Rhenigenas clamabis aquas, clamabis & Iſtrum,
Clamabiſque ſuis hos mare vincat aquis.
Nec tamen immenſos parcus ros impluit ignes,
Gratia ſic patriam fallit auara fidem?
Hac lamenta tenus ſua fudit epiſtola; tanto,
Dum ſileo, vocem præpediente metu:

Hor-

Horrida vox imis delata repentè cauernis,
Ergon', ait, Zephyris ludicra verba dedi?
Ergon' Auernales ſine rore reuoluor in ignes,
Haurior infernis ignea præda focis?
Turbidus en fumis, atrâque voragine gurges
Haurit in abruptum: nec mihi gnatus opem?
Dixerat, ardenti vox trunca pependit hiatu,
Et rapiunt certos murmura cæca ſonos.
Obſtupui ſubito lapſu, tantoque parentis
Attonitus monitu, vix ego ſtare gradu.
Heu! quid agam? quæ vota ſequar? quæ prima dolori
Cœpta, vel inferijs pignora ſumma ſtruam?
Ocyùs euge parem curemus vterque laborem:
Et tuus, & curæ ſit labor iſte meæ.
Eſſe ſui memores iuſſere merendo parentes,
Nec damus vnanimes, quas meruere, preces?
Vt ſocios concors oculus conſpirat in imbres,
Lacryma quò gemino fonte gemella fluat:
Sic etiam geminos fundant duo flumina riuos,
Et vincat patrios vnda gemella rogos.
Fòrs etiam ſeris redimenda piacula flammis
Vſque vel ad Stygias ambo trahemus aquas.
Et cui non oculo, purus quem diluat imber,
Hic de puluereâ puluis adhæret humo?
Nec nos vlla mouent tantarum pondera rerum,
Dura quibus longas exprimet hora preces?
Quòd ſi gnatus amans ſoluit nunc iuſta parenti,
Gratus & æquâ nepos præmia reddet auo.
Nam qui iuſta pijs dare munera Manibus ambit,
Illius & Manes munera iuſta ferent.

EPI-

EPISTOLA II.

ARGVMENTVM.

NOta eſt illa Senenſis Catharinæ ſanctitas, nota in Chriſtum pietas, à quo didicerat arctis crucem fouere complexibus, omnemq́ dulcedinem præ amaritie contemnere; adeò vt ſine doloribus & ærumnis hanc ſibi vitam iniucundam fore fateretur. Obtulit itaque ſeſe oranti ſponſus, geminaſq́ coronas exhibuit, auream dextrâ, læuâ ſpineam, iſtudq́ ſubiunxit: Elige ex his alteram. Cui illa: Volo Domine in hac vitâ tibi ſimilis eſſe: volo tuorum ſimilitudo cruciatuum ſit mihi nunc delicium. Atque ita ſpineum ſertum ſponſi manibus abſtulit, ſuoq́ vertici altè impreſsit. O virginem! cui meritò cor ſuum Chriſtus impertijt feliciſsimâ permutatione. Ardores illa ſuos hac epiſtolâ conatur exprimere. B.Raimundus Capuanus in eius vitâ.

CATHARINA IESV SPONSO SVO.

Sponſe, licet clauſos animi benè noueris æſtus,
 Dulce tamen dulces eſt aperire faces.
Vt tua nocturno ſupplex ad vulnera cælo
 Incubui, mœſtis ſaucia tota rubis:
Manè nouo, Titan terras vbi lampade luſtrat,
 Humida roranti luſtro vireta pede.
Plurimus irriguâ quà voluitur amnis in herbâ,
 Inuitat vitreo me vaga Nympha pede.
Ergo ſequor, ſpatiorque virente crepidine, riuus
 Quà tremulam celerat prata per vda fugam.

Hîc ego, Chriſte, tui pectus cui carpitur igni,
Euoluo grauido flammea vota ſinu.
Suſpiroque graues per gramina læta dolores,
Donec iter nemorum me per opaca tulit.
Ilicò viſa nouos arbos hîc excitat ignes.
Crux mihi ſub quauis arbore viſa queri eſt.
Creſcit adhuc mœror, vocemque attollit in auras;
Ipſaque luctiſonis aggemit aura modis.
Anxia vocales alternant ſaxa querelas,
Ad crucis exemplum quæ didicere loqui.
Hinc exaudiri gemitus, & mœſta ſonare
Nomina: mi Ieſu, ſic, mea vita, mori?
Mi Ieſu, mea vita, mori! ſic Numen in vmbras?
Sic mea lux atrâ nube ſepulta rapi?
Quid? brutos etiam ſyluis dolor ergo dolores
Imperat, atque expers dicar amoris ego?
Quin age, clamoſas mea vox intende querelas!
Hei mihi! vox truncos fruſtrat auara ſonos.
Nec vox ſola fugit. vitreos lux deficit orbes:
Pupula defecto lumine fluxa perit:
Scilicet his oculis ſtata mortis inhæret imago;
Inque meis ſemper crux ſedet vna fibris.
Hîc flagrat, & ſacros venis exſuſcitat ignes,
Spectandumque meus ſe mihi præbet amor.
I nurus, inque vitro vitream tibi quære figuram,
I modò, finge tuum, compta puella, caput:
Et tetricos ſpeculo celer indice dilue næuos,
Et mentire nothâ futile fronte decus.
Haud ego de fragili cryſtalli fraude decorem
Mutuor, aut picto mentior igne roſam.
Omne mihi ſpeculum roſeo de ſanguine Ieſus
Conflat, & è lacrymis temperat ille ſuis.
Quos hîc ſidereos oris contemplor honores!
Tale nec Auroræ parturit aura iubar.
Tale nihil puris fons mimus adumbrat in vndis,
Sol vbi perſpicuis alter inardet aquis.

Tale nihil vitreo pingit Thaumantias imbri,
Quæ virides pulchrâ nube coronat agros.
Tale nihil verni meditatur amœna vireti
Gratia, nec Tyrijs miſta liguſtra roſis.
An pingam ſcribámve, auido quem lumine vidi,
Hæreat vt menti fortiùs ille meæ?
Hæreo inops animi. manus hæret vtrique labori
Prompta: tamen potiùs pingere iuſſit amor.
Ergo ſcabram quercum læui teres aſcia ferro
Edolat, & pandum lubricat æqua latus.
Quin etiam è cedro mihi raſile pumicat æquor
Ars fabra, quo ductis viuat imago notis.
Adijcit & concham, puro cum murice concham,
Quaſque tabella ſitit, mille coloris opes.
Apto ſtylum. quid plura? pios accingor in vſus,
Inque manum mentis colligo ſenſa meæ.
Obuia crux oculis, mortem quæ ſpirat Ieſu;
Quod ſequar exemplo, nobile dictat opus.
Huc oculos intendo, manumque affigo tabellæ,
Iam propè Phidiacas vincere docta manus.
Nunc igitur varios tabulâ ſitiente liquores
Illino, quò picto viuat ab imbre dolor.
Creſcit Apellæo de rore doloris imago:
Et dolor vt creſcit, ſic quoque creſcit amor.
Sæpè ſtylus, dum ſpecto, manu mihi labitur, eheu!
Labitur & ſenſus, ſurripiorque mihi.
Reddere, ſponſe, tuos bis ſum conata labores:
Torpenteſque mihi bis ceci dere manus.
Terque reprendo ſtylum; ter & effugit; effugit vna
Mens animo: mentem crux rapit vna meam.
Crux animum, crux ora rapit, crux luminis orbes:
Quid mihi tunc, Ieſu, mentis & artis erat?
Hoc tantùm potui, Domini pallere colores,
Multaque vulnificis oſcula ferre rubis.
Exacuant, dixi, ſpinæ ſua ſpicula caſto
Florea de ſpinis dona legam capiti;

Has

LVDOVICVS REX GERMANIÆ CAROLO FRATRI IMP.

SI liber, auſpicium diri ferale doloris
 Accipe, luctificâ quod tibi ſigno manu.
Et, minimè quod rere, Pius quæ mittit Auerno,
 Heu! genitor, ſiccis perlege ſcripta genis.
Quis nouus has Stygio tulit hoſpes ab orbe tabellas,
 Quæris? eas Orco lugubris vmbra tulit.
Me de more ſacram pia cura vocabat in ædem,
 Annua ſolenni dum facit ara ſacro:
Contriſtantque ſuis velamina pulla tenebris
 Templa, diu fuluis irradiata tholis.
Feraliſque nigro cuſtos in poſte cupreſſus
 Excubat, vt luctus excitet atra meos:
Funeſtoque oculos inceſtat honore feretrum,
 Quo pater, & proauus, funebre ſedit onus.
Hæc vbi ſpecto gemens, libaminaque addo doloris,
 Et lacrymas, functis lugubre munus, auis:
Ecce repens mugire ſolum: mihi viſa moueri
 Templa, ſimul triſtes exululare ſpecus.
Diſſiliere cauis dirupta ſepulcra latebris:
 Crede, tremens trepidam diuidit Orcus humum.
Haud magis immani terram dirumpat hiatu,
 Turbida flammando quæ furit Ætna iugo.
Emicat hinc rutilas certè ſcintilla per auras,
 Plurimaque in volucri ſulfure flamma vibrat.
Quaque volat, tenues oculis celer aucupor ignes;
 Ambuſſit teneras flamma maligna genas.
Ingemui, trepidoque excuſſi lumine noxam;
 Namque dolor ſalſis ora rigabat aquis.
Vix benè diſcuſſi: rurſus nouus inuolat ignis,
 Rurſus edax vrit lumina mœſta vapor.
Attamen inſpexi volitantibus vndique flammis
 Infeſtam, proauûm quâ cubat vrna, ſpecum.

Me

Me tenet vſque noui tam dira libido doloris.
Tantus erat flammæ, quâ miſer vror, amor.
Luſtro ſagax buſtum: furuo quid neſcio buſto
Candicat; id tetigi: candida charta fuit.
Sic tamen, vt trahat informes ambuſta lituras,
Et propè fumoſo tota ſit atra rogo.
Inſpicio: nec opus, relinam reſtemque ſigillumque,
Vſſerat infelix cerea ſigna focus.
Inſpicio; diras quo vis loquar ore querelas?
O miſere, cæcus cætera fumus obit.
Credo, ſtylus cœpit, *miſeremini*, arare; ſed hauſit
Improba flamma ſtylum: littera trunca ſtetit.
Noſco notas, ſignumque, preceſque agnoſco parentum,
Et lacrymas; lacrymas ſi tamen ignis alit.
Hei mihi! bis cecidere manus, cecidere tabellæ:
Anxius has Stygiæ decutit horror aquæ.
Vt verò trepidos collegi pectore ſenſus,
Tum demum patrias voluo, reuoluo notas.
Vix lego; me primâ mens ægra in voce reliquit.
Porrò legam; durus ſerpit in oſſa dolor.
Heu! ego longæuæ tot poſt diſpendia mortis,
Gnate, preces medijs has tibi lego rogis.
Cui ſeri iam tuta ſedet fiducia caſus,
Forſitan ante diem te mea fata manent.
Sis memor, ah! hodie mihi mors quos educat ignes;
Cras tibi dira ſuis nutriet Ætna focis.
Forſan & hac flens vota patris quâ perlegis horâ,
Ibis & in patrios ignea tæda rogos.
Ergo tuos de morte meâ metire dolores,
Deque meo ſpeculo tu tibi diſce mori.
Sed potiùs mihi viue, piumque affunde liquorem,
Vt pius exſtinguat buſta paterna liquor:
Æthereaſque irrumpat ouans tum ſpiritus arces,
Quem tenet hîc duris nexa catena moris.
Volue, reuolue putres ambeſa per oſſa fauillas:
Eſt præter cineres, inde quod æthra ferat.

Nempe procul viduo qui corpore demigrat exſul
 Spiritus, hinc cælo dulce reflectet iter.
Quoſque priùs gelidâ mors falce retexuit artus,
 Artubus intexet vita renata ſuis.
Ignea cæleſtis, neſcis? hîc ſemina flammæ
 Abdidit exſangui puluere ſera ſalus.
Abſtruſos ſilicum venis vbi condidit ignes
 Terra parens, viuas elicit arte faces.
Vitales gelidis ſic & Deus oſſibus auras
 Abdidit, æthereâ quas dabit ire domo.
Iſtud at in longos ſors poſtera differet annos:
 Funde, precor, niueas, nunc quibus vſus, aquas.
Nempe ſitit riguos exuſta fauilla liquores,
 Imber vt arſuros influat inde lacus.
Et benè ſi quæras, diris quis pabula flammis
 Sufficit, aut fœtas ſuggerit igne faces:
Nate, meo tu fomes eras ignique flabellum,
 Et ſeges atra pyræ diues aceruus opum.
Facta tuo vitio mens eſt vitioſa parenti.
 Dum ſceleri parco, quid niſi paſco ſcelus?
Plus nimio blandos quis non indulget amores?
 Quis non diſſimulat facta pianda parens?
Inque ſuum caput arceſſit de crimine gnati
 Fulmina; & infelix, quæ luat ille, luit?
Quid loquar infelix, auri ſcelerata cupido
 Vt fuerit noxis velificata tuis?
Ambitus omnis auûm, dic, nónne nepotis honori
 Militat, vt faſtum faſtus auitus alat?
Quot ſuper ipſe tuo molitus honore labores
 Gnate tuli! quanto puluere ſudor ijt!
Si qua tuis nuper præfulſit adorea regnis,
 Principe nónne tuli tela cruenta manu?
Tela, ſed in tædas quæ ſæua recudit Erinnys,
 Vt foret ambuſtum flammea tæda latus.
Gnate, quot antè tui clauſi ſub pectore curas?
 Et tibi cura meæ nulla ſalutis erit?

Ardeo,

Ardeo. Flammatis ardens, viden', vnda medullis
Æſtuat, & piceos euomit alta globos,
Nec patris miſeret? ſtringunt tua lumina flammæ,
Nec mihi, qui flammas temperet, imber erit?
Non ea Mæotis Tanaiſue incendia vincat.
Tu tamen hæc parco vincere rore potes.
Et modicæ tu parcis aquæ, quam prodigis amens,
Dum leue quid regnis ſors inimica mouet?
O quàm ſæpè fluunt tibi largis humida riuis
Lumina? quot lacrymas puluis auara bibit?
Sed lacrymas, non illa quidem quas exprimat ardens
Flamma patris, damnum ſed breue gignit opum.
Das leuibus noxis, quod non das, nate, parenti?
Quem grauat immenſis noxia tanta malis.
Sit mihi fas tenues lymphas arceſſere riuo,
Illo, cui ſanguis fons ijt ipſe meus.
Nempe meo tradux duxiſti corpore corpus;
Nec pia de vitæ munere dona refers?
Cerne, mihi penitas populat vis ignea venas;
Nec tamen emollit cor mea flamma tuum.
Durus es, ô! nimium, nimis & tu mollis; inani
Fons es mollis aquâ, durus in igne ſilex.
Quid lacrymas niſi poſco? breui quid parcius imbri?
Tu tamen exiles abnuis aſper aquas.
Facta gemens infecta velim; ſed ſerò piacli
Pœnitet: hæc damnis noxa pianda meis.
Aſt aliena meas expungat gratia culpas
Nunc opus, & puro diluat amne ſcelus.
Nonne graui, mi gnate, patris quo diffluis auro,
Quæ non empta fuit, iam ſit emenda ſalus?
Tale tamen nil poſco; pij quid neſcio roris
Quæro; breui cælos rore licetur aqua.
At mihi tu fallis (ſic immemor ergo parentis?)
Quam pepigere ratam vota ſuprema fidem.
Hæc dextræ data dextra? pio ſic ſumma parenti
Oſcula fers, duro ſi fugis ore preces!

Ambuſtos candente toros vbi verſo cubili,
O, quot ego gemitus & ſine voce preces!
Singultuſque & trunca breui ſuſpiria queſtu,
O, quot vota ſacris poſco litanda focis!
Nec tamen vlla litant: raræ ſtant Manibus aræ;
Aridaque in parcâ friget acerra manu.
Vlla nec antiquo ſcintilla ſuperſtes amori eſt,
Quæ tibi cor vrat, dum pyra viua cremor.
Prima ſed inuento te cura exuſſit in auro:
Funeris inde labor; cætera riſus erant.
Curarum nimis, ah! veterumque oblite dolorum,
Excidit infido, gnate, pater gremio?
Siccine (me miſerum!) patrios cum puluere manes
Obteris, inuiſo quos tegit vrna ſolo?
Huc proles ſuſcepta, ſuo quò dira parenti
Noxa ſit, immenſis noxa pianda rogis?
Non mihi te talem Lucina puerpera gnatum
Promiſit, nitido lux cui ſole ſtetit.
Quo genui patrias thalamo, mea pignora, curas,
Hoc agitas feſtis orgia læta choris.
Quoque parens enixa toro natalibus horis,
Totque per ærumnas tædia cruda tulit;
Marcidus hîc bruto noctis trahis otia ſomno,
Imprimit & tenerum plumea ſtrata latus.
Nec tenues volitant circum tua lumina vitæ,
Nec ſedet ad ſurdos vmbra paterna toros.
Non ego terribiles viſu volo ſtridere formas,
Quæque fremant diras horrida monſtra minas.
Mitto procul vaſto portenta minacia hiatu.
Nil facit ad noſtras impia larua preces.
Finge ſed ex vero tranquillâ noctis in vmbrâ,
Dum ſilet in dulces cura diurna moras;
Nocturnam tibi ſtare graui ſub imagine formam,
Cui pyra ſæua latus, ſulfure pulmo flagrat,
Ora vomunt ignes, dirâ ſtant lumina flammâ,
Auris & ardentes euomit atra globos.

Quæ tenui tum voce gemat ſtridente ſub igne,
Sitque pater, tenui qui tibi voce gemat:
Gnate, precor, miſeri ſpes, ô! ſuprema parentis,
Qui mea dāmna, tuas tot modò cernis opes:
Gnate, parum memor, ah! ſi non oblite laborum,
Præmia queis heres diues opima metis:
Te nil vlla mouet tantarum gratia rerum,
Tanta nec, ô durum! diſcutit Ætna gelu?
Molliat, ô! tandem, calidoſque reſoluat in imbres,
Hic æſtus glaciem, quam fera durat hiems.
Eripe me his, ô nate, malis, potes, eripe flammis,
Eripe; quid tardas? Vrimur. vrat amor.
Ah! pius vrat amor: miſeros miſerare parentes,
Qui patri ſimilis cras miſerandus eris.
Quæ rogat eſt mater, partûs in præmia poſcit,
Et pater in pretium dulce laboris, opem.
Heu! ad opis nomen trepido quid lumine palles?
Annè putas ignis quærit auarus opes?
Non fundos, non rura, graui non fœta metallo
Scrinia, non largo munera fuſa ſinu.
Hoc ſibi tempus opis facilem niſi poſtulat vſum,
Ah! petimus facili dona paranda manu.
Ignea ſi neſcis ſibi quid petat vmbra parentum,
Vult tenuem, quam flens ſtillat ocellus, aquam.
Poſcit aquas, heu! poſcit aquas, quis promptior humor?
Gutta nec è madidis affluit vlla genis?
Ferreus immenſis nec dum tu liquere flammis,
Durus vt Ætnæo ſoluitur igne chalybs.
Vna vel hinc ſtrictura tuos ſi mordeat artus,
Tam tenui poſces flumina mille rogo.
Rhenigenas clamabis aquas, clamabis & Iſtrum,
Clamabiſque ſuis hos mare vincat aquis.
Nec tamen immenſos parcus ros impluit ignes,
Gratia ſic patriam fallit auara fidem?
Hac lamenta tenus ſua fudit epiſtola; tanto,
Dum ſileo, vocem præpediente metu:

Hor-

Horrida vox imis delata repentè cauernis,
Ergon', ait, Zephyris ludicra verba dedi?
Ergon' Auernales ſine rore reuoluor in ignes,
Haurior infernis ignea præda focis?
Turbidus en fumis, atrâque voragine gurges
Haurit in abruptum: nec mihi gnatus opem?
Dixerat, ardenti vox trunca pependit hiatu,
Et rapiunt certos murmura cæca ſonos.
Obſtupui ſubito lapſu, tantoque parentis
Attonitus monitu, vix ego ſtare gradu.
Heu! quid agam? quæ vota ſequar? quæ prima dolori
Cœpta, vel inferijs pignora ſumma ſtruam?
Ocyùs euge parem curemus vterque laborem:
Et tuus, & curæ ſit labor iſte meæ.
Eſſe ſui memores iuſſere merendo parentes,
Nec damus vnanimes, quas meruere, preces?
Vt ſocios concors oculus conſpirat in imbres,
Lacryma quò gemino fonte gemella fluat:
Sic etiam geminos fundant duo flumina riuos,
Et vincat patrios vnda gemella rogos.
Fòrs etiam ſeris redimenda piacula flammis
Vſque vel ad Stygias ambo trahemus aquas.
Et cui non oculo, purus quem diluat imber,
Hic de pulvereâ puluis adhæret humo?
Nec nos vlla mouent tantarum pondera rerum,
Dura quibus longas exprimet hora preces?
Quòd ſi gnatus amans ſoluit nunc iuſta parenti,
Gratus & æquâ nepos præmia reddet auo.
Nam qui iuſta pijs dare munera Manibus ambit,
Illius & Manes munera iuſta ferent.

EPI-

EPISTOLA II.

ARGVMENTVM.

Nota eſt illa Senenſis Catharinæ ſanctitas, nota in Chriſtum pietas, à quo didicerat arctis crucem fouere complexibus, omnemq́ dulcedinem præ amaritie contemnere; adeò vt ſine doloribus & ærumnis hanc ſibi vitam iniucundam fore fateretur. Obtulit itaque ſeſe oranti ſponſus, geminaſq́ coronas exhibuit, auream dextrâ, læuâ ſpineam, iſtudq́ ſubiunxit: Elige ex his alteram. Cui illa: Volo Domine in hac vitâ tibi ſimilis eſſe: volo tuorum ſimilitudo cruciatuum ſit mihi nunc delicium. Atque ita ſpineum ſertum ſponſi manibus abſtulit, ſuoq́ vertici altè impreſsit. O virginem! cui meritò cor ſuum Chriſtus impertijt feliciſsimâ permutatione. Ardores illa ſuos hac epiſtolâ conatur exprimere. B. Raimundus Capuanus in eius vitâ.

CATHARINA IESV SPONSO SVO.

Sponſe, licet clauſos animi benè noueris æſtus,
 Dulce tamen dulces eſt aperire faces.
Vt tua nocturno ſupplex ad vulnera cælo
 Incubui, mœſtis ſaucia tota rubis:
Manè nouo, Titan terras vbi lampade luſtrat,
 Humida roranti luſtro vireta pede.
Plurimus irriguâ quà voluitur amnis in herbâ,
 Inuitat vitreo me vaga Nympha pede.
Ergo ſequor, ſpatiorque virente crepidine, riuus
 Quà tremulam celerat præça per vda fugam.

Hîc

Tale nihil vitreo pingit Thaumantias imbri,
Quæ virides pulchrâ nube coronat agros.
Tale nihil verni meditatur amœna vireti
Gratia, nec Tyrijs miſta liguſtra roſis.
An pingam ſcribámve, auidò quem lumine vidi,
Hæreat vt menti fortiùs ille meæ?
Hæreo inops animi: manus hæret vtrique labori
Prompta: tamen potiùs pingere iuſſit amor.
Ergo ſcabram quercum læui teres aſcia ferro
Edolat, & pandum lubricat æqua latus.
Quin' etiam è cedro mihi raſile pumicat æquor
Ars fabra, quo ductis viuat imago notis.
Adijcit & concham, puro cum murice concham,
Quaſque tabella ſitit, mille coloris opes.
Apto ſtylum. quid plura? pios accingor in vſus,
Inque manum mentis colligo ſenſa meæ.
Obuia crux oculis, mortem quæ ſpirat Ieſu,
Quod ſequar exemplo, nobile dictat opus.
Huc oculos intendo, manumque affigo tabellæ,
Iam propè Phidiacas vincere docta manus.
Nunc igitur varios tabulâ ſitiente liquores
Illino, quò picto viuat ab imbre dolor.
Creſcit Apellæo de rore doloris imago:
Et dolor vt creſcit, ſic quoque creſcit amor.
Sæpè ſtylus, dum ſpecto, manu mihi labitur, eheu!
Labitur & ſenſus, ſurripiorque mihi.
Reddere, ſponſe, tuos bis ſum conata labores:
Torpenteſque mihi bis ceciderc manus.
Terque reprendo ſtylum; ter & effugit; effugit vna
Mens animo: mentem crux rapit vna meam.
Crux animum, crux ora rapit, crux luminis orbes:
Quid mihi tunc, Ieſu, mentis & artis erat?
Hoc tantùm potui, Domini pallere colores,
Multaque vulnificis oſcula ferre rubis.
Exacuant, dixi, ſpinæ ſua ſpicula caſto
Florea de ſpinis dona legam capiti;

Has

Has equidem, ſtat certa fides, exopto coronas:
  Non ſunt apta meis mollia ſerta comis.
Intereà flendò longas vbi ducimus horas,
  Abrumpit rapidum veſpera tæda diem.
Otia nox terris indicit, & otia cælo:
  Nec mea tranquillus pectora ſomnus habet.
Sed vigilem ſuſpenſa tenent inſomnia mentem,
  Et felix oculos paſcit imago meos.
Aſtitit ante torum, quis neſcio, clarior aſtro.
  Viſa mihi mediâ fulgere nocte dies.
Præradiat capiti conſerta corona pyropis.
  Erubuit tantum Cynthia victa iubar.
Qui placido vultu, nitidæque decore figuræ
  Inuitans, oculos & mea corda trahit.
Et benè ſi memini; vultu mihi viſus eodem
  Ille redire, meos qui ſtetit ante pedes.
Meque ſuæ pulchræ defixit imagine formæ.
  Attonita ereptis ſenſibus obſtupui.
Hic quid agat, vel agam, vix eſt, vt dicere poſſim;
  Paupere cum ſpinâ regia dona tulit.
Dextra gerit ſpinas, fuluam fert læua coronam.
  Per ſua noſco Deum vulnera, Chriſtus adeſt.
Excitor; inſpexi: gremium micat vbere dono,
  Quale ſoles largâ fundere, Chriſte, manu.
Quid mihi dona feras? ô, vt bene fallis amantem!
  Quod dare ſponte velim, cor mihi fraude rapis.
Et cordis pia furta tuo ſub pectore condis,
  Ac ſponſæ placido ludis amans ſpolio.
Lude licet: nec enim mihi cor, niſi totus Ieſus,
  Qui pro corde mei pectoris ardor erit.
Ardor erit, dulci qui decoquat igne medullas,
  Qui vitam & cineri ſpondeat, ardor erit.
Ergóne diuitias pauper meus ambit Ieſus,
  Cordis vt hunc capiat aurea bulla mei?
O ego quàm fallor! locuples quid ſomnio munus
  Paupere de minio, quo mea corda rubent?

Nulla

Nulla meo flauet felix opulentia dono,
  Fictile de rubro cor vbi dedô luto.
Malo dari radians gemmâ de Perſide munus.
  Sed quid? inops alias dos mea neſcit opes.
Ipſa quidem voto mens diuite parturit aurum,
  Si voti eſt pretium, cor mihi diues opum eſt.
Cor mihi dum tangit tua dextera diues Ieſu,
  Quæ nihil ambit opum, quaſlibet addit opes.
O felix nimium! non eſt numerare, quot vndant
  Munera de donis, ô mea vita, tuis.
Dum mea corda rapis, tantis quæ dotibus auges,
  Pace tua, Ieſu, cor mihi ſeruo tuum.

EPISTOLA III.

ARGVMENTVM.

Spineam Chriſti coronam capiti ſuo imprimi ardentiſſimè petit ſancta Virgo, immenſumq́ue patiendi deſiderium ſponſo ſuo ſignificat.

CATHARINA CHRISTO SPONSO.

ELoquar? includit luctu mens ſaucia vocem:
  Nec capiunt arcti flammea tela ſinus.
Ah! laceros artus, populataque tempora ſpinis,
  Sanguineaſque manus, ſanguineoſque pedes
Protinus vt vidi crudeli ſaucia clauo,
  Queis querar, in lacrymas flebile lumen ijt.
O! vbi tam largum fundis, mea vita, cruorem,
  Dura licet rupes, ſciſſa profundat aquas.
Te rapit immenſum rapit ardor auarus in orbem.
  Arctior eſt votis mundus vterque tuis.
Ardentique ſinu me me bone, claudis, Ieſu,
  Nec rapio celeres frigida tota faces?

Nec facunda lego gignendis pabula flammis,
Si legat & flammæ fœmina dura ſilex?
Me dolor vrat edax, te qualis adußit Ieſu,
Vrat, io! pro te vulnera dulce pati eſt.
Tu teſtis, mi ſponſe, pij ſator ille laboris,
Qui ſetis in ſpinis, quod meto læta decus.
Influat inde meas, ô! gutta vel vnica venas,
Et mihi gutta ſacri fluminis inſtar erit.
Dius enim ſanguis, parcum licet appluat imbrem,
Mille vel Oceanis largius vber habet.
Quin & odorato liquor hinc diſtillat oliuo
Dulcior. ô, quali condit odore fauos!
Haud equidem tanti me duco, vel vna cruentis
A Domini venis vt mihi gutta cadat:
Nedum ſanguineos ſeſe diffundat in amnes,
Vt pretium vitæ mors ſit acerba meæ.
Hæc tamen indulges indignæ munera ſponſæ.
Hinc in acerba lacer vulnera totus abis.
Ardet abire tuis quiſquis latet artubus humor,
Influat vt venas altera vita meas.
En pede purpureo liquidum mihi currit amomum,
Balſaminuſque rubro diffluit imbre liquor.
Hîc mihi poma rubent crudos oblita ſapores,
Quidquid & Aſſyrij ſudat odoris onyx.
Hîc mihi ſponſe nouos moriens inuergis odores,
Vltima vt exſpirat, quæ fugit, aura roſis.
Spina ſapit certè tam dulcis auara liquoris,
Quem dius roſeo fonte propinat amor.
Gratulor ambroſios, queis affluit ebria, rores;
Vnde ſuam grato diluit imbre ſitim.
Inuideam? inuidiæne ſeges ſit ſpina? dolores,
Si deſit, capiti parturit illa meo.
Dum licet, euge ſacris viola mihi tempora plagis.
Purpureo decet has imbre madere comas.
Hirta caput pulchro transfigant vulnere ſerta,
Et meus è toto vertice ſanguis eat.

Nec

Nec ſatis eſt pupugiſſe ſemel; cupit ardor amoris
Sæpiùs ex vno vulnere poſſe pati.
Sin dare iuſta negas iucundi tela doloris,
Hei mihi! vulnus erit, vulnera nulla pati.
Teſtor vtrumque caput; quæ te, mi ſponſe, decebat;
Et poterit ſponſam ſpina decere tuam.
Audior: en ſacræ populant caua tempora ſpinæ,
Merſaque ſunt nimbo lumina ſanguineo.
O me felicem! pariunt mihi Maſſica dumi,
Deliciaſque animo ſpina dolorque meo.
O dulcis mihi ſpina dolor, capitiſque corolla
Carior ô gemmis, mollior ô violis.
Ceu ros, æſtiuâ quem Cynthia parturit aurâ,
Albicat aureolis addita gemma roſis:
Solis & ad radios vibratque micatque roſeto
Diſcolor, & tremulis ludit, vt Iris, aquis:
Sic vitreis roſeo permixtis ſanguine guttis
In varium gemmat roſcida ſpina decus.
Sponſe, tuas teneo felici vertice ſpinas,
Delicias animi diuitiaſque mei.
Ecce tuo ſimilem nunc audeo prodere vultum,
Quem ſolita eſt leni condere vitta peplo.
Antè tegi puduit tam molli ſindone crines,
Tempora nunc etiam ſanguine noſtra madent.
Scis iſtis quid ſcribat aquis ſpes arbitra mentis?
Lympida vult ſuado vota liquore loqui.
Eia rubos docili, ſi fors licet, imprime cordi.
Inde mihi flores, & noua poma legam.
Decolor herba ſitit rores, ſeges arida nimbos,
Vina calix, pingues lampas anhelat aquas.
Cor itidem ſuſpirat hians ſua pabula vepres,
Pauper adoptiuas cor ſibi quærit opes.
Haud ſua poma pyrus ſi gignat adultera pomo,
Cornus & inuito ſtipite poma ferat:
Et quidni tenerum facili cor germine dumos,
Induat, apta ſacris paſcat vt ora roſis.

Hinc ego de roſeâ perſoluam vota coronâ.
Nec ſatis hoc: addam pignora digna Deo.
Sit cor transformis liquidâ cryſtallus in aurâ,
Spinea quò ſpinas pingat imago tuas.
Vt ſic vſque meum felix contempler Ieſum,
Ipſaque de ſpinis æmula forma legar.
Chriſte, meâ ſentam ſi figis fronte coronam,
Cor ſpeculum pulchris quid vetat eſſe rubis?
Nec ſolum ſpeculum varijs imitabile formis:
Vulnera cor mimis exprimat hirta modis.
Intima malo pij transfigant pectora vepres.
Blanda ſub hamatis vepribus arma latent.
Ocyus, ô! queis ipſe meum caput vris Ieſu,
Pectus & his ſpinis, deprecor, vre meum.
Vt quid adhuc tardas dare vulnus? an ergo dolores
Inuideas ſponſæ ſaucie ſponſe tuos?
Túne tuis ſpinis ſis durior ergo precanti?
Quæ rogat eſt virgo, cor cui, ſponſe, rapis.
Dulce mali ſolamen amans, precor, annue ſpinas:
Ni facis, hoc ſpinis ſaucio ſponte latus.
Sentibus ambroſios mens vt bibat vda liquores,
Altera nunc alijs vota refingo modis.
Sol ſi, Chriſte, micas Solis formoſior auro,
Et traho de radijs aurea ſæcla tuis:
Quid prohibet, roſeo quæ ſpina ſtat ebria ſucco,
Quò minùs & roſeum iam ſibi ſidus alat?
Vt ſe ſigniferum vertat transformis in orbem,
Quæ caput incingit curua corona tuum.
Vnde cruenta dolor duodena per aſtra recurrat,
Totus vt in lacrymas lugubris annus eat.
Sol quot enim numerat vndis emerſus Eoos
Aurea puniceis queis rota feruet equis:
Et totidem numero ſparſas in corpore venas,
Queis tibi purpureum ſponſe propino merum.
Spina velim teneram pertundat vt obua venam,
Sol quoties roſeâ luce coronat aquas.

Vnde

Vnde meum quouis libem ſub ſole cruorem,
Quem dabit è ſpinis ſaucia vena tuis.
O ego quàm felix! quouis de vulnere nectar,
Crediderim, largus tum mihi fundet amor.
Si de rore roſæ ſibi mel apis ebibit hoſpes,
Non leget è ſpinis gaudia ſenta dolor?
Quid moror? ô properanda nouos ſere ſpina dolores,
Vt quid adhuc hæres? ten' noua ſpina tenet?
Mors necdum ſtimulis inſpicat edacibus artus,
Sol vbi ſæpè nouo lumine luſtrat agros?
Sed quid ego lentos annus quos explicat orbes
Demoror, & numero quos trahit hora dies?
Malo breuem totus ſe colligat annus in horam,
Omnibus vt venis ilicò ſanguis eat.
Si celer it ſponſi toto de corpore ſanguis;
Cur trahit in lento vulnere ſponſa moras?
Sic ego ſæpè gemens, quin, tu mea vita, precanti
Annuis, & dicis? nobile vulnus eris.
An niſi caſſa cauas mihi vox diuerberat auras?
Fallor? an ingentis ponderis inſtar habet?
Si non ſum tua, tu certè meus. annue votis.
Sponſe quid exſpectas? obuia ſponſa rogat.

EPISTOLA IV.

ARGVMENTVM.

Albertus ſeptimo & decimo ætatis ſuæ anno, iuuenis liberali formâ & ingenio, Comitis Falkenburgenſis filius, à matre Pariſios miſſus ad Regem Franciæ, qui eum ſanguine attingebat, forte fortunâ in Iordanum celebrem illum è ſacrâ D. *Dominici familiâ virum incidit; quicum arctiorem vſu familiari amicitiam init; & eam quidem, quæ iuuenis animum rerum*

caducarum ludibrijs inhærentem ad æterna capeſſenda præmia abducat. Quare non ita multò poſt Albertus & pijs magni illius viri monitis, & diuino potiſsimùm impulſu excitatus, terrena cæleſtibus poſtpoſuit, ſeq; in religioſum S. Dominici cœtum, repugnantibus fruſtra matre & conſanguineis, recepit. Huic iam per litteras ſuadet Iordanus, vt exemplo aliorum nobilium, opum & honorum dignitatem abdicet, & nudus ſub Chriſti vexillo militet. Cantipratanus lib. II. cap. XXVIII. §. 12.

IORDANVS ALBERTO SVO.

Opto ſacros, Alberte, tibi, quibus vtor, amores,
 Teque velim cælo præmia digna ſequi.
Digna quidem cælo eſt viridi ſata flore iuuentus;
 Sed quid adhuc imâ tardior hæret humo?
Tolle, age, te cælo: nec ſegnius arripe curſum,
 Quàm rapit Elæo carcere miſſus equus.
Lactea ſtelligerum quæ ſemita diuidit orbem,
 Te vocat: Heroës hac tot iere viâ.
Hac quondam aſtrigeras graſſatus Alexis ad arces,
 Flexit & æthereum dux Theodorus iter.
Iulius hac volucres aduertit ad aſtra quadrigas,
 Et molita parem dux Baſiliſſa fugam.
Hac & Cæciliam Valeriſque e gente nepotes,
 Hac & mille duces impulit ales amor.
Vt præſtans animi pulchrios imitere labores,
 Arduaque inſuetis cœpta ſequare vijs.
Igneus ignipedum vates moderator equorum,
 Ipſe tibi currus inſtruat, opto, ſuos.
Aut potius tibi dius Amor tranſſcribat habenas,
 Altior æthereas queis ſolet ire vias.
Quid lentas ſuſpenſa trahunt molimina curas?
 Nec volucres adigis, quà licet ire, rotas?

Nempe

Nempe ſacris noua fræna rotis vetus injicit error,
Aureaque in molli compede vincla tenent.
Ceu fera ſepta tremit rubræ formidine pennæ,
Neſcia quò fugiat, quáue ſequatur opem:
Sic rapit incertum dubijs te gloria votis,
Gloria purpureis inſidioſa dolis.
Quare age, ne forſan malè gratâ compede vinctum
Occupet, aligeris effuge liber equis.
Crux vbi ſanguineis veſtigia ſignat arenis,
Huc habili pernix ſurrige fræna manu.
A cruce ſed lato te ſeparat æquore mundus.
Cum cruce quid mundo, qui negat aſtra ſequi?
I tamen, alipedeſque volans impelle quadrigas;
Et ſpatium falles alite vectus equo.
Scilicet immenſum terræ diſcrimen & æthræ,
Si cruce metiris, vix tibi paſſus erit.
Quin etiam crux tuta gradum ſtruit altius aſtris.
Qui tribus in clauis conſtitit, aſtra tenet.
Huc ſacra Relligio ſurgit tribus aucta coronis.
Cuique vouet proprium quæque corona decus.
Obſequium dat ſceptra poli; flos caſtus honores;
Paupertas ſuperas aurea ſpondet opes.
Ne graue quid metuas: exſors labor ipſe laboris
Dulcibus ærumnis omne remulcet onus.
Nempe parum dulces crux temperat alma dolores.
Sub cruce qui currit, non graue currit iter.
Curre, licet; dant aſtra faces, & conſcius æther
Fulget, & auguſtum dextra dat omen auis.
Expedit eſſe leues: & vt expedit, excute mundum.
Grande nimis fluxas excute pondus opes.
Vt quid opum tenuem metuis iam perdere partem,
Vna dies cunctas mox cui tollet opes?
Nobile malo decus pulchris te quærere damnis,
Triſtia quàm turpi damna dolore queri.
Hoc age, dum primâ floret prætexta iuuentâ,
Dumque viret plenis ſuccida vena toris:

Diſce mori mundo: tibi mortis oberrat imago.
  Te iubet illa Deo præmoriente mori.
Vnica vox omni de vulnere manat in aures:
  Ritè mori eſt, ſemper ſi moriturus agas.
Aſpicis infami perſtantem ſtipite Ieſum?
  Iſte locus certæ dona ſalutis habet.
Hæret inauulſiſque hærebit in arbore clauis:
  Hoſpes adoptiuas inſere ramus opes.
Hîc vbi vulnus hiat, viuum celer inſere ramum,
  Inſere: de ramo coniuge poma leges.
Poma, ſed ambroſio ſanguis quæ condiat oſtro,
  Purpureoque ſatus ſanguine pingat amor.
An tibi adhuc animum mendax malè paſcit imago,
  Præſtinguitque oculos ſplendor inanis opum?
Ne, puer, ah! blandis animæ te perde periclis;
  Quæ tibi, quàm credas, plura recudit honos.
Dulce malum, blandis illudit adultera monſtris
  Ambitiò: lacrymas laurus amara parit.
Pubere blanditur folio ſine pondere ramus,
  Hinc ſed frugis inops ſpes tibi fallet opem.
Quæ tot auûm titulis ſubnixa recumbit in vrnam
  Gloria, mors miſeri ſera nepotis erit.
De ſolio in ſua buſta nigris quot detrahit hamis
  Orcus, & inſidis occupat eſca dolis!
Præmia coniugij placidis promittit ocellis,
  Qui ſedet in thalamo principe, blandus Hymen:
Connubijque ſuas prætexit nomine fraudes
  Spes atauûm magnis inſidioſa viris.
Illuſtreſque animas, quas entheus euehat ardor,
  Deprimit informi degener error humo.
Suada Charis liquidas voces adſpirat in aures;
  In molles tenerum cor liquat illecebras.
Et Tyrijs epulata toris hinc inde voluptas
  Lenæas roſeo fonte propinat aquas.
Cætera quid memorem blandæ diſcrimina mortis,
  Et malè Circæo gaudia miſta mero?

En

En aliò Regum te ſeuocat inclytus heres,
  Ieſſeïdum magnis non inhonorus auis.
Sed cui crux, ſolium; ſceptrum, flagra; purpura, ſanguis;
  Gemma, rubens vulnus; regia ſerta, rubus.
Cuius ſanguineis maieſtas nixa tropæis
  Iura dat Eois, iura dat Heſperijs:
Nec ſolium regale tuo ſub pectore figet?
  Cor quota pars terræ eſt, & ſua regnà neges?
Inde nec vlla tuis calet ignea vena medullis?
  O glaciem, Threſſâ quam niue ſtringit hiems!
Si nil iſte dolor, nil ſuada doloris imago
  Te mouet; at moueat Numine dignus honos.
Ille fluit fons largus opum, fons largus amoris;
  Vnde perennè liquens riuus honoris eat.
Ergo tuas ſuſpende cruci ſacra dona coronas;
  Vberior meritis gratia fœnus alet.

EPISTOLA V.

ARGVMENTVM.

REſcribit, ſe eius parêre monitis, ſeq; exuiſſe mundi amores.

ALBERTVS IORDANO MAGISTRO SVO.

VIſa fuit puro delabi littera cælo,
  Quæ mihi cæleſtes ſuadet inire vias,
Mundique exuuias imponere Numinis aris,
  Dulces exuuias, ſors vbi prima ſtetit.
Scilicet hos ignes crucis igneus excitat hoſpes,
  Excitat inuicto pectore dura ſequi.
Mens ſiquidem facilis tali parêre magiſtro,
  In crucis ardentes ardet abire faces.
Hoc faciunt laceri crines, & ſaucia ceruix,
  Quique, precor, ſcindant tempora noſtra rubi.

Et dolor, & vultus, vultu ſine mortis imago,
Nubilaque è lacrymis lumina ſanguineis.
Lumina purpureus queis victus ceſſit Eous,
Erubuitque ſuum iam minus ire iubar.
Pertuſæque manus, veſtigiaque inſita clauis,
Quæque rubent hirtis tempora ſecta rubis.
Cætera quid memorem iuſti monumenta doloris
Vnde mihi quouis vulnere gliſcit amor?
O! cui non auido viuaces fomite flammas,
Paſcat, inexhauſto qui fluit imbre cruor?
Mors mihi vita, probrum laus, angor ab hoſte voluptas,
Plaga ſalus, ſanguis purpura, ſpina roſa eſt.
Pars quotacumque rubet, me ceu fax viuida flammat,
O quid aget toto corpore fuſus amor?
Mitis amoris erit dulcedo, doloris amaror;
Fel botrus, ſolium crux, toga nudus amor.
Pes rubet in clauis, nec me dolor vlcerat ardens;
Stat caput in ſpinis, nec iecur vlcus edit?
Ah! perij: durum mihi cor pertundis, Ieſu,
Vulnifico clauo ſtans trabe ſanguineâ.
Spineus arcanis tibi cor dolor vlcerat hamis,
Nec cadit in pectus ſpina vel vna meum?
Teque adeò, quamquam genitum de Numine Numen,
Occupat audaci mors violenta manu.
Eia reo, mi Chriſte, tuos iam diuide ſentes.
Hos tibi cur nimium ſeruat auarus amor?
Si mea noxa rapit funeſtâ cæde Tonantem,
Cur negat in nocuum pœna redire caput?
Quis Chriſti rigor iſte? meos cur fallit amores,
Qui mihi, quâ parcit, ſæuius arte nocet?
Ille quidem riguos totus dimanat in imbres;
Et pretium culpæ non ſuo triſte meæ?
Et necdum cupidis crucis inuolo ſuauia votis?
Spineaque implexâ vincula ſtringo manu?
Inque humeros tranſſumo trabem, durumque laborem,
Queis ſol ingemuit ſuccubuiſſe Deum?

Si

Si pia me non tota ſuo crux pondere damnat,
Me ſaltem ſociæ pars crucis vna premat.
Si potuit Simon partem ſufferre laboris,
Quo graue diuiſo pondere fallat onus:
An rerum Domino, geminus cui militat orbis,
Vltimus accedam ſub ſacra ſigna cliens?
Nec leue quid tantâ decerpam è mole laborum,
Queis crux luctantem frangit iniqua Deum?
Immanis ſed anhelantem trabs vrget Ieſum;
Nec ſinit, attollam tam graue mortis onus.
Ecquid agam, cui noxa tot imputat impia pœnas,
Nec crucis obſequio ſuſtinet ira frui?
Vnde queam pondus tam grande leuare doloris,
Haud merui ſanctæ præmia ferre crucis.
Grande nefas, fateor, iuſtæ præponderat iræ:
Vlla nec immenſum lanx capit æqua ſcelus.
Quid ſequar, ah! iam iam ruitura ſequacibus aſtris
Impar ſuſtineat vindicis arma caput.
Sub cruce ſtabo gemens: crux ſontibus ara ſalutis,
Crux rata pax terris, crux pia portus aquis.
Nobile de ſentâ carpam cruce pignus amoris,
Siqua Dei prono vertice ſpina cadit.
Et certè riguos Domini cruce lectito ſentes,
Vnde ſecant fragilem ſpicula denſa togam.
En chlamys Aſſyrio quæ floret ianthina limbo,
Carpitur hamatis ſaucia tota rubis.
Plurimus implexis ſe torquibus implicat hamus:
Quidquid tango manu, nil niſi vulnus habet.
Spinea ſylua ſuis ſic obſerit omnia ſpinis,
Quæque ferit ſpinas, addit & ipſa faces.
En Solis radio lux clarior indè per auras
Emicat: agnoſco quàm breue terra nihil.
Ardeo. pono togam, multo quæ fulgurat auro,
Non facit ad flammas purpura vana meas.
Quæ prius illuſtris gemmâ Gangetide fulſit,
Squalet ab immundo nunc chlamys atra ſitu.

Nec

Nec caſiæ liquidos cirrus ſitit vſtus odores:
At ſub puluereâ iam coma nube gemit.
Et luctata diu viduæ (potuíne?) parenti
Suſtinuit tandem dicere lingua, Vale.
Iam ſequar ergo crucem, pignus vitale ſalutis,
Quo ſine ſpes vitæ non viret vlla meæ.
Sors ea quàm felix! queis me grauis opprimat vltor,
Ignea tela ſacro diluit imbre cruor.
Et me ſupplicijs crux eximit arbitra noxæ,
Inſuper & Diuûm donâ dat alma, legam.
Crux vitam pro morte, reâ pro labe decorem,
Pro culpa pretium, pro cruce poma vouet.
Quis dabit, hac agnatus adopter vt arbore ramus,
Succidaque irriguâ pabula ſtirpe bibam?
Ne vis vlla ſuis me diruat inde procellis,
Induat hæc clauo corda tenace dolor.
En mihi cor clauo percudit edace ſub altâ
Mors cruce, deque rubis ſpineus ignis edit.
Dulcius ah! nihil hoc, quo ſaucius arſero, telo:
Id modò ſit telum, quo ſit oborta ſalus.
Et certè me languor habet, ſed languor amoris,
O quàm dulce pio mortis amore frui!
En tibi, mi Ieſu, votiuum dedico pectus,
Maturum vt ſenium ſancta iuuenta trahat.
Flos æui lanugo genis inſerpit & annis,
Cætera pars vitæ fructus amoris erit.
Paſcit, io! paſcit tibi flos Ieſſeius odorum
Ver, vbi ros riguam temperat almus humum.
Admittam dulces lacrymas quas ſtillat Ieſus,
Sub cruce mel cordi quod medeatur, erit.
En tibi, qui dubiæ cuſtos Iordane ſalutis,
Explico fortunæ tædia ſancta meæ.
Iam poſitis trabeis totos lugemus in annos,
Flebile ſub pullo vellere mortis opus.
Nec moror incertæ plauſus aut ſibila famæ,
Si modò ferre crucis ſit probra grande decus.

Sed

Sed timor inſidit gremio; terrorque laborum:
  Quam potes, & debes, ſuffice promptus opem.
Te duce qui pulchrum cœpit decurrere curſum,
  Fac meus, ô! metam, te duce, tangat equus.

EPISTOLA VI.

ARGVMENTVM.

Sancta Dorothea Virgo & Martyr cùm ad locum ſupplicij inter lictores tamquam paranymphos læto vultu obambularet, cauſamq́ lætitiæ rogata aſſereret ſe ad ſponſi ſui viridaria contendere; irriſit eam Theophilus, & è ſponſi roſetis vernam ſibi roſam popoſcit. Poſcenti eam promiſit Virgo, vixq́ ingreſſa Elyſios campos, per lectiſsimum ephebum, promiſſum munus obtulit irridenti: qui id temporis (ſumma enim aſperrimaq́ erat hiems) vernas roſas miratus, ſanguine pro Chriſtianâ religione, quam ilicò amplectebatur, profuſo, eò properauit, vbi Zephyris melioribus halant perpetui flores. Laur. Surius VI. Februarij.

DOROTHEA THEOPHILO.

QVæris ab hiberno cur littera miſſa vireto
  Deuolat in gremium, cui roſa iuncta, tuum?
Mittere ſuaſit Hymen, quo non formoſior auſpex,
  Cui ſit prima ſacro lex in amore mori.
Non has vanus amor, nec amica iuuenta corollis,
  Vlla nec ingenij vena dat ire notas.
Ipſe ſuis oculi radijs ſed ſcripſit Ieſus,
  Inde diſerta meus venit ad orſa ſtylus.
Inde venit fidi votiuum munus amoris,
  Dorotheæque Θεῷ δῶρον & æquus honos.
En parit inuitâ tellus ver nobile brumâ,
  Miraturque ſuas non ſua dona roſas.

Mors

Mors mihi triſtis hiems; ſed ver iam vita ſuperſtes.
Hinc violas vitæ florea donà leges.
Cerne, graui cælo glacialis inhorret Orion,
Et glomerat denſas Februa Luna niues:
Et virides inueſtis hiems attondit honores,
Seu, noua Flora, tuos, ſeu, Dryas alma, tuos.
Attamen hibernis roſa ver mentita pruinis
Deproperat capiti munera grata tuo.
Vnde θεῷ φίλε veris opes mireris odoras,
Aſpera quas duro ſidere ningit hiems.
Auricomos necis è ſpinâ lege diuite fœtus;
Inde tibi vitæ pignora certa leges.
Lilia terra ſerit, ſerit & ſua lilia cælum:
Hæc æterna virent, illa caduca fluunt.
Seu cadit Heſperius, ſeu ſol exſurgit Eous,
Sole ſtat Eoo flos hic & Heſperio.
Aut gelidas Autumnus aquas vbi fuderit Auſter,
Sol vel anhelantes vſſerit acer agros:
Par nitidis gemmis immortalique amarantho
Flos ſatus è cælo perpete vere viget.
Non hoc picta Midæ peperere roſaria munus,
Theſſala non Tempe, prata nec Alcinoi:
Meda nec aëreas quæ ſylua pependit ad arces,
Non Tiburtinis Albula pauit aquis:
Non Pæſtum, cui de biferis rus fertile ſpinis,
Hybla nec Attis alit, Enna nec Ætna parit.
At roſa, quam tibi mitto, ſacro ſata ſidere Ieſu,
Nonnihil aſpergi rore doloris amat.
Nempe ſuis lacrymis alium ſitit inſuper imbrem.
Quis ſit hic an quæris? ſanguine tinge roſam.
Pubere flos oſtro, flos pubere floreat auro:
Plus tamen ille tuo ſanguine pulcher erit.
Sanguis Acidaliæ ſi pinxit ad hiſpida lenæ
Vulnera purpuream, quæ ſtetit alba, roſam:
Quem ſitit, oſtrinum roſa nunc bibat vda liquorem,
Sed cui ſit caſti vena liquoris amor

Sol riguam nubem, nubes alit humida rorem,
Ros de nube cadens gramina, gramen oues.
Sanguineos & paſcit amor fœcundus ad imbres,
Quas peperit mortis ſpinea cura, roſas.
Caucaſin ille putri perſtillans tabe pruinam,
Si ferit in pulchram florea dona necem:
Et qui purpureo diſſinxit pectora ferro
In violam, tinctis pingit humum folijs:
Et puer Oebalij moriens ſub pondere diſci
Signat adhuc mœſtis damna cruenta notis:
Atque alius formoſa ſui quem merſit imago
Naïdi florentes obtulit exuuias:
Fax Troiæ vt bibulas Helene defluxit in herbas,
Ipſa ſui luctus pignora læta dedit:
Cur nec item pulchrum pulchro de ſanguine germen
Pullulet ad ſolem, qui mea vita, tuum?
Non cui mendaces affingat adulter honores
Error, & in vanum fabula picta decus.
O vt amœnus honos roſa cælite ridet in auro,
Purpuraque aureolis vermiculata comis!
O vtinam flos ille tuis, mea vita, fauillis
Purpureæ ſurgat pulcher alumnus aquæ!
Vnde ferat canis victura roſaria ſæclis,
Queis vincet pietas ſpe duce freta necem.
Virgo ſit exemplum, calathos quæ floribus implet,
Dum riget hiberno terra ſenecta gelu.
Nolo breui fragilem decerpi vere corollam:
Nil iuuat è vernis lecta corolla roſis.
Fluxus enim niſi veris honos, & inanis imago,
Atque oculi pictis error amœnus agris.
Attigeris viridi decerptam rure corollam;
Lubrica tangentes fallit, vt aura, manus.
Lecta ſed æthereis æternant ſerta roſetis,
Inuida quæ nullis deterat hora rotis.
Non hic parca breues diſtillat purpura rores;
Sed fons Sidonias prodigus vndat opes.

Tunc

Tunc quibus, ô! tinges formoſa roſaria ſuccis?
    Qualibus ardebunt florea ſerta roſis?
Eximium quibus inuideat decus æger Hymettus
    Et Corcyræi victa roſeta proci.
Nunc infrondis hiems ſi ver tibi fundit odorum,
    Quanta putas ipſo munera vere metes?
Ergo θεῷ φίλη carpe roſas ceu ſemen honoris,
    Vnde ſerat clarum gloria cana decus.
Suada nec inde breues deſumat fama corollas,
    Laus ſed odoratis ſpiret anhela labris.
Ambroſios vt vbique fides diffundat odores,
    Dorotheæ calathis Theiophilique roſis.

EPISTOLA VII.

ARGVMENTVM.

M*Agnus ille Hilarius, auguſtum Galliarum lumen, Pictauienſis Epiſcopus, Apram filiam ſuam è priſtino ante ſacram tiaram toro genitam, cui forma eximia, nec minor morum venuſtas, hortatur propior roganti, quàm iubenti, pro ſua paternâ curâ, ne cui vmquam ſe coniugio adſtringat: ſed tam moleſto & pertinaci iugo libera, caſta agna æternùm ſit comes illi Agno, quem ſolæ in cæleſti Sion virgines ſequuntur: quibus in capite aurea corona, in manu argentea lilia. Cuius monitis virgo ſuaptè ſponte parêre facilis obſecundat.* Ioannes Bollandus in vitâ Hilarij & Apræ, *vbi & ſuauiſſimam Hilarij ad filiam epiſtolam leges.*

HILA-

HILARIVS APRÆ FILIÆ SVÆ.

PEruigil in patrias mens excubat, aſpice, curas,
Ne ruat in cæcum fluxa iuuenta nefas:
Teſtis erit pia cera, probis ſignata figuris;
Vnde legas dulces plus ape caſta fauos:
Fortè tibi blando ne ſublinat ora veneno
Quæ furit immiti crimine blanda Cypris.
Illa nimis tenerum mira dulcedine pectus
Mulcet, & in ſæuos aſperat arma dolos.
Quæ volo, gnata, velis: ne fòrs malè prouida noxæ
Lugubre ſerò nefas erubuiſſe velis.
Ne placitus te fallat Hymen, neu gratia riſûs:
Sardoo in riſu peſtis amara ſedet.
Neu ſis quod miſero fuit inſcia Dina tyranno,
Dina, Syrus fœdâ quam Paris arte tulit.
Quid memorem Silo quas rapuit, vel Roma Sabinas?
Dic, vbi non cæcis clauſa pericla dolis?
Effuge florentes violâ de Cypride turbas:
His latet in violis aſpis alumna neci.
Pars trahitur ſincera, mali contage veneni,
Tabidaque inde putris ſerpit in oſſa lues.
Quis ſatis inſidias oculis excludat & hoſtes,
Aut pudor, aut fido ſepta pudore domus?
O quoties, culpam toto quæ neſcijt æuo,
Abripit in præceps hora vel vna nefas?
O vbi non blandis maleſuada querela ſuſurris,
Flexanimiſque oculis pendulus ardet amor?
Hinc, vt oborta dies, triſtes vigil incubo curas;
Sin nox, atra metu terret imago torum.
Iamque gelat, tremuloque coit ſub pectore ſanguis,
Fibra micat, gremio frigida ſerpit hiems.
Nunc igitur patrios, mea lux, ſolare labores,
Ac ſapiat caſtum cana iuuenta decus.

Et ſis pænè parens grandæuo, gnata, parenti:
Hanc pietas certè debet adulta fidem.
Quid tibi cum piceæ fumante volumine tædæ,
Quam tibi de fragili fronde coronat Hymen?
Pronuba nónne cauas fax tæda faceſſit in vmbras,
Sutilis & fluxo flore corolla fugit?
Quid chorus? adde, leui pede lapſa relapſa voluptas?
Mors vibrat è medijs tela cruenta choris.
Vltimus hic, primuſque fugam gradus vrget ad vrnam;
Dura licet, cuiuis iſta terenda via eſt.
Ah! tibi vix paucas tanti ſit luſus ad horas,
Cogat vt æternum ſeria damna queri?
Qui modò flos viuus pulchrâ cum coniuge coniux,
Mox necis ad falcem vix cinis orbus erit.
Ecqua, putas, ſignat dotales prima tabellas
Syllaba? mors princeps occupat atra caput.
Quas tibi dictat Hymen tabulas, ſuprema voluptas
Firmat, & hinc tandem mors rata pacta facit.
Sic morti denubit Hymen: ſic impare flammâ,
Quæ fax nata choris, lucet in exſequias.
Nónne maritali dextram ſic iungere dextræ,
Id fuit implexas diſſiluiſſe manus?
Et vis, cùm thalami ſpem tam breuis auferat hora,
Coniuge vincta iugo tædia tanta pati?
Quòd ſi dulce trahant ſocialia vincula pondus,
Vnus & vtrouis pectore viuat amor:
Quàm timor alternas cruciat de coniuge curas,
Vírne tuos oculos claudat, an ipſa viro?
Quinque vides tædas, queis luxit pronuba ſponſæ:
Tot cor & amburent ignea tela tuum.
Quaque præit comes ignis aquæ, præit omina luctûs,
Hæc aqua fert lacrymas, ignis at ipſe faces.
Cætera quid memorem lenti monumenta doloris:
Quæ thalami viridi limine ſculpta legas?
Ad iuga panda boues vrgeri cernis aratro?
Vtque graui fumat frons recutita iugo?

Sic

Sic ſe quiſquis amat vinclo ſociare iugali,
Æterni admittit triſte laboris onus.
Nemo dabit ſemper puros hîc fulgere ſoles:
Perpete ſtare gradu gaudia nemo dabit.
At dederim, liquido cui ſit de fonte voluptas,
Vber inoffenſo tramite riuus eat:
Quæ tamen inde ſalus, aut ſpes ſecura pericli
Manat, vbi curæ turbida corda grauant?
Videris vt cunas tremulus queis fluctuat infans,
Dic, Natat hîc curis nauis onuſta meis.
Vt primum grauidâ puer hæſerit inſitus aluo,
Hinc ſeges ærumnis naſcitur ampla tuis.
Cura moleſta caput ſtreperis circumvolat alis,
Aſperaque hamato lancinat vngue iecur.
Verà nec inde quies, ſeu diſpare lucis in vſu
Phoſphorus albet agris, Heſperus vmbrat aquas.
Mitto parum lætos dubiâ de prole labores.
Quæ ſedet in thalamo tuta dolore quies?
O quanto ſatius tenui de puluere curſum
Altera nunc alijs cura reflectat equis!
Æternam tibi ſe dotem cui dixit Ieſus,
Millibus è multis rarus adoptat Hymen.
Adſpice, cui toto ſpirat vis regia vultu,
Vult regina ſacro ſponſa ſit Apta toro.
Cui gemmans ſtola ſidereis pellucet ocellis,
Purpuraque intextis ſplendida chryſolithis:
Totque micat lectis rubro de gurgite baccis,
Quot rores bibulis verna dat aura roſis.
Hîc quæ virginei fax candida fœderis auſpex,
Emicat auguſtis quà calet ara ſacris.
Lucidior ſolis radio iubar afflat amœni
Veris, & ingenuo temperat igne diem.
Quæque ſemel peperit, ſemper ſacra paſcit Ieſu
Sidera, liligeris ſidera cincta comis.
Immortalis amor ſemper florentis Ieſu
Prouidus æternas quas dedit, auget opes.

At ſibi quæ tantos fiducia ſperet honores?
Ficta puella luto, cælite digna toro eſt?
Parce metu: meritum ſi non hos æquat amores,
Quære Deum: caſtâ quærere mente ſat eſt.
Poſſe velis, & velle potes; potes auſpice Chriſto,
Qui tibi pura ſtruit virgine ſerta manu.
Has memor, vt docili ſculpas in pectore curas,
Deque pijs curis pronuba vota feras.
Diſpunctum nitido tibi mitto monile pyropo
Berylloque, vibrans cui comes albet onyx.
Crux hîc læta micat, gratum ſine pondere pondus:
Hîc dotem ſtabili de cruce ſancit Hymen.
Inde perenne decus (viuas modò fida pudori)
Præs ſacer è ſponſo virgine ſpondet amor.

EPISTOLA VIII.

ARGVMENTVM.

Promittit ſe numquam nuptiis illigandam: ſimul aperit vti Chriſtus apparuerit, ſeq; in ſponſam ſibi deſponderit.

APRA HILARIO PARENTI.

Qvas mittis teneræ caſto pro flore iuuentæ,
Melle reor ſcriptas in mea vota notas.
Vſque adeò grato cor imbuit imbre voluptas,
Meque ſacer dulci nectare paſcit Hymen.
Macte pares animis, cliuo ſudamus in vno:
Si tua fax pietas, me tuus vrit amor.
Vnus vbi ſanguis, iunget nos vnus Ieſus:
Ambo pares votis, moribus ambo pares.
Quem potius ſequar æqua pari modò filia paſſu,
Spes cui ſola parens, cura parentis honos?

Pænè,

Pæne parens cogit; quiſquis iubet æquâ: parentis
Nutus enim maius Cæſare numen habet.
Nulla fuit facili Cypris arta magiſtra iuuentæ,
Cypridis ad nomen pallida ſemper eram.
Audio Sirenas, tremulo quibus ocyus vngui
Tinnula facundum dextera criſpat ebur;
Audio (parce metu) duro ſed reſpuo vultu:
Nolo meum populent præmia vana decus.
Stat caſto mens ſepta metu, malè dulce periclum
Auribus excludo, virgine clauſa toro.
Nec caput admittet fragili de flore coronas,
Cui ſedet incomptis mitra pudica comis.
Noſco, Thalaſſe, breui quo gaudia decipis æuo,
Vix vbi fax cœpit florida ſtare, ſtetit.
Et cadit in tetrum tua lux niſi nubila fumum,
Si non in lacrymas fumus amarus abit.
Et quis adhuc adeò demens, vt inania rerum
Ambiat, & veris ingemat vſque malis?
Nuptiæ in exſequias abeunt, & acerba doloris
Pignora, queis crudum quis niſi funus emat?
Gaudia parca, breues ceu mel diſtillat in horas:
Mundus, & è mundo ſæcla doloris eunt.
Quid querar inſidias, & amœna pericula leto,
Quæ ſtruit è ſæuis blanda Venus iaculis?
Ægra metu fugit agna lupos, & pipio miluos,
Damula preſſa canes, anxia cerua feras:
Accipitremque minace caput qui prægrauat vmbrâ,
Effugit ad liquidas Chaonis ales aquas.
Nec minus infeſtam fugio procul incita Cyprin,
Mobilis æripedem quà rapit aura fugam.
Ergò nouis aliò data vela retorqueo ventis,
Et mihi remus aquas alter & alter arat.
Non humiles fragili meditans de puluere curas,
Hæc vbi verſa nouo vota reflecto mari:
Ecce mihi clarâ ſub luce refulſit Ieſus,
Splendida cui purâ fronte corona vibrat.

Obſtupui; ſubitâ defixit imagine vultum
Ille meum; fixis hæreo ſtans oculis.
Dicere vix auſim, placitæ quæ gratia formæ,
Vt tranquillus honos frontis, & oris ebur.
O! vt amans blandis Ieſus arriſit ocellis;
Qualia nectareis ſpirat amoma labris!
Adſpiceres vtinam, quo me dignetur honoris
Pignore, dotales dum mihi ſpondet opes!
Eloquar ingenuam ſponſo de virgine dotem?
Liligeris cingit tempora caſta comis.
Et tereti digito gemmam tranſcribit & aurum:
Hæret in articulis pronuba gemma meis.
Adſpiratque, mero quæ nectare ſuauior, auram:
Liquitur in dulces verſa medulla fauos.
Cætera quid memorem? Diuûm qui gaudia norit,
Si ſapit, ô! tacito gaudeat ille ſinu.
Adſpicis? aligeri volitant hinc inde puelli,
Sollicitantque fides, aut caua buxa ſonant.
Aurea de ſolis radijs dant vincla corollis,
Luteolique fluunt florea dona croci.
Hæc equidem vidi: dubites, obnoxia ſomno,
An vigil in curas: ſomnius, opinor, erat.
Quidquid id eſt, ſomno fluxit mihi vera voluptas;
At modò qui ſomnus, cura perennis erit.
Adiuro Superos, ipſumque obteſtor Ieſum:
Teſtis & ara vouet, quam pia tango, fidem.
Hìc ego vel ſæuis me ſi mors opprimat armis,
Dulcè cadam ſanctis hoſtia caſta focis.
Vox ea, crede mihi, penitis expreſſa medullis;
Nolo natent ſummis languida vota labris.
Quin etiam ſic iuro, fidem non fallo parenti,
Includam memori iuſſa paterna ſinu.
Quod radiat tremulis prælustre monile pyropis,
Pectoris appendix nunc pretioſa mei:
Hoc ego malo meo ſub pectore claudat Ieſus,
Caſtus vt ingenuo pectore viuat Hymen.

Quippe

Quippe tenax fibris amor hæſit, & hæſit ocellis,
Gemmea cui dono diuite bulla micat.
Siue nitens Coâ ſub veſte Superbia pugnat,
Siue petit rubro ſplendida dona mari:
Me tantum pullo ſub vellere victor Ieſus
Ab cruce ſpectabit cælibe ſtare domo.
Siue ſuis felix inuitat Copia gazis,
Et legit ex ipſo munera fulua Tago;
Tunc ea puluereas celer auehet Eurus in vrnas,
Vnica crux ſtabiles fert mihi pauper opes.
Siue meis oculis blanditur amœna voluptas,
Et trahit illecebris imperioſa ſuis:
Arctius æratos crux adſtruet aſpera nodos,
Vincula quæ ferro cuſa tenace rubent.
Vincula quem, quæſo (fuluas trahat, eſto, catenas)
Purpureis clauis nobiliora tenent?
Si ſol ſæpe redux longos indulgeat annos,
Et cum ſole crucis ſæpe redibit amor.
Nempe triumphales lubet hinc decerpere palmas:
Nil iuuat è fluxis plexa corolla comis.
Hoc votum ſummis ceris ſignabit & imis
Littera, quâ ſponſis dico perenne vale.
Ergo meo, Pari quiſquis ades, vel Adoni, pudori
Parcite; de Cyprio præda petenda grege eſt.
Cera ſed eſt alio nunc erudienda ſigillo,
Interpres voti cera futura mei.
Quid tibi vis voueam ſancto pia nata parenti,
Quando voues gnatæ dona decora tuæ?
Sit precor os aurum, ſint & tua labra pyropus,
Splendida queis felix oſcula reddat amor.
Oſcula ſi fuerint & non inſigne ſigillum,
Enthea quod ſancto ſignat imago ſtylo.
O amor alme, meis patris imprime ſigna labellis:
Hærebit labijs dia figura meis.

EPISTOLA IX.

ARGVMENTVM.

Carolomannus, Caroli Martelli filius, belli aquè ac pacis artibus Rex clariſsimus, ſuaſu S. Bonifacij Archiepiſcopi Moguntini, ſe regno abdicat, atque cedit fratri ſuo Pipino, ſeſeq. in monaſterium abdit Romæ. Vbi dum plurimi aduenæ eius interpellant quietem, ignotus Caſsinum confugit; ibiq. coquum agit: in tam obſcuro officio eius tamen regia dignitas miro cũ n eluxit. Itaque ſuperbam regij honoris vanitatem & pericula Carolomannus expertus, deſcribit in vitâ ſolitariâ ſuaues & ſecuras ſub crucis vmbrâ delicias. Baronius ad annum Christi DCCXLVI.

CAROLOMANNVS BONIFACIO ARCHIEPISCOPO.

ILle ego, qui ſuetus dare regia iura Quirino,
Ius mihi dico nouum: dicere iuſſit amor,
Pauper amor rerum, ſed diues ab vbere voto;
Os cui transſpirat nectar & ambroſiam.
Illius imperio, quo non auguſtior vllus
Cæſar vtroque regit ſceptra ſuperba polo:
Dia tulit celeres quis neſcio iuſſa per auras;
His iuſſis faciles illicò dedo manus.
Numinis impulſu fragiles faſtidio faſces:
Hæc pretioſa necis pignora, frater, habe.
Iam poſui ſceptrum, detraxi fronte coronam,
Heu! capiti & manibus pondera iniqua meis.
Tam breue numquid ebur, tenui cui ſplendor ab auro,
Suſtinet immenſum, quod trahit orbis, onus?

Haud

Haud ego credideram. Malo ſim cælifer Atlas,
Corde gerens cælum; quod pede deinde teram.
Non ſtirpis ſurgentis honos, non gloria tangit
Cæſaris, oſtrino non toga tincta cado.
Quî me tangat honos, capiatúe ſuperba voluptas?
Hinc ſcelus, inde dolus: manat vtrimque dolor.
En, Pater alme, doli & ſceleris ſecurus aſylum,
Te duce iam melior Carolomannus habet.
Senſit honos, fateor (quis lumina fallat honoris?)
Furta fugæ pulchris inſidioſa dolis.
Quot micat hic gemmis, tot lynceus ardet ocellis.
Deprendit latebras Argus hic inde meas.
Ergo gemens defert ſqualentes puluere ceras,
Queis ruber oſtrinis littera prima roſis.
Præradianſque meum magno de Cæſare nomen
Oſtentat nitidis aurea penna notis.
Legero? non tanti eſt; limis vt digner ocellis.
Cera, precor, iuſtis fax ſit alumna rogis.
Cæſaris & nomen, ſceptrumque & Cæſaris arces
Nullius anguſtâ nominis abdo caſâ.
Hic ego quàm video ſpecioſa pericula mundi!
Quàm video, vt dubio ſors ſtet amica gradu!
Ecqua, putas, ſtabili ſubnititur aula tropæo?
Subruit immiſſus præmia clara furor.
Limina purpureo qui preſſit eburna cothurno,
Barbara gypſato mox pede vincla trahit.
Miſta ſuis vno ſub ſole catena coronis,
Hinc decorat ſeruos, illigat inde duces.
Quot nigra mors trabeas, vbi ſceptra ligonibus æquat,
Auſa fuit pullas inter humare togas!
Quæ non mutat humus viridem de cæde cruorem?
Vidi ego pro ſpicis tela cruenta legi:
Vidi ego denſa teri ſub vomere funera ſulcis:
Sanguineis vidi regia ſigna vadis:
Et vidi nitido nantes priùs æquore Nymphas
Erubuiſſe rubro naufraga ſceptra mari:

Et vidi phaleras Nereïdas inter & aurum
Non ſua mirantes munera nare freto.
Meta nec vlla malis; & adhuc mors euibrat arcum,
Pondus & ex humeris excutit omne ſuis.
Heu necis ignaræ mentes, queis imperat error,
Lubrica præcipites quà via raptat equos.
Ah! noua teligero mors vulnera parturit arcu:
Nec quis adhuc tuto quærat aſyla ſpecu?
Haud ego plus auſim tali me credere monſtro,
Prouidus alterius vulnere diſco frui.
Ocyus Æolidûm rapidis per inania pennis
Effugi laqueos, ſpicula, buſta, cruces.
Ille Caphareis proram qui fregerit vndis,
Anxia naufragis vela retorquet aquis.
Qui ſemel accipitris ſit saucius vngue palumbes,
Effugit, hoſtilis quà præit vmbra, minas.
Quique canis ſub dente lepus ſtetit, alite curſu
Cautior infeſtos præuolat ille canes.
Cauta nec ambuſtas petit vlla ciconia turres,
Viderit vt ſæuis oppida verſa rogis.
Qui cæcas fugit inſidias memor antè pericli,
Hunc ſequitur tuto poſtera Marte ſalus.
Quiſquis amas fluxos, famæ breue pignus, honores,
Quæque micant fragili vitrea dona gelu;
Et trahis in duros adamantina vincla labores;
Eia, celer rupto diſcute fræna iugo.
Quàm benè perplexis ſe retibus expedit hinnus,
Quàm benè de viſco libera præpes abit!
Tam benè purpureis ſe rex euoluit habenis,
Effugit & pictos, ſplendida vincla, dolos.
Ite graues ſomni, vaniquè peculia luxus:
Ite leues, faſtus quas ſibi conflat, opes.
Et procul inſidiæ, queis fallere gnara voluptas,
Abripit addictos ſub ſua iura viros.
Vt quid adhuc miſeram properas inglorie metam
Gloria, & in fuluâ compede corda tenes?

Si

Si volucri ſuffulta globo ſpes ludit & auro,
Quid niſi fortunæ ceu pila, regna labant?
Sat celſis creui ſolijs, imiſque ruinis
Decreui, dubijs ludus & ipſe dolis.
Palleat, infauſto cui purpura floret in auro,
Cuique grauant feſſas anxia ſceptra manus.
Cuique animum mordax vrtica deurit honoris,
Oſtriferæque angit cæca libido togæ.
Mirentur ſuperis æquanda palatia regnis,
Quæque vibrant fuluis templa ſuperba tholis:
Mirenturque Semirameas nemus ire per arces,
Cui breue ſubmittant Pindus & Oſſa caput.
Mirentur Mauſolæi decora alta ſepulcri,
Et, freta quæ pernox deſpicit alta, Pharon.
Aſt ego tale nihil miror, vanoſúe labores:
Suſpicio ſanctæ ſpinea ſceptra crucis.
Eſt mihi crux ſolium: cui credo tot ire pyropos,
Quot guttas Domini ſtillat ab ore cruor.
Huc quas purpureis dux gloria flexit habenis,
Siſto licet feſſas feſſus & ipſe rotas.
Illius hîc currus, hîc illius arma, coronas,
Illius vro ſacris aurea dona rogis.
Hîc ego me mundi ſentis extrico catenis,
Splendidaque in fœdum deſpuo ſceptra decus.
Hoc ego ter felix inſcribar imago ſepulcro:
Hîc didici mundo ſub cruce dulce mori.
Qualibus & quantis circumfluit ebria donis,
Et queis delicijs mens bene merſa natat!
O, vt ego dulces tranquilla per otia noctes!
Nocturni lacrymæ roris vt inſtar eunt!
O, vt ego puro contemplor lumine Numen!
Quod mihi ſancta quies nectaris vber alit!
O bone mi Ieſu! vox deficit omnis in iſto
Nomine. Quanta tuo gaudia fonte fluunt!
Cor fluit in lacrymas, quas igneus imbuit humor,
Exprimit ignigenas ignis amoris aquas.

Blan-

Blanda cruci quoties figo cum ſupplice fletu
  Suauia, cor rapiunt ſuauia fixa fibris.
Et iam pænè cauis fugit exſul in ora latebris:
  Sed vetat è coſtis oſſea trama viam.
Sed bene habet: cor icit amor: ſub pectore vulnus
  Oſcitat: en lato vulnere vita fugit.
Quaque fugit me vita, via cor effugit vna,
  Hoſpitaque in Chriſti pectore tecta ſubit.
Inde ego ſidereo ſublatus in æthera curru
  Cuncta tero ſceptris inferiora meis.
Huc tua me vexit, Præſul ter maxime, virtus,
  Et vox fulmineis acrior illa globis.

EPISTOLA X.

ARGVMENTVM.

CArolomannus aulæ delicijs, vt ſuperiore epiſtolâ dictum fuit, contemptis, diuinitus hauſtas delicias, quibus ſe in illâ religioſæ aſperæq; vitæ paupertate circumfluere ſentiebat, fratri ſuo enarrat.

CAROLOMANNVS PIPINO FRATRI.

HActenus implicuit pulchro me purpura nexu:
  Explico nunc vacuas ad ſacra ſceptra manus.
Sceptra Ducum domitor, debellatorque Deorum
  Quæ gerit, & Diuis vſque gerenda vouet:
De fuluis cui chryſolithis ſtellata coruſcat
  Purpura, & auratis nupta corona comis.
Ille mihi rebus princeps nunc cauſſa nouandis:
  Nunc honor eſt odio, dulce quod antè decus.
Et mihi nunc ægro colocynthis amara palato,
  Grata diu lautæ Gallica fercla fami.

Aula

Aula vale, niueis nuper ſpectanda tiaris:
Grande tumens pictis veſtibus aula, vale.
Aula vale magnis nuper fumoſa popinis,
Voſque diu lauto iure valete dapes.
Nolo grauis crudo paſcat gula ſanguine mortes,
Carnificeſque rogos pingue liquente garo.
Malo famem ſiccâ fallat macra cœnula betâ:
Cui ſic menſa ſapit ſobria, mente ſapit.
Non liquor Heſperius fuluo circumfluit auro,
Ebria Lucrino concha nec vlla lacu.
Non hîc plena croco, vel diuite cochlea nardo,
Vlla nec Hyblæis illita liba fauis.
I, Cleopatra, tuas procul hinc, &, Marce, popinas
Aufer: amant alias fercula caſta dapes.
Munda quidē nitet hic, tamen haud operoſa ſupellex,
Hydria, teſta, ſcyphus faginus, olla, teges.
Menſula parcâ thymo viret, ac viret herbida thymbrâ,
Sobria fontanas vrna propinat aquas.
Et ſuus illecebris locus eſt in paupere cœnâ.
Delicias omnes tu mihi, Chriſte, facis.
Tu mihi nardus olens, tu grati meſſis amomi,
Tu crocus, & caſiæ non moriturus odor.
Præque tuo labio mera nautea putet amomum,
Quiſquis & è nardo vincit amoma liquor.
O! mihi quis narret quæ gaudia? quiue ſuſurri?
O, quibus illecebris ebria corda natant!
Vix benè libo breui quem neſcio rore ſaporem
Pectora nectareo delicuere mero,
Quin etiam, (prô, quanta quies ſecura timoris!)
Cœnat in herboſo pax comes alba toro.
Nam meus hic hoſpes nutu qui concutit orbem,
Adſpice, ſtans humili ſub fore limen adit.
Et fractis radijs iam debile, victor Ieſus
Quod terit in primo limine, fulmen humi eſt.
Nempe triumphali pede ſupprimet omnia Diuûm
Spicula plectendi criminis vltor amor.

Exſtinguitque faces, & ſæuis fumea tædis
Lumina ſub Stygios iuſſa redire lacus.
Vana ſed obtendit fallacis ad orgia ſcenæ,
Quos ludit vitreos mundus in orbe dolos.
Coccina ſpondet ouans, & inania vellera Serum,
Et grauidam donis ponderat ille manum.
Hîc pictis oculi radijs obludit amœnè
Diſcolor, & Tyrio fimbria pota cado.
Sed fugiunt fragilis iucunda choragia ſcenæ,
Et redit in cæcum lux modò tanta nihil.
Tunc erit, vt vanis olim malè credula formis
Dicat amor, pulchræ lumina fige cruci.
Lumina fige cruci, quâ non formoſior arbor,
Vnde legas animo pabula grata tuo.
Sanguineis oculis quid dulce loquetur Ieſus,
Dulcior ambroſiâ vox cui ſanguis erit.
Quot radios oculis, tacitas tot & inde catenas
Nebit amor, queis cor vinciat ille tuum.
Diſce mori, cui nunc ætas viret integra, mundo:
Surgit enim è mundi funere læta ſalus.
Ritè perit viridi ſpes inſidioſa iuuentæ,
Quam pietas Chriſto vindice tuta rapit.
Nonne breues fugiunt Zephyri florente flabello
Quæ geniale caput circumiere roſæ?
Si roſa natali fugit haud reditura roſeto,
Annè putas formæ ſerò redibit honos?
Quæ fugit, æternum roſeo cum flore iuuentus
Effugit: at iugi vere perennat amor.
Dius amor, puro cui frons nitet æmula ſoli,
Deque immortali gloria flore viret.
O! quanto ſatius caſto florebit in æuo
Digna iuuenta Deo, quàm cadat hauſta rogis.
Nunc igitur ſat vbi luſi, ne cætera ludam
Tempora, munde, tuas abdico nudus opes.
Iſta dies hodie (ni me mea lumina fallant)
Seria quæ Diuûm gaudia reddat, erit.

Regia

Regia nunc aliis innectet ſceptra coronis;
Et crux, & dominâ quæ cruce ſpina rubet.
Sic vbi captiuus pia ſtrinxero vincla lacertis,
Illaqueans vncis oſcula vincta rubis:
Has qui diſſoluat ſeu vi, ſeu fraude catenas,
Hoſtis agens belli fulmina, nullus erit.
Quos non ſanctus amor ſeſe transformat in vſus?
Quâ non arte ſagax omne recudit opus?
Siue cruenta ciet bellaci prælia telo,
Omne mihi telum grande dat ire decus:
Siue triumphalem properat decerpere laurum,
Parta ſacro bello palma perennè viret:
Siue mihi blandos acclinat in oſcula vultus,
Ambroſijs miror ſuauia tincta fauis:
Seu mihi de vario concinnat flore coronam,
Me tenet implexis vincta corona roſis:
Denique quidquid agit pulcher meus ardor Ieſus,
Et decet, & pulchrâ laude decenter agit.
Quid memorem, quibus illecebris mihi pectus inundet,
Ebrius ambroſijs dum labra libo labris?
Et mirare, ſatur tali ſi nectare Diuûm
Reſpuo, quas ſpondet gloria ſicca, dapes;
Ieiunas animas vacuo quæ fruſtrat hiatu,
Et mentita mero paſcere, paſcit aquis;
Atque adeò lacrymis (lacrymis quis amarior humor?)
Queis violat crudus gaudia vana dolor.
Nunc age fraternam tibi tu transſcribe coronam.
Cedo tuo capiti, quod premo calce decus.
Et ſine me dulci nunc indulgere labori,
Vnde perennis agat candida ſæcla quies.
Paſtor enim baculus quouis mihi gloria ſceptro
Clarior: in curto ſtat mea Roma pedo.
Quæque meis humeris balat, vagitque ſuperſtes,
Gratius agna Tyri vellere vellus alit.
Quod Chriſtum decuit, tenerum qui detulit agnum,
Hoc hominem credas dedecuiſſe decus?

Nec

Exſtinguitque faces, & ſæuis fumea tædis
  Lumina ſub Stygios iuſſa redire lacus.
Vana ſed obtendit fallacis ad orgia ſcenæ,
  Quos ludit vitreos mundus in orbe dolos.
Coccina ſpondet ouans, & inania vellera Serum,
  Et grauidam donis ponderat ille manum.
Hic pictis oculi radijs obludit amœnè
  Diſcolor, & Tyrio fimbria pota cado,
Sed fugiunt fragilis iucunda choragia ſcenæ,
  Et redit in cæcum lux modò tanta nihil.
Tunc erit, vt vanis olim malè credula formis
  Dicat amor, pulchræ lumina fige cruci.
Lumina fige cruci, quâ non formoſior arbor,
  Vnde legas animo pabula grata tuo.
Sanguineis oculis quid dulce loquetur Ieſus,
  Dulcior ambroſia vox cui ſanguis erit.
Quot radios oculis, tacitas tot & inde catenas
  Nebit amor, queis cor vinciat ille tuum.
Diſce mori, cui nunc ætas viret integra, mundo:
  Surgit enim è mundi funere læta ſalus.
Ritè perit viridi ſpes inſidioſa iuuentæ,
  Quam pietas Chriſto vindice tuta rapit.
Nônne breues fugiunt Zephyri florente flabello
  Quæ geniale caput circumiere roſæ?
Si roſa natali fugit haud reditura roſeto,
  Annè putas formæ ſerò redibit honos?
Quæ fugit, æternum roſeo cum flore iuuentus
  Effugit: at iugi vere perennat amor.
Dius amor, puro cui frons nitet æmula ſoli,
  Deque immortali gloria flore viret.
O! quanto ſatius caſto florebit in æuo
  Digna iuuenta Deo, quàm cadat hauſta rogis.
Nunc igitur ſat vbi luſi, ne cætera ludam
  Tempora, munde, tuas abdico nudus opes.
Iſta dies hodie (nî me mea lumina fallant)
  Seria quæ Diuûm gaudia reddat, erit.

Regia

Regia nunc aliis innectet ſceptra coronis,
Et crux, & dominâ quæ cruce ſpina rubet.
Sic vbi captiuus piâ ſtrinxero vincla lacertis,
Illaqueans vncis oſcula vincta rubis:
Has qui diſſoluat ſeu vi, ſeu fraude catenas,
Hoſtis agens belli fulmina, nullus erit.
Quos non ſanctus amor ſeſe transformat in vſus?
Quâ non arte ſagax omne recudit opus?
Siue cruenta ciet bellaci prælia telo,
Omne mihi telum grande dat ire decus:
Siue triumphalem properat decerpere laurum,
Parta ſacro bello palma perenne viret:
Siue mihi blandos acclinat in oſcula vultus,
Ambroſijs miror ſuauia tincta fauis:
Seu mihi de vario concinnat flore coronam,
Me tenet implexis vincta corona roſis:
Denique quidquid agit pulcher meus ardor Ieſus,
Et decet, & pulchrâ laude decenter agit.
Quid memorem, quibus illecebris mihi pectus inundet,
Ebrius ambroſijs dum labra libo labris?
Et mirare, ſatur tali ſi nectare Diuûm
Reſpuo, quas ſpondet gloria ſicca, dapes?
Ieiunas animas vacuo quæ fruſtrat hiatu,
Et mentita mero paſcere, paſcit aquis;
Atque adeò lacrymis (lacrymis quis amarior humor?)
Queis violat crudus gaudia vana dolor.
Nunc age fraternam tibi tu transſcribe coronam.
Cedo tuo capiti, quod premo calce decus.
Et ſine me dulci nunc indulgere labori,
Vnde perennis agat candida ſæcla quies.
Paſtor enim baculus quouis mihi gloria ſceptro
Clarior: in curto ſtat mea Roma pedo.
Quæque meis humeris balat, vagitque ſuperſtes,
Gratius agna Tyri vellere vellus alit.
Quod Chriſtum decuit, tenerum qui detulit agnum,
Hoc hominem credas dedecuiſſe decus?

Nec

Obſtupui; ſubitâ defixit imagine vultum
Ille meum; fixis hæreo ſtans oculis.
Dicere vix auſim, placitæ quæ gratia formæ,
Vt tranquillus honos frontis, & oris ebur.
O! vt amans blandis Ieſus arriſit ocellis,
Qualia nectareis ſpirat amoma labris!
Adſpiceres vtinam, quo me dignetur honoris
Pignore, dotales dum mihi ſpondet opes!
Eloquar ingenuam ſponſo de virgine dotem?
Liligeris cingit tempora caſta comis.
Et tereti digito gemmam transſcribit & aurum:
Hæret in articulis pronuba gemma meis.
Adſpiratque, mero quæ nectare ſuauior, auram:
Liquitur in dulces verſa medulla fauos.
Cætera quid memorem? Diuûm qui gaudia norit,
Si ſapit, ô! tacito gaudeat ille ſinu.
Adſpicis? aligeri volitant hinc inde puelli,
Sollicitantque fides, aut caua buxa ſonant.
Aurea de ſolis radijs dant vincla corollis,
Luteolique fluunt florea dona croci.
Hæc equidem vidi: dubites, obnoxia ſomno,
An vigil in curas: ſomnus, opinor, erat.
Quidquid id eſt, ſomno fluxit mihi vera voluptas;
At modò qui ſomnus, cura perennis erit.
Adiuro Superos, ipſumque obteſtor Ieſum:
Teſtis & ara vouet, quam pia tango, fidem.
Hìc ego vel ſæuis me ſi mors opprimat armis,
Dulcè cadam ſanctis hoſtia caſta focis.
Vox ea, crede mihi, penitis expreſſa medullis;
Nolo natent ſummis languida vota labris.
Quin etiam ſic iuro, fidem non fallo parenti,
Includam memori iuſſa paterna ſinu.
Quod radiat tremulis prælustre monile pyropis,
Pectoris appendix nunc pretioſa mei:
Hoc ego malo meo ſub pectore claudat Ieſus,
Caſtus vt ingenuo pectore viuat Hymen.

Quippe

Quippe tenax fibris amor hæſit, & hæſit ocellis,
  Gemmea cui dono diuite bulla micat.
Siue nitens Coâ ſub veſte Superbia pugnat;
  Siue petit rubro ſplendida dona mari:
Me tantùm pullo ſub vellere victor Ieſus
  Ab cruce ſpectabit cælibe ſtare domo.
Siue ſuis felix inuitat Copia gazis,
  Et legit ex ipſo munera fulua Tago:
Tunc ea puluereas celer auehet Eurus in vrnas,
  Vnica crux ſtabiles fert mihi pauper opes.
Siue meis oculis blanditur amœna voluptas,
  Et trahit illecebris imperioſa ſuis:
Arctius æratos crux adſtruet aſpera nodos,
  Vincula quæ ferro cuſa tenace rubent.
Vincula quem, quæſo (fuluas trahat, eſto, catenas)
  Purpureis clauis nobiliora tenent?
Si ſol ſæpe redux longos indulgeat annos,
  Et cum ſole crucis ſæpe redibit amor.
Nempe triumphales lubet hinc decerpere palmas:
  Nil iuuat è fluxis plexa corolla comis.
Hoc votum ſummis ceris ſignabit & imis
  Littera, quâ ſponſis dico perenne vale.
Ergo meo, Pari quiſquis ades, vel Adoni, pudori
  Parcite; de Cyprio præda petenda grege eſt.
Cera ſed eſt alio nunc erudienda ſigillo,
  Interpres voti cera futura mei.
Quid tibi vis voueam ſancto pia nata parenti,
  Quando voues gnatæ dona decora tuæ?
Sit precor os aurum, ſint & tua labra pyropus,
  Splendida queis felix oſcula reddat amor.
Oſcula ſi fuerint & non inſigne ſigillum,
  Enthea quod ſancto ſignat imago ſtylo.
O amor alme, meis patris imprime ſigna labellis:
  Hærebit labijs dia figura meis.

EPISTOLA IX.

ARGVMENTVM.

CArolomannus, Caroli Martelli filius, belli aquè ac pacis artibus Rex clariſsimus, ſuaſu S. Bonifacij Archiepiſcopi Moguntini, ſe regno abdicat, atque cedit fratri ſuo Pipino, ſeſeq; in monaſterium abdit Romæ. Vbi dum plurimi aduenæ eius interpellant quietem, ignotus Caſsinum confugit; ibiq; coquum agit: in tam obſcuro officio eius tamen regia dignitas miro caſu eluxit. Itaque ſuperbam regij honoris vanitatem & pericula Carolomannus expertus, deſcribit in vitâ ſolitariâ ſuaues & ſecuras ſub crucis vmbrâ delicias. Baronius ad annum Chriſti DCCXLVII.

CAROLOMANNVS BONIFACIO ARCHIEPISCOPO.

ILle ego, qui ſuetus dare regia iura Quirino,
Ius mihi dico nouum: dicere iuſſit amor.
Pauper amor rerum, ſed diues ab vbere voto;
Os cui transſpirat nectar & ambroſiam.
Illius imperio, quo non auguſtior vllus
Cæſar vtroque regit ſceptra ſuperba polo:
Dia tulit celeres quis neſcio iuſſa per auras;
His iuſſis faciles illicò dedo manus.
Numinis impulſu fragiles faſtidio faſces:
Hæc pretioſa necis pignora, frater, habe.
Iam poſui ſceptrum, detraxi fronte coronam,
Heu! capiti & manibus pondera iniqua meis.
Tam breue numquid ebur, tenui cui ſplendor ab auro,
Suſtinet immenſum, quod trahit orbis, onus?

Haud

Haud ego credideram. Malo ſim cælifer Atlas,
Corde gerens cælum; quod pede deinde teram.
Non ſtirpis ſurgentis honos, non gloria tangit
Cæſaris, oſtrino non toga tincta cado.
Quî me tangat honos, capiatúe ſuperba voluptas?
Hinc ſcelus, inde dolus: manat vtrimque dolor.
En, Pater alme, doli & ſceleris ſecurus aſylum,
Te duce iam melior Carolomannus habet.
Senſit honos, fateor (quis lumina fallat honoris?)
Furta fugæ pulchris inſidioſa dolis.
Quot micat hic gemmis, tot lynceus ardet ocellis.
Deprendit latebras Argus hic inde meas.
Ergo gemens defert ſqualentes puluere ceras,
Queis ruber oſtrinis littera prima roſis.
Præradianſque meum magno de Cæſare nomen
Oſtentat nitidis aurea penna notis.
Legero? non tanti eſt; limis vt digner ocellis.
Cera, precor, iuſtis fax ſit alumna rogis.
Cæſaris & nomen, ſceptrumque & Cæſaris arces
Nullius anguſtâ nominis abdo caſâ.
Hic ego quàm video ſpecioſa pericula mundi!
Quàm video, vt dubio ſors ſtet amica gradu!
Ecqua, putas, ſtabili ſubnititur aula tropæo?
Subruit immiſſus præmia clara furor.
Limina purpureo qui preſſit eburna cothurno,
Barbara gypſato mox pede vincla trahit.
Miſta ſuis vno ſub ſole catena coronis,
Hinc decorat ſeruos, illigat inde duces.
Quot nigra mors trabeas, vbi ſceptra ligonibus æquat,
Auſa fuit pullas inter humare togas!
Quæ non mutat humus viridem de cæde cruorem?
Vidi ego pro ſpicis tela cruenta legi:
Vidi ego denſa teri ſub vomere funera ſulcis:
Sanguineis vidi regia ſigna vadis:
Et vidi nitido nantes priùs æquore Nymphas
Erubuiſſe rubro naufraga ſceptra mari:

Et vidi phaleras Nereidas inter & aurum
Non ſua mirantes munera nare freto.
Meta nec vlla malis; & adhuc mors euibrat arcum,
Pondus & ex humeris excutit omne ſuis.
Heu necis ignaræ mentes, queis imperat error,
Lubrica præcipites quà via raptat equos.
Ah! noua teligero mors vulnera parturit arcu:
Nec quis adhuc tuto quærat aſyla ſpecu?
Haud ego plus auſim tali me credere monſtro,
Prouidus alterius vulnere diſco frui.
Ocyus Æolidûm rapidis per inania pennis
Effugi laqueos, ſpicula, buſta, cruces.
Ille Caphareis proram qui fregerit vndis,
Anxia naufragis vela retorquet aquis.
Qui ſemel accipitris ſit ſaucius vngue palumbes,
Effugit, hoſtilis quà præit vmbra, minas.
Quique canis ſub dente lepus ſtetit, alite curſu
Cautior infeſtos præuolat ille canes.
Cauta nec ambuſtas petit vlla ciconia turres,
Viderit vt ſæuis oppida verſa rogis.
Qui cæcas fugit inſidias memor antè pericli,
Hunc ſequitur tuto poſtera Marte ſalus.
Quiſquis amas fluxos, famæ breue pignus, honores,
Quæque micant fragili vitrea dona gelu:
Et trahis in duros adamantina vincla labores;
Eia, celer rupto diſcute fræna iugo.
Quàm benè perplexis ſe retibus expedit hinnus,
Quàm benè de viſco libera præpes abit:
Tam benè purpureis ſe rex euoluit habenis,
Effugit & pictos, ſplendida vincla, dolos.
Ite graues ſomni, vaniquę peculia luxus:
Ite leues, faſtus quas ſibi conflat, opes.
Et procul inſidiæ, queis fallere gnara voluptas,
Abripit addictos ſub ſua iura viros.
Vt quid adhuc miſeram properas ingloria metam
Gloria, & in fuluâ compede corda tenes?

Si

Si volucri ſuffulta globo ſpes ludit & auro,
Quid niſi fortunæ ceu pila, regna labant?
Sat celſis creui ſolijs, imiſque ruinis
Decreui, dubijs ludus & ipſe dolis.
Palleat, infauſto cui purpura floret in auro,
Cuique grauant feſſas anxia ſceptra manus.
Cuique animum mordax vrtica deurit honoris,
Oſtriferæque angit cæca libido togæ.
Mirentur ſuperis æquanda palatia regnis,
Quæque vibrant fuluis templa ſuperba tholis:
Mirenturque Semirameas nemus ire per arces,
Cui breue ſubmittant Pindus & Oſſa caput.
Mirentur Mauſolæi decora alta ſepulcri,
Et, freta quæ pernox deſpicit alta, Pharon.
Aſt ego tale nihil miror, vanoſue labores:
Suſpicio ſanctæ ſpinea ſceptra crucis.
Eſt mihi crux ſolium: cur credo tot ire pyropos,
Quot guttas Domini ſtillat ab ore cruor.
Huc quas purpureis dux gloria flexit habenis,
Siſto licet feſſas feſſus & ipſe rotas.
Illius hîc currus, hîc illius arma, coronas,
Illius vro ſacris aurea dona rogis.
Hîc ego me mundi ſentis extrico catenis,
Splendidaque in fœdum deſpuo ſceptra decus.
Hoc ego ter felix inſcribar imago ſepulcro:
Hîc didici mundo ſub cruce dulce mori.
Qualibus & quantis circumfluit ebria donis,
Et queis delicijs mens bene merſa natat!
O, vt ego dulces tranquilla per otia noctes!
Nocturni lacrymæ roris vt inſtar eunt!
O, vt ego puro contemplor lumine Numen!
Quod mihi ſancta quies nectaris vber alit!
O bone mi Ieſu! vox deficit omnis in iſto
Nomine. Quanta tuo gaudia fonte fluunt!
Cor fluit in lacrymas, quas igneus imbuit humor,
Exprimit ignigenas ignis amoris aquas.

Blan-

Blanda cruci quoties figo cum ſupplice fletu
Suauia, cor rapiunt ſuauia fixa fibris.
Et iam pænè cauis fugit exſul in ora latebris:
Sed vetat è coſtis oſſea trama viam.
Sed bene habet. cor icit amor: ſub pectore vulnus
Oſcitat: en lato vulnere vita fugit.
Quaque fugit me vita, via cor effugit vna,
Hoſpitaque in Chriſti pectore tecta ſubit.
Inde ego ſidereo ſublatus in æthera curru
Cuncta tero ſceptris inferiora meis.
Huc tua me vexit, Præſul ter maxime, virtus,
Et vox fulmineis acrior illa globis.

EPISTOLA X.

ARGVMENTVM.

CArolomannus aulæ delicijs, vt ſuperiore epiſtolâ dictum fuit, contemptis, diuinitus hauſtas delicias, quibus ſe in illâ religioſa aſperaq; vita paupertate circumfluere ſentiebat, fratri ſuo enarrat.

CAROLOMANNVS PIPINO FRATRI.

HActenus implicuit pulchro me purpura nexu:
Explico nunc vacuas ad ſacra ſceptra manus,
Sceptra Ducum domitor, debellatorque Deorum
Quæ gerit, & Diuis vique gerenda vouet:
De fuluis cui chryſolithis ſtellata coruſcat
Purpura, & auratis nupta corona comis.
Ille mihi rebus princeps nunc cauſſa nouandis:
Nunc honor eſt odio, dulce quod antè decus.
Et mihi nunc ægro colocynthis amara palato,
Grata diu lautæ Gallica fercla fami.

Aula

Aula vale, niueis nuper ſpectanda tiaris:
Grande tumens pictis veſtibus aula vale.
Aula vale magnis nuper fumoſa popinis,
Voſque diu lauto iure valete dapes.
Nolo grauis crudo paſcat gula ſanguine mortes,
Carnificeſque rogos pingue liquente garo.
Malo famem ſiccâ fallat macra cœnula betâ:
Cui ſic menſa ſapit ſobria, mente ſapit.
Non liquor Heſperius fuluo circumfluit auro,
Ebria Lucrino concha nec vlla lacu.
Non hîc plena croco, vel diuite cochlea nardo,
Vlla nec Hyblæis illita liba fauis.
I, Cleopatra, tuas procul hinc, &, Marce, popinas
Aufer: amant alias fercula caſta dapes.
Munda quidē nitet hic, tamen haud operoſa ſupellex,
Hydria, teſta, ſcyphus faginus, olla, teges.
Menſula parca thymo viret, ac viret herbida thymbrâ,
Sobria fontanas vrna propinat aquas.
Et ſuus illecebris locus eſt in paupere cœnâ.
Delicias omnes tu mihi, Chriſte, facis.
Tu mihi nardus olens, tu grati meſſis amomi,
Tu crocus, & caſiæ non moriturus odor.
Præque tuo labio mera nautea putet amomum,
Quiſquis & è nardo vincit amoma liquor.
O! mihi quis narret quæ gaudia? quiue ſuſurri?
O, quibus illecebris ebria corda natant!
Vix benè libo breui quem neſcio rore ſaporem
Pectora nectareo delicuere mero.
Quin etiam (prô, quanta quies ſecura timoris!)
Cœnat in herboſo pax comes alba toro.
Nam meus hic hoſpes nutu qui concutit orbem,
Adſpice, ſtans humili ſub fore limen adit.
Et fractis radijs iam debile, victor Ieſus
Quod terit in primo limine, fulmen humi eſt.
Nempe triumphali pede ſupprimet omnia Diuûm
Spicula plectendi criminis vltor amor.

Exſtinguitque faces, & ſæuis fumea tædis
Lumina ſub Stygios iuſſa redire lacus.
Vana ſed obtendit fallacis ad orgia ſcenæ,
Quos ludit vitreos mundus in orbe dolos.
Coccina ſpondet ouans, & inania vellera Serum,
Et grauidam donis ponderat ille manum.
Hic pictis oculi radijs obludit amœnè
Diſcolor, & Tyrio fimbria pota cado.
Sed fugiunt fragilis iucunda choragia ſcenæ,
Et redit in cæcum lux modò tanta nihil.
Tunc erit, vt vanis olim malè credula formis
Dicat amor, pulchræ lumina fige cruci.
Lumina fige cruci, quâ non formoſior arbor,
Vnde legas animo pabula grata tuo.
Sanguineis oculis quid dulce loquetur Ieſus,
Dulcior ambroſiâ vox cui ſanguis erit.
Quot radios oculis, tacitas tot & inde catenas
Nebit amor, queîs cor vinciat ille tuum.
Diſce mori, cui nunc ætas viret integra, mundo:
Surgit enim è mundi funere læta ſalus.
Ritè perit viridi ſpes inſidioſa iuuentæ,
Quam pietas Chriſto vindice tuta rapit.
Nónne breues fugiunt Zephyri florente flabello
Quæ geniale caput circumiere roſæ?
Si roſa natali fugit haud reditura roſeto,
Annè putas formæ ſerò redibit honos?
Quæ fugit, æternum roſeo cum flore iuuentus
Effugit: at iugi vere perennat amor.
Dius amor, puro cui frons nitet æmula ſoli,
Deque immortali gloria flore viret.
O! quanto ſatius caſto florebit in æuo
Digna iuuenta Deo, quàm cadat hauſta rogis.
Nunc igitur ſat vbi luſi, ne cætera ludam
Tempora, munde, tuas abdico nudus opes.
Iſta dies hodie (nî me mea lumina fallant)
Seria quæ Diuûm gaudia reddat, erit.

Regia nunc aliis innectet ſceptra coronis;
Et crux, & dominâ quæ cruce ſpina rubet.
Sic vbi captiuus piâ ſtrinxero vincla lacertis,
Illaqueans vncis oſcula vincta rubis:
Has qui diſſoluat ſeu vi, ſeu fraude catenas,
Hoſtis agens belli fulmina, nullus erit.
Quos non ſanctus amor ſeſe transformat in vſus?
Quâ non arte ſagax omne recudit opus?
Siue cruenta ciet bellaci prælia telo,
Omne mihi telum grande dat ire decus:
Siue triumphalem properat decerpere laurum,
Parta ſacro bello palma perenne viret:
Siue mihi blandos acclinat in oſcula vultus,
Ambroſijs miror ſuauia tincta fauis:
Seu mihi de vario concinnat flore coronam,
Me tenet implexis vincta corona roſis:
Denique quidquid agit pulcher meus ardor Ieſus,
Et decet, & pulchrâ laude decenter agit.
Quid memorem, quibus illecebris mihi pectus inundet,
Ebrius ambroſijs dum labra libo labris?
Et mirare, ſatur tali ſi nectare Diuûm
Reſpuo, quas ſpondet gloria ſicca, dapes;
Ieiunas animas vacuo quæ fruſtrat hiatu,
Et mentita mero paſcere, paſcit aquis;
Atque adeò lacrymis (lacrymis quis amarior humor?)
Queis violat crudus gaudia vana dolor.
Nunc age fraternam tibi tu transſcribe coronam.
Cedo tuo capiti, quod premo calce decus.
Et ſine me dulci nunc indulgere labori,
Vnde perennis agat candida ſæcla quies.
Paſtor enim baculus quouis mihi gloria ſceptro
Clarior: in curto ſtat mea Roma pedo.
Quæque meis humeris balat, vagitque ſuperſtes,
Gratius agna Tyri vellere vellus alit.
Quod Chriſtum decuit, tenerum qui detulit agnum,
Hoc hominem credas dedecuiſſe decus?

Nec

Nec quid vile ſonat do paupere pendula collo
Fiſtula, cui claris ſuauior aura tubis.
Eſt breue rus totâ mihi cultius vrbe Quiritûm:
Imperium Romæ paruula gleba facit.
Gleba virens herbis, ſiccas queis condio cœnas.
Mitte merum: quouis dulcior vnda mero eſt.
Mons mihi Caſſinas Capitolia vincit & aras
Romuleas: cælum cella beata facit.

EPISTOLA XI.

ARGVMENTVM.

Anſbertus Epiſcopus Cameracenſis in ſpem nobiliſſimæ familiæ nepotem ſuum Landelinum egregiæ indolis adoleſcentem educat, & ad omnem virtutis imaginem informat. Sed is æqualium praua conſuetudine in tranſuerſum actus, à ſanctiſſimo patrui contubernio ſe proripit. Inde delapſus in prædones iuuenis manu promptus & ferox, prædonum caput euadit; prædas cum ſuis agit, viatores obtruncat, & villas oppugnat. Quâ in oppugnatione vbi vnus his è ſicarijs occubuit, poſtridie nocturnâ eaq; horribili formâ (mirum viſu) ob attonitos Landelini oculos obuerſatur, vndique funeſto incendio ambuſtus. Quæ tam horrenda ſpecies adeò animo oculiſq; Landelini inhæret, & eos aculeos doloris in pectus defigit, vt ſe cruentis è ſyluis ad patrui aras receperit, & inde in ſolitudinem, vbi toties innoxium crudeli ſicâ effuſum cruorem diuturnis lacrymis diluit. His igitur litteris arguit graues infamiæ notas clariſſimæ familiæ à nepote inuri; præſens Orci periculum aperit, hortaturq; vt maturè à nefariâ viâ gradum reuocet.

ANS-

ANSBERTVS LANDELINO.

QVi poteras mentem ſæuis exſoluere curis,
Oſſibus immittis ſpicula dira meis.
Landeline, ſalus hæc an ſuprema ſenectæ,
Si figat patrui corpore tela nepos?
Tela, quibus miſerum populant mihi vulnera pectus,
Et mea deproperat ſaucia vita mori.
Antè tamen iuſtas audi, quas fundo, querelas,
Molliat vt pectus iuſta querela tuum.
Híccine maturi fructus mihi carpitur æui,
Quem tot ab ærumnis ægra ſenecta legat?
Vt flos ille tuæ pulcherrimus antè iuuentæ
Nunc cadat in Stygios atra fauilla rogos?
Et quæ prima viret horis genialibus ætas
Occupet inſanis crimina digna feris?
In ferrum flammaſque ruis, ruis omne Procuſtæ
In ſcelus, ô vitæ cura ſecunda meæ!
Auius an tales potis es tu tangere curas,
Quas vix pinifero tangat in orbe Scinis?
Sors ea digna viro, cui plurima ſpirat imago,
Atriaque illuſtri ſtemmate clarat auus?
Impius, ah! tot an arma ducum proauita recudet
In ſcelus infami crimine prædo nepos?
Vt vidi templis affixa tropæa parentum,
Quæque vibrant altis hoſtica ſigna tholis,
Exuuiaſque quibus domus hæc antiqua triumphat,
Et de magnanimâ pignora magna domo;
Et fleui, & gemui, ſuſpiriaque ærumnoſâ
Hauſi ſemianimi pectore delacrymans.
Et dixi: O quàm non his æqua relucet imago
Ille nepos, claris lugubre crimen auis!
Quàm non ille meæ iam cura decora ſenectæ!
Quàm non obſequiis gloria digna meis!
Ille mei deſiderij flos omnis & æui
O, in quale nefas degener error abit!

Os atri vt violent multâ de cæde cruores,
Eminet egregio tantus in ore decor?
Infelix animi iuuenis quò proruis? eheu!
Te pereunte mihi vita bis vna perit.
Nec fugis hinc præceps, aliòve reflectis habenas,
Fas vbi ſit tutam præcipitare fugam?
Nunc vbi ſe plenis effundit Gratia portis,
Excipe, quam noxis obuia ſpondet, opem.
Nec tibi ſpes veniæ dulci malè credula ſomno
Securum ſceleri ſuadeat ire diem.
Vnicus innumeros inter vix prædo ſalutem
Surripuit, factus præda beata Deo.
Pœnitet ambiguè, ſummâ quem pœnitet horâ.
Non fugit hic noxam, quem ſua noxa fugit.
Atque rapax vbi mors aperit nec-opina ſepulcrum,
Clauditur ad ſeras ianua ſacra preces.
Nam graue ius, meritaſque malis auertere pœnas
Ira vetat, nullis ira pianda ſacris.
Ergo voca in noua cœpta Deum: iam tempus agi rem
Dum licet; eia pio dilue rore nefas.
Scis bene, flens quali luſtres ſcelus omne piaclo,
Quamúe feras noxæ quâ medearis, opem.
Iam tandem ſæuis te ſors obnoxia damnis
Tangit, & inuiſum nox grauat alta caput.
O! quoties diris incanduit ignibus æther,
Dum premeres ferreâ tela cruenta manu?
Nubilus, ô! quoties caſſum iam lumine ſolem
Flectere pallentes vidit Eous equos?
Attonitæ Dryades virides fugêre penates,
Pallida queis inſons ſparſerat ora cruor.
Ramoſaſque domos pauidæ liquêre volucres,
Mœſtiſque inferias ingemuere modis.
Vltrices quoties fremuêre ſub ilice Diræ,
Sub quâ non nocuo ſanguine tingis humum?
Inque faces optauit acer ſibi frondea verti
Brachia, queis ſontes teque tuoſque cremet!

Ergo

Ergo ſiles, quem mille grauant mala pondera noxæ,
  Cuique reum vindex opprimit ira caput?
Vltrices ſcelerum tandem, precor, excute curas,
  Queis animum turpant fœda piacla tuum.
Lubricus ah! nimium tenero ſed flexus in æuo eſt;
  Nec potis eſt recto ſtare iuuenta gradu.
Non æquè iuſto fabricæ ſtat regula plumbo,
  Antè tua vt recto pondere vita ſtetit.
Nunc ruit in prauos verſo pede deuia mores:
  In ſcelus enormi claudicat omne gradu.
Scilicet ignaram damnique metuſque iuuentam
  Obuia fraus blandis occupat inſidijs:
Tranſuerſim & malus error agit per lubrica rerum;
  Ac trahit exemplo turba ſceleſta ſuo.
Adde tot illecebras, cenſuque è diuite luxum,
  Queis cadat in dirum cura maligna nefas.
Quid! philtro te lena trahat fallace voluptas,
  Vt breuis æternos fœneret hora rogos?
Et modò parca breui delibes gaudia guttà,
  Hauriat vt Stygijs te dolor altus aquis?
Quos miſer heu! ægro rumpes de pectore queſtus;
  Vnde ſonas blandis orgia læta choris!
Id ludi pretium. furor hic, an ſæua voluptas,
  Innumeris cineres ſic onerare malis?
Illicò præcipitem via prona reuoluet in Orcum,
  Nî properæ ſiſtas flebile mortis iter.
Serò quidem tunc te miraberis, & tibi dices,
  O! ego quàm cæcis deuius erro dolis!
Alter vti Phaëthon (ſed non iam fabula) cælo
  Ipſe mei præceps deuoco ſolus iter.
Ante meos oculos via lactea candet Olympo,
  Et trahor in piceas deuoluendus aquas.
Ecce, mihi ſæuas animant incendia tædas:
  Mille breui gaudi ſpecto ſub imbre faces.
Ergo luto vinctas euolue tenace quadrigas:
  Attendit ſociam dux Metanœa manum,

Datque emoliri ſtans alto gurgite pondus,
  Ales inoffenſum quò rota currat iter.
Quin etiam Superis errare licentiùs oris
  Ille dabit, facili qui regit aſtra manu.
Forſitan hæc rides; neſcis, heu! perdite, neſcis,
  Quanta polo, terris quanta pericla trahis?
Audio nimboſo mugire tonitrua cælo,
  Armataſque rogis aſtra ſonare minas.
Ac trepidare ſolum, ſubitoque labare tumultu,
  Tartaraque in vaſtos hiſcere rupta lacus;
Funeſtoſque vlulare atro de carcere Manes,
  Horrida ter centum queis tonat ira modis.
Ter tædâ propiore caput tibi luſtrat Erinnys,
  Increpitantque grauem tela triſulca metum.
Et nondum pauidos timor anxius excutit artus,
  Ac gelidam frontem decolor vrget hiems?
Vt iugules alios, acuis de nocte ſecures;
  Nec te quò ſerues, excitat vlla dies?
Te quæ circumſtant, nil dira pericula cernis?
  Ah! pede vix vno diſtat Auerna palus.
O duros animos! ô & de marmore pectus,
  Quod non fulmineis fregerit ira globis!
Abrupto gremio quà viſa dehiſcere tellus,
  Heu! heu! flamma tuos lambit auara pedes.
O dolor! ô ardor; viuoque in ſulfure clamor!
  O propè ſpes exſpes, ni Deus addat opem.
Landeline tuæ ſpes hæc ſuprema iuuentæ,
  Vt patruum cogas ad tua tela mori?
Adſis, ô! placidus; curiſque ſenilibus æquam
  Quam patruo debes, ſuffice gratus opem.
Teſtor auos patriumque decus, dextramque, tuumque
  Dulce caput; capiti viue corona meo.
Euge, precor, quò iuſſa vocant diuina, ſalutis
  Quære viam, & curres nobile pacis iter.
Tum mihi maturos dulcis mors colliget annos,
  Vnde legas vitæ præmia ſera tuæ.

EPI-

EPISTOLA XII.

ARGVMENTVM.

Reſpondet Anſberto Landelinus pœnitens, ſuáque ſcelera execratur: enarratq́; vti funeſta damnati ſocij vmbra ſe ſuis lamentis ab latrociniјs reuocarit.

LANDELINVS ANSBERTO.

QVas mihi mittis amans, pignus lacrymabile, ceras,
Triſtibus infudi, fons vt amarus, aquis.
Et propè diſſoluit ceratas flamma tabellas,
A Phlegethontæis quas dolor hauſit aquis.
Vrimur, heu! flammis crudelibus, vrimur, eheu!
Vrimur, heu! Orco: ſed tamen Orcus abeſt.
Orcus abeſt: Orci diro tamen vrimur igni,
Ne pòſt in cineres ſæuiat ille meos.
Ignis adeſt & abeſt; vrit, non vrit Auernus.
Scilicet illæſo corpore corda cremat.
Ergo diu crudas tandem lenibo querelas,
Quas pius optato decoquet igne rogus.
Verſo gemens alias ambuſto pectore curas:
Impia flamma pij tæda doloris erit.
Ille nepos, qui prima tuæ modò cura ſenectæ,
Nunc erit, ô! vitæ meta beata tuæ.
Sæpè quidem, fateor, iuraui verba ſalutis:
Cùm benè iuraſſem, non ſtetit vlla ſalus.
Scilicet immanes armauit Erinnys in iras
Innocui puras ſanguinis antè manus.
Sæue furor, fractas vtinam tua tela ſecures
Adſpiciam, fractas adſpiciamque faces!
Quid miſerum torques, diroſque impellis in auſus,
Cogis & immani tingere cæde ſolum?

Exſtinxem furias: blandis ſed credula nugis
Implicuit vitam mille iuuenta dolis.
Me furtim tenuit Siren maleſuada voluptas,
Cui fluit è dulci gratia plena fauo.
Hinc furor in præceps abruptis cæcus habenis
Abripit affectus impia in auſa meos.
Decolor hinc caſtos obliuio delet amores,
Cælite quos auro ſcripſerat alma Charis.
Hinc penitus fibris Diuûm timor excidit, eheu!
Excidit: hinc Orcus cœpit & eſſe iocus.
Quæ non (infamis pudet, ah! meminiſſe furoris)
Specto verecundæ ſigna cruenta necis?
Quo non, quæſo, ſolo veſtigia ſigno cruoris
Conſcia, & heu! luctûs omina dira mei?
Quo non ſanguis agro? quo non ſcelus arguit antro?
Queis non in ſyluis arguit vmbra nefas?
Sæpè quidem vidi medijs in cædibus, eheu!
Illacrymaſſe meo triſte nemus ſceleri.
Nec tamen ima tener tetigit præcordia ſenſus.
Durius, ah! quercu tum mihi pectus erat.
Quot mihi tela nocens cruor omnibus imbuit aruis,
Credo, ſit vnius lugubre nauis onus.
Hinc ad Tænarias quà fert via lubrica valles,
Deuoluit rapidos currus anhelus equos.
Sic ego præcipiti iam iam voluendus Auerno,
Dum dubio mortis margine fallo gradum;
Ecce repens de nocte fragor per tela, per ignes,
Intonat horrendis murmura dira modis.
Nuncius has aures ſæuo qui vulnerat ictu,
Excitat ad triſtes anxia corda ſonos.
Omnia ſollicito dum lumine circumſpecto,
Nunc vbi de radio lux inopina micat;
Dum noctis geminat terror ſine luce timores,
Lugubris ante meos conſtitit vmbra pedes.
Heu! mera flamma caput, cor flamma, & flãma medullæ,
Et mera flamma pedes, & merà flamma manus.

Igni-

Igniuomi ſerpunt omni de crine chelydri:
  Flammeus ardenti fumat ab aure globus.
Sulfureæ populant coſtas & viſcera flammæ.
  Omnibus vna vorax deflagrat Ætna toris.
Anguineiſque Megæra comis innexa cruentas
  Diſſecat ad tædas vulnera inuſta rogis.
Eloquar? inuiſo quàm tetra mephitis hiatu
  Vndat, & hinc peſtis pectus anhela grauat!
Horreſco referens, ah! horriſono vlulatu
  Intonat inſanis murmura dira modis.
Æternum væ! væ! vox cætera ſupprimit altis
  Ignibus hauſta, redux euomit aura ſonos.
Eheu! me miſerum! ſic, ſic ardente charybdi?
  Nec miſeret? diris vnda nec vlla rogis?
O mihi ſublapſos reuehat ſol prouidus annos,
  Altera quàm puris curreret hora rotis!
Quàm caſtos tum vita redux arderet amores!
  Quàm ſtaret niueo ſeria cura pede!
Quàm nihil in fœdos raperet furor impius auſus,
  Quos damnat lacrymis noxia ſera ſuis!
Atra Sionææ mors limen vt inſtitit arcis,
  Lugubre morborum quam comes agmen obit,
Iamque in Ieſſææ damnum ſpoliumque coronæ
  Exacuit falcem lurida larua ſuam:
Aſtrigeras refugo cùm ſole retorſit habenas
  Abramidum Regi lapſa relapſa dies.
Et mihi nulla nouas ad fræna reflexa quadrigas,
  Auocat auerſum ſol meditatus iter?
Hoc meruit corpus, brutoque è puluere puluis?
  Nec datur hoc animæ, vis cui dia, meæ?
Ibit Auernales cæleſtis imago ſub vmbras,
  Ludibrium Stygijs exitiale feris?
Prô! caput hoc purâ fons quod ſacer imbuit vndâ,
  Ardebit piceis fax ſcelerata rogis?
Quis furor hic Diuis? tantúmne in Numine crimen?
  Exſecror infeſtis Numinis arma probris.

Antè ſepulcrales quàm lapſa fauilla ſub vmbras
  Haſit, & æternæ noctis in omen ijt,
Tunc poteram ſupplex genibus ſubrepere Diuûm,
  Et duras tenera frangere voce minas.
At nunc ſumma reos lex vt ſtitit ante tribunal,
  Strinxit & inuitos arcta catena pedes:
Heu! nimis in miſeros ardens ſuperintonat vltor.
  In fragilem teſtam fulmina quanta ruunt!
Gliſcit edax imis fax irreuocanda medullis:
  Armat &, heu; denſas in mea buſta faces.
Ergon' ego æternum ſecluſus fonte ſalutis!
  Vt quid adhuc tardas impia vita mori?
Ergon' ego æternum iucundo lumine Diuûm!
  Vt quid adhuc tardas impia vita mori?
Ergon' & æternis ardens ego victima flammis!
  Vt quid adhuc tardas impia vita mori?
Quin morere, vt merita es, letoque exſtingue dolores.
  Mille ſed in mortes it rota nexa rotis:
Deque volubilibus trahit orbibus annus in annum,
  Sæcula inexplicitis texta retexta moris.
Ah, ah! quò profugæ me parca diecula vitæ
  Impulit! immenſas tam breuis hora dies!
Quò nunc excubiæ, vigileſque in crimina noctes,
  Vt nox innumeris noctibus vna premat?
Serò ſed in ſteriles hæc rumino vota querelas:
  Tum decuit votis addere flentis aquas.
Nunc rediuiua nouis reparat pyra pabula flammis,
  Depaſcitque rogo, nec rogus vllus edit.
Heu! miſeros tenet vſque vorax, quos diripit, ardor.
  Quod genus hoc vitæ, mors cui viua flagrat?
Horrendas ſic viſa mihi eſt vlulare per vmbras
  Larua, repenſque atro mergier hauſta Erebo.
Hos ignes oculis, lamentaque vt auribus hauſi
  Intempeſtiuo noctis oborta chao:
Dirigui, ſteteruntque comæ, mens excidit amens,
  Vlla nec è viuo ſanguine vena ſalit.

Dum-

Dumque labo titubante gradu, tenuêre miniſtri:
 Pectore cor certè labitur exanime.
Hinc lacrymæ, & gemitus, ſuſpiriaque interrupta,
 Hinc & ad arcanas vſta medulla faces.
Hæc inter moriens cor odoriferâ panaceâ
 Imbuit, & medicis candida Diua fauis,
Neſcio quæ, placidæ læuâ cui termes oliuæ.
 Credo, mihi medicas fert Metanœa manus.
Viſa mihi vultu fari ſic Diua ſereno:
 Eia graues Orci me duce mitte metus.
Sic tamẽ vt numquã, modò quem tremis, excidat Orcus.
 Alterius damno ſit tibi parta ſalus,
Deque Stygis fundo ſaliet tibi vena ſalutis
 Lympida, quæ caſtis crimina purget aquis.
Ardet enim trepido defixus pectore vultus,
 Qui ſanctas Stygio paſcet ab igne faces.
Quin tu (nam Superûm ſeruat tutela clientes)
 Præmoneo, Diuos ſupplice thure colas.
Ipſe gerens oleam ſupplex, oleâque coronans
 Tempora, pacali iam prece verte minas.
Sanguineæ pereant ſicæ, pereantque ſecures.
 Iam ſatis arma nefas erubuêre tuum.
Inde gemens Diuis iuſtos adolebis honores;
 Non queis fumiferis ardet acerra focis.
At tibi thus lacrymæ; non thure ſuauior illo,
 Vllus odor; lacrymis fulmina vince tuis.
Cæleſteſque breui placa de rore furores;
 Quò minus inuoluant flammea bella ſcelus.
Excludam trepido pallentes pectore curas,
 Infundamque graui gaudia pura metu.
Haud ignara tuæ vates applaudo ſenectæ,
 Cui peperit dirum cæca iuuenta nefas.
Iam video poſitis telis, ſpolijſque furoris,
 Alter & alter aget altera ſæcla dies.
Hirſutumque ſagum ſpecto, & ſub puluere crines,
 Et bene deſertis arma relicta locis.

Per ſyluas ſecurus iter teret omne viator.
 Nunc comes ibit amans, qui modò prædo ſtetit.
Cædibus effuſum pia diluet vnda cruorem,
 Pectoraque ambroſius perfluet ima liquor.
Sic demum ſyluis latebriſque emerſus opacis
 Sidera ſidereis clarus adibis equis.
Hæc tua venturos ſors, Landeline, per annos,
 E quibus æternæ ſæcula pacis eant.
En dotale nouæ pignus tranſſcribo ſalutis;
 Quod memori ſeruet pectore clauſa fides.
Dixit, & è dextrâ calicem prætendit & aurum,
 Addidit & gemmam; gemma ſmaragdus erat.
Specto virens de vere gelu, virideſque figuras,
 Dædalis argutâ quas polit arte manus.
Clauus adeſt, mediiſque hæret cor fertile ſpinis.
 Cor peredit clauus, ſpina redunca fodit.
Nempe tenace timor clauo defigit Auernis
 Cor; ſed iuſta probi ſpina doloris edit.
Hinc mihi quem calicem Metanœa propinat, amaris
 Implebunt lacrymis lumina docta queri.
Qui ſatur vt fletu ſteterit iam munus ad aram,
 Inde feram noxis caſta piacla meis.
Hinc & iucundo velut æmula gemma ſmaragdo
 Spes in perſpicuis læta virebit aquis.
Sed breue quid lacrymæ, leuis hinc niſi ſtillat amaror:
 Pocla magis crudus poſcit amara dolor.
Quotquot habet triſtes aloë, vel myrrha liquores,
 Abſinthiúe parens aut colocynthis alit:
Quidquid & inuiſis Colchis parit improba campis,
 Quidquid & Euxinis atra dat herba plagis;
Miſceat auſteris dolor hæc in pocula ſuccis:
 Myrrha mihi quouis dulcior iſta mero eſt.
Omnis amaricies mihi nectare dulcior hauſtus,
 Vnde fluit medico rore paranda ſalus.
Si modò quod propino merum, delibat Ieſus,
 Quid præter lacrymas dulcius inde bibam?

Hoc

Hoc eſt quod pepigit pignus pia Diua nocenti,
Quæ nunc eſt lacrymis ſuada magiſtra meis.
Antè quidem memini tales te voluere curas:
Talibus at curis mens mihi ſurda ſtetit.
Nempe parum blandis monitis rudis obſtrepit ætas,
Quam ludi ſtudio ſeria cura grauat.
Quòd ſi læua meæ fuerit fortuna iuuentæ,
Iam veniet votis dextra ſenecta tuis.
Accedamque tuæ noua lux, ceu gemma, tiaræ.
Triſte diu redimet lætior hora probrum.
Nec mora longa: reas ſaxis infringo ſecures;
Triſte ſat innumerâ cæde bibêre ſcelus.
Iamque diu mœſtæ ceu lux inopina ſenectæ
Totus in amplexus purior ibo tuos.
Nec patruis vis vlla magis diuellet ab vlnis;
Viuet in Ansberti pectore & ore nepos.

EPISTOLA XIII.

ARGVMENTVM.

LVcia virgo Syracuſana fragilem teneri æui florem Chriſto, qui eum tueretur, dedicarat, quem tamen Paſchaſius Siciliæ prætor ſibi præcerpere geſtiebat. Quocirca quà prece, quà pretio Luciæ gratiæ lenocinatur: ſed fruſtra. Quare vbi iam irritus amor in furorem vertit, neſcias an libidine fœdior, an irâ ſæuior, omnibus machinis obnoxium iniuriæ ſexum oppugnat, non expugnat. Lucia enim in eodem, quod ſemel pudor impreſſit tenax pudicitiæ cuſtos, inſiſtit veſtigio: nec tantùm animo, verùm etiam (quod mirere) corpore eidem inhæret, adeò vt eo de loco iam protrahenda ad luſtra, dimoueri nuſquã potue-

potuerit. Quò fit, vt illi rogum carnifex adſtruat, qui eam non tam amburat quàm luſtret innocenti flammâ, quam demum Virgo iugulo tranſfixa cruore ſuo exſtinxit. His autem litteris denunciat nuptiis repudium præ Chriſti amore. Ribadineira in eius vitâ XIII. Decemb.

LVCIA PASCHASIO.

HÆc ego ſolliciti cuſtos operoſa pudoris
Ambigo; flens ſcribam, num mage cœpta premã.
Scribo tamen, vox digna tuo ne deſit honori,
Parua licet, magnum gratia pondus habet.
Vt video, Siculam victrix Cypris occupat aulam,
Et tua veſanus ſceptra Cupido regit.
Hinc fraus ſuada meæ te ludit imagine formæ,
Blanditurque oculis inſidioſa tuis.
Ne te vana ſuis fallant ludibria philtris,
Speſque animum pulchris paſcat imaginibus:
Accipe, cura meis quæ feruet inuſta medullis;
Aſt alias aliâ de face nacta faces.
Ardua terrigenûm tenues dedignor amores,
Et de pulua ereâ fictile corpus humo.
Quin & ſidereos ego deſpuo celſior ignes:
Altius hic omni ſidere quæro iubar.
Hic meus (ô quàm fauſtus Hymen!) occurrit Ieſus:
Quas non delicias diuitiaſque vouet?
Vincula concordi ſociate iugalia dextrâ
Abnuerim, caſto vincula digna toro?
Quin proprium decus atque immortales hymenæos
Occupo, & implexâ fœdera iungo manu?
O quis huic decor eſt, pulchræ quæ gratia formæ!
Gloria quæ vultûs, quanta ſuada labris!
Me quidnam capiat, ſi non capit illa venuſtas,
Quam vaga mirantur ſidera, terra ſtupet?

Sponſi

Sponſi oculos quoties velut aſtra gemella ſalutis
  Specto, faces oculis haurio mille meis.
Ne periura ſacrum ſcindant diuortia nodum,
  Omnia ſtat quouis bella ſub hoſte pati.
Nec metuo; vis ne caſtum ſecet inuida nexum,
  Obuia ſi Diuûm cura ſecundat opem.
Haud ſumus ex illis, quas vitrea ludit imago,
  Queis tenues animos vanus adumbrat honos.
Odimus ardentes Getulo muriee chlænas.
  Eſt mihi, Chriſte, tuus, purpura grata, cruor.
Vt quid inauratæ ſerpant per colla catenæ?
  Ardeat & pleno plurima gemma ſinu?
Vt quid Erythræis intexam colla lapillis?
  Aut niteam Coo ſtamine picta ſtolam?
Quid mihi ſi Lydo fluat aureus amnis ab Hermo;
  Nympha vel è gemmis rideat Inda ſuis?
Quo mihi molle leues aurum lenteſcat in orſus,
  Vnde traham fuluæ ſplendida penſa togæ?
His ego ſi donis perdam, quem venor, Ieſum,
  Atque animæ ſpolio diuite crimen emam?
Scilicet hæc alijs ſint vana crepundia curæ:
  Pulchrior in ſummas me rapit ardor opes.
His haud inuideo fragilem ſine pondere cenſum,
  Tantalidemque, cauo quæ natet amne, ſitim.
Sic equidem voueo. corde hæc defixa ſedet mens,
  Quam non dimoueant hinc timor, inde dolor.
Terror an imbellem valeat proſternere ſexum?
  Littera peccat iners; terror hic error erit.
Vim licet appelles, quâ bella minare pudori;
  Non niſi de bellis præmia lauta legam.
Siue ſit inſidijs, ſeu bella minantibus armis,
  Seu ſit opus blandis altera in arma dolis:
Siue nigro Gorgon, Sirenûe reſurgat Auerno,
  Dius amor monſtris omnibus ægis erit.
Ille potens rerum conſors cum Numine Numen,
  Numinis imperio quodlibet auſit opus.

Si

Si velit, in medijs nigra fulmina ſuſtinet Auſtris:
 Et dabit immoto cardine ſtare polum.
Si velit, & terram rapidis celer emouet armis,
 Voluetur liquidis ceu trochus orbis aquis.
Si velit, vndiſonis freta ſiccat & vndat habenis:
 Stant, vbi ſtare iubet; ſin iubet ire, natant.
Ipſa graues vidi trepido ſtans litore fluctus,
 Fulminaque in ſæuas imperioſa minas:
Teque ſuperpoſito, Neptune, tridente ſub Auſtis
 (Si modò Neptunus quis freta cæca regat)
Succubuiſſe ſacro qui temperat æquor amori,
 Deque genu madidas ſupplice ferre preces.
Geſtat enim Dominum ſceptri pro pondere fulmen
 Victor in Æolidas imperioſus Amor.
Hoc duce perrumpam, diſcrimina mille, triones;
 Perrumpam & rabidis ſepta pericla feris.
Quanta mihi ſurget Diuûm comitantibus armis
 Gloria, vt armatos vicero nuda globos?
Sors quæ læua grauat, dextros erumpet in auſus:
 Cuncta potens vincit, dux cui pugnat Amor.
Ferrea ſæpè tamen ſed quos non frangat Erinnys;
 Obuia non duro flectet amore Venus.
O fugito te graues blando ſub flore dolores.
 Mollibus in violis tela doloſa latent.
Teſtis erit priſcis Cleopatra decora corbnis;
 Mors cui de blandis hæſit acerba dolis.
Itala nam Pharijs irritans claſſica ſiſtris,
 Dum ciet inuito turpia bella mari;
Decolor imbelli titulus Regina triumpho;
 Ne cadat, & Latio præda ſuperba Ioui:
His iubet atra roſas ſibi mors nunc colligat hortis,
 Vnde prius ſertis texuit orſa ſuis.
Mordacem in calatho quæſiuit ab aſpide mortem.
 Sic roſa blanda, feræ fit rea ſpina necis.
Nunc igitur citharæque, lyræque, chorique, roſæque,
 Mollia fallaci ludite bella manu.

Riſi-

Riſimus & blandis iucunda pericula telis:
 Riſimus & dulces, tædia noſtra, dolos.
Supplicijs vt geſtit emi, pretioque dolorum;
 Sic & fœda fugit gaudia purus amor.
Haud me ſerta tenent; citharæque, lyræque, chorique:
 Et minus in ſertis me tenet albus Hymen.
Quid mihi Panchæis nares odor imbuat auris,
 Flos cui Ieſſeides balſama mille facit?
Quid mihi de violis pingat vèr diſcolor hortos,
 Si mihi ſit Ieſus par roſa mille roſis?
Sed roſa fluxus honos; proprios æternat honores
 Chriſtus, & è Chriſto qui viget vber Amor.
Ille ſuis caſtos radijs adſpirat amores;
 Queis viret illæſus, gloria rara, pudor.
Lucida ſit ſanè tali de virgine virgo
 Lucia, cæleſti Lucia digna choro.
Lux ego tum ſurgam Ledæo pulchrior aſtro,
 Atque procelloſo ſtella ſerena mari.
Præcipuè Siculis dans opportuna carinis
 Lumina, nimboſis irradiabo fretis.
Scyllæos ſcopulos, cuique alta vorago, Charybdin;
 Trinacris euadet me duce ſalua ratis.
Et me vis Stygio demergam cæca ſepulcro;
 Cui datur aſtrigeris præradiare choris?

EPISTOLA XIV.

ARGVMENTVM.

Virgo domo Mediolanenſis, generoſâ è ſtirpe degener ſurculus, vbi ſolenni voto, ipſo Paſchatis die, publico cum gaudio, corporis ſui primæuum decus Chriſto addixerat; ſpolium virginei pudoris neſcio fœdiori flagitio, an infamiâ, impuro lenoni reliquit: cuius in Deum iniuria,

&

& in corpus ſuum contumeliæ, fructus inde exſtitit aſſiduus dolor, & qui impudenti flagitio ſolet eſſe comes, acerbus pudor. Hanc igitur, vti vltimum nobiliſſimæ familiæ dedecus, Ambroſius graui & ſeuerâ oratione perſtringit, quam apud eum lege. His verò litteris dubitat, vel ne ignominioſæ famæ credere, nec ne; flagitij turpitudinem exaggerat; Orci periculum & incendia oſtendit; denique ſuum, vt ſe reſpiciat, & ſcelus expiet, deſiderium explicat. Ambroſius Tomo IV. Tractatu ad Virginem lapſam.

AMBROSIVS VIRGINI LAPSÆ.

APpulit incertas quæ neſcio famá per auras
  (Ambigo, num veri nuncia fama fuit)
Et canit erepti tibi publica furta pudoris:
  Relligio tantis ingemit ægra probris.
Ex alijs alios ſerit & tua Roma ſuſurros;
  Criminis interpres garrula facta tui.
Atra nec inceſtæ turbat te buccina famæ?
  Heu! quæ ſerò gemas damna pudoris, habes.
Orcus an impuræ ſpolium feret ergo iuuentæ?
  Vt cadat in diros tetra ſenecta rogos?
Hoſce pudicitiæ cuſtos rubor exit in vſus,
  Excidat attritâ quò tibi fronte pudor?
Ergo breui vitæ pretioſa pericula ludo.
  Quæris, vt infelix hinc graue crimen emas?
Venales animæ! quas vel tantilla voluptas
  Addicit Stygijs pignora dira rogis.
Virginitas teneræ pulcherrima gemma iuuentæ
  Sic iacet infami naufraga præda luto?
Nil te ſplendor auûm, nil gloria clara parentum,
  Nil mouet inſigni fama notanda probro?
Parcius infamat pullam nota publica chlænam,
  Quàm labes Tyriæ quæ fit inuſta togæ.

Nil

Nil pietas? nil pacta fides? nil gratia Diuûm?
    Nil mouet attonſæ cædua ſilua comæ?
Nil velo crux picta, ſacri pręs fida pudoris,
    Perfidiæ infelix quæ tibi teſtis erit?
Tun' ſcelus hoc (horreſco fremens ad criminis auram)
    Cui priùs æterno pignore vinctus amor?
Caſtus amor, ſponſo qui cælite dignus & Agno;
    At nunc Tænarijs improba pręda feris.
Quò ruis imprudens? ſic impius occupat Orcus
    Quæ benè ſpondebas omina digna polo.
Dulcibus inſidijs, quid non breuis auſa voluptas,
    Iugis vt arſuras fœneret Ætna cruces?
Sic ſanctas euerrit opes leuis aura ſuſurri,
    Aura nimis blandis inſidioſa dolis?
Idque vbi flexanimo blanditur Adonis ocello,
    Argutatque hilari murmura ſuada ioco?
Te miſeram! quò non te præceps impulit error,
    Error Auernali lapſus ad ima lacu?
Pro! dolor æternùm rapti memor augur honoris
    O quot alit diras ægra per oſſa faces!
Artubus oſſa quot intexo, quot & oſſibus artus,
    Si mihi tot linguæ, ſi tot & ora gemant:
Haud ſatis enarrem, rea queis mens ardeat, ignes,
    Et quot inexſtinctos paſcat ab igne rogos.
Non totum liquido ſi ſe mare verterit oſtro,
    Vel tenuem pingam, quâ flagrat icta, facem.
Orcus vbi nullus, quòd ſi ſic vritur Orci
    Mens ambuſta minis, ipſe quid Orcus erit?
Turpe nefas trepidis en ſol euoluit ab vmbris:
    Et ludis Cyprijs ambitioſa modis?
Exarat hoc tabulis adamantinus vnguis ahenis:
    Et ludis nocuos in tua probra choros?
In caput horrendas vindex furor intonat iras:
    Et ludis leuibus ludicra mima iocis?
Ludus an ergo, nigris defigi crimina probris?
    Ludus an infeſti vindicis arma pati?

Ludus an vltrices graſſari in vulnera flammas,
Deque breui puncto flammea ſæcla trahi?
Ah! quot inexhauſtis paſcent incendia flammis
Vulnera, vulneribuſque vlcera iuuſta tuis!
Sis memor, obteſtor. Cyprios hos ignibus ignes
Vince, redux dextrum quà via ſignat iter.
Dulce nefas odijs dolor expiet vltor acerbis;
Quod peperit blando lena libido ſinu.
Pectora ſollicitis oneret pudor anxia curis;
Quid dubitas? ægro vita pudore redit.
Quæque nigrum pectus niueo nunc diluat imbri,
Lympida, dic, oculis effluat vnda tuis.
O mihi cor vtinam fons exeat vber in amnem:
Hoc tuus vt riuos ducat ab amne dolor.
Aut quæcumque meæ micat inſita gemma tiaræ,
Vt cadat in pretium criminis illa tui!
Quo fœdam redimas illuſtri pignore noxam,
Vnde pium pectus purus adornet honos.
At mihi cor certè de perſpicuâ cryſtallo
Ardeat, apricos ſol vbi torret agros:
Vnde mei ſpeculum ſpectes & lumen amoris,
Vt tuus hoc rurſum lumine viuat amor.
Adſpice; pænè pios hæc cera liqueſcit ad ignes,
Dextera quam mœſtis illinit ægra notis.
Redde pios rores roſeo cum flore pudoris;
Reddideris ceræ mel apis alma ſuæ.

EPISTOLA XV.

ARGVMENTVM.

Virgo lapſa Ambroſij litteris permota, ſuæ impudicitiæ verecundiam, conſcientiæ ſtimulos, & inferni metum indicat.

VIR-

Virgo lapsa Ambrosio Episcopo.

Scribo: ſollicito ſed ſcribo obnoxia velo.
Nuda mihi raptus ſurpuit ora pudor.
Sicubi clauda labat curuis fòrs littera ſulcis;
Illa parum certi ſigna timoris habet.
Sed quid opus ceráque ſtyloque doloris in vſum?
Triſtè ſilens vultus pondera vocis habet.
Nunc mea cera, ſtyluſque, & picta tabella figuris;
Flens oculus muto doctus in imbre loqui eſt.
Quà licet, abruptis torrens dolor vndat habenis,
Et pudor in mœſtas officioſus aquas.
Erraui, fateor, nec notior vlla Quirino
Noxa, vel Auſonijs triſtior vlla plagis.
Pura diu probro, ſtola candida iam ſitit oſtrum,
Quale dat ingenuis purpura caſta genis?
Suadet honos proauûm, lux ſuadet auita parentum;
Vitta verecundis ſuadet amica roſis.
Et votiua ſacro ſic imperat ara pudori,
Hei mihi! nunc vindex criminis ara mei.
Quando memor diri retracto pericula caſus,
Frigus adhuc venis ſerpit, & ore gelu.
Hinc timor æterni ſeges, ah! ſpinoſa doloris:
Hinc dolor in flammas meſſis amara meas.
Hinc mihi cor geſtit medijs erumpere coſtis;
Quod dolor ardenti pectore clauſus edit.
Hinc pudor amiſſi cor vrit & ora pudoris:
Omnibus incurſat triſtis imago plagis;
Accuſatque ream; nullo non obuia campo,
Cui comes infeſtas adſtruit ira minas.
Cor quatit arcano furibunda Megæra flagello,
Et lacerum diro diripit vngue iecur:
Arguit illa nefas. auſim quid an hiſcere contrà,
Obuia quam noxæ damnat imago ſuæ?
Mille citat memores milleno teſte tabellas:
Conſcia mens teſtes mille ſed vna facit.

Vocali fòrs ſiqua ſonat vigil hora metallo,
Arguit infandum lugubris hora ſcelus.
Siqua leuis circùm crepero ſtrepit aura ſuſurro,
Hæc mea ferali murmure damna ſonat.
Siqua meos oculos incurrit imago parentum,
Increpitans mœſto lumine triſte gemit;
Aut certè lacrymas tacitis irata querelis
Fundit, & opprobrium damnat acerba meum.
Deque meo probro, quas purpura tinxerat, oſtro
Credo nouo triſtes erubuiſſe togas.
Ipſa ſed immenſi mens ægra puerpera luctûs
Ærumnas grauido parturit vſque ſinu.
Sollicitis peſtis graſſatur inuſta medullis:
Vita perit ſemper, nec ſemel ægra perit.
O! mihi ſi plures animas cor adlegat ardens,
Pluribus vt vitis mors ſcelus æqua luat!
Mille dabo lacrymas, pignus lugubre doloris:
Sed lacrymis linguas mille refinget amor.
An non apta queri graue lacryma quæque piaclum,
Et ſimul apta reas quæque piare fibras?
Rite piare parum eſt; ſua dos ne deſit amori,
En ſpeculum nitidis lacryma format aquis.
Me concors liquidâ cryſtallo reddet imago,
Nuper ego puro pectore qualis eram.
Si modò iam mutor (nec enim iam forma, nec vllus
Floret ab informi lumine frontis honos)
Quàm metuo, vitreo dum ſpecto ſub æquore vultum,
Tetra parum puras fallat imago genas!
Obijciens torto cirratos angue capillos
Arguat obſcœnis crimina furua notis!
At meliora Deus. ſpeculum iam Numine dignum
Expolit, humenti qui rubet ore, pudor.
Siquod ab inceſto tetrum viret angue venenum,
Eluet è puris lympha gemella genis.
Sic oculus, ſpeculum vitreo de fonte doloris,
Pura parum caſti ſpongia cordis erit.

Sed

Sed quid ego puros à crimine ſomnio vultus,
  Meque cauis error ludit imaginibus?
Heu! ego tota nefas, ſimul vmbra ſimillima nocti,
  Vix cui purpurei gutta pudoris ineſt.
Me cui vis æquem, viduo niſi fortè roſeto,
  Inuida cui pictas diripit aura comas?
Namque vbi coccineis roſa riſit amœna labellis,
  Excubat in duras horrida ſpina minas.
Sic & heri pudor ille roſæ flos pulchrior auro,
  Nunc hiemat mœſto ſpinea cura ſinu.
Omnis in Ambroſio ſpes ergo ſuperſtes honoris,
  Omne & ab Ambroſio mel mihi flore fluet.

EPISTOLA XVI.

ARGVMENTVM.

Manlius Theodorus, quo nemo pluribus imaginibus nobilis, inter præclara ſenatûs lumina vbi agit Conſtantinopoli, Manliorum antiquos è cognato ſanguine faſtos, & Aniciorum, qui tum nemini cedebant dignitatis prærogatiuâ, inſertam familiæ ſuæ ſtirpem, & omnia honoris inſignia abijcit, vt ſibi plura eaq; pulchriora virtutum ornamenta ſub ſqualidâ lacernâ comparet in Religioſo contubernio. Quin & Conſulares faſces, etiamnum ſtantes, ad portam haud inuitâ coniuge deponit, anno Chriſti D. V. ſub Anaſtaſio; quo de gratulatur ei Fulgentius exſul in Sardiniâ epiſt. VI. *His verò litteris Manlius Theodorus honorum & gloriæ terrenæ vanitatem, & ſanctæ paupertatis delicias depingit, & inde glorioſam, quam ſperat, æternitatem.* S. Fulgentius.

MANLIVS THEODORVS GENTI MANLIÆ.

SI mihi purpureis priùs inſidioſa catenis
 Implicuit curas gloria priſca ſuas:
Meque tibi caro gens Manlia ſanguine vinxit;
 Iam tibi, diſrumpens vincula, ſcribo Vale.
Scilicet amplexus atque oſcula dulcia ſoluit,
 Quæ rapit affectus ardua cura meos.
Me procul hæc imis attollit in æthera terris,
 Et volucrem bimari diuidit Vrbe fugam.
Sic quondam ſuperas irrupit Alexis in arces,
 Et gener hinc magni Cæſaris aſtra tulit.
Haud equidem Theodorus ego ſine numine Diuûm,
 Nomen vt alma Θεῦ δῶρα perennè canat.
Manlia non torques laqueos intexit honoris,
 Martia torquato quam tulit hoſte manus.
Spinigeræ, malo, caput ambiat vmbra coronæ,
 Quæque ſterit collo, Chriſte, catena tuo.
Si Capitolinas defendit Manlius aras,
 Et Capitolinis ſit Deus ille Dijs:
Altera ſidereo tueor Capitolia regno,
 Pro Ioue queis Ieſus præmia certa dabit.
Nec me præcipitem Tarpeiâ rupe Quirites,
 Vt datus eſt quondam Manlius, ire dabunt.
Parce, precor, fuluas mihi nectere, Roma, catenas;
 Parce; nihil quo me gloria nectat, habet.
Barbaricas dedignor opes, & inania priſcæ
 Munera fortunæ deſpuo, pauper opum.
Vitrea fallaces mentitur imago figuras,
 Quique micat gemmis ſplendor inanis opum.
Non hoc iſta ſibi tempus ludibria poſcit:
 Quem ſequor, æternat præmia dia labor.
Liber inoffenſis eludit ſpiritus alis,
 Arduus & Superûm, quà licet, ambit iter.

Nil

Nil oculos nitido lux diues obumbrat in auro,
  Improba queis mentis nubila ſpecto meæ.
Nulla Promethæo procudit vincla metallo
  Corpus, & immundæ fœda libido gulæ.
Cæleſtes hebetat bruto ſub corpore ſenſus,
  Et grauat obſcœno vita ſepulta luto.
Mobile ſidereis ſe tempus vt effugit alis;
  Sic fugit in volucri tempore præpes honos.
Roma quid exſultas, gemini cui ſolis ad vmbram
  Iura capit ſceptris orbis vterque tuis?
Victa neci fractas victoria porriget haſtas,
  Funeſtiſque aquilis ſignifer Orcus erit.
Si petat à victo Cæſar ſua præmia mundo,
  Vix ſatis in famæ pignora mundus erit.
Sed tamen is, gemino cui grandior orbe poteſtas,
  Cogitur à leto fanda nefanda pati.
Feralique adolenda rogo dare funera debet
  Cæſar, in ambuſto parua fauilla ſolo.
Romule, concedes æternæ conditor vrbis,
  Romula iam Geticis tecta ruiſſe rogis.
Cuique Themis dixit: Quod nunc caſa rara Quirino eſt,
  Rus hoc imperium ſolis & orbis erit.
Si Carmenta redux iam ſurgeret vmbra ſepulcro,
  Diceret: Hoc rus eſt, Roma quod antè fuit.
Et grandes ego verſo putri ſtans puluere curas,
  Si cadat vrbs terris altius antè caput?
Antiquas numera generoſa per atria ceras,
  Diſpoſitaſque atauûm per ſua ſæcla rotas:
Quid niſi longæui ſpectat monumenta doloris,
  Qui tot auos ſpectat iam periiſſe nepos?
Quid loquar, vt patrij cognatus nominis heres,
  Cuique ſtat in primo nobile ſtemma gradu:
Et modò deliciæ ſpeſque ambitioſa parenti,
  In noxam & lacrymas ſæpè parentis eat?
An non ſub Manlì cadit hoſtia dira ſecuri
  Manlius, vt victrix laurea fronte ſtetit?

Non tanti mihi laureolæ breuis vmbra coronæ eſt,
Vt ſceleret puras ſica cruenta manus.
Si quoque par victo victor cadit vmbra ſub Orcum,
Quid iuuat inuictâ vincere bella manu?
O, quantò ſatius ſeſe ſtirps Manlia cælo
Inſerat, vnde θεοῦ δῶρα venuſta legat!
Hìc honor æternos neglectus adoptat honores,
Inuida quem rapidis deterit hora rotis.
Vnde Sionæas non vnica palma per arces
Surget inexcuſſis ambitioſa comis.
Sic ſpondet Pietas. fallet pia Diua clientem,
Cui ſua ſecuro gloria fonte fluit?
Eſt vt huic iungam felicia fœdera Diuæ.
Sic voueo. dextram dextera preſſa premit.
Eia fidem viridi florentem ſigno ſmaragdo;
Quod modò lingua ſilet, dextra loquetur opus.
Perlege, felici gemmâ quas ſigno tabellas,
Puriter & puro ſcribo liquore notas.
En modò purpureum Pœnis latus abdicat oſtris,
Quę ſedet in culmo paupere tuta quies.
Quique prius gemmis radiantibus arſit & auro
Manlius, in Manlî pectore nullus erit.
Eſt, cui Mygdonio ſua purpura fulgurat auro,
Deque Semiramia fimbria floret acu.
Eſt, cui cæruleus cęlum mentitur amictus,
Aureaque intexit diſcolor aſtra decor.
Eſt color & ſimili qui ludit imagine formę,
Forma quidem cedri, non tamen ipſa cedrus.
Eſt & cui viridi toga vernat amœna ſmaragdo,
Textile ver lętus totus vt annus agat.
Nulla ſed Aſſyrio mihi ſe toga iactat in auro,
Quem nigra natiuo vellere chlęna tegit.
Nec ſeges inuidię bis ſex cum faſce ſecures
Æmula pręſtinguunt triſtibus ora notis.
Non lippis oculis adſpirat virus ab oſtro
Liuor, vbi fuſcat decolor aura togam.

Pauper-

Paupertas ſed pulla ſuæ ſecura ſalutis,
Inuidiæ lacrymas, & nigra tela fugit.
Nec Samiâ teſtâ mors innatat atra veneno,
Quam rota Cumano finxit inuncta luto.
Nil moror an curti ſim, lati an ceſpitis hoſpes,
Dummodò nunc heres Numinis aſtra colam.
Hîc mihi tuta breui paupertas ridet agello:
Hîc violat purum nil cruor ater olus.
Serpit ab exili tenuis mihi ſulcus aratro;
Lauta ſed hinc meſſis curtus agellus erit.
Hæc mea ſors auguſta, nouis ſors digna triumphis;
Hoc mihi tota breui ceſpite Roma ſedet.
Pax mihi ſecuras legit hîc ſine puluere lauros,
Marſque vbi nullus adeſt, præmia Martis habet.
Audio: non æquas vox obſtrepit impia ſannas:
Ergo miſer curto ſub lare Conſul eget?
Abijcit vltrò miſer, ſors dextra quod adnuit aurum?
Heu! nimiùm faciles in ſua damna manus!
Exeſus macie viuum trahit ille cadauer,
Quem ſepelit paruo cæca latebra ſpecu.
Anicios ſic ille ſuos, ſic abdicat vrbem?
Hei mihi! quòd nullis frangitur ille malis.
Et nihil antiquis hunc Manlia fama tropæis
Excitat, & priſcæ torquis imago tenet?
Nec pudet, æternâ quas carpſit ab Vrbe coronas,
Frangendas luteo ſuppoſuiſſe pedi?
Inclyta quò Latij iam pridem fama cothurni?
Et quò Palladio gloria picta peplo?
An cadit in quemquam tam dira libido doloris,
Sponte miſer tantas vt malè perdat opes?
Nec timet infami ludibria mœſta cachinno,
Quæ iacet obſcœnis lingua petulca modis?
Scilicet inuictum frangat vox ſibila pectus,
Et probra tincta nigro quæ ſale, Mome, vomis.
Riſimus inſano volitantia ſibila circo,
Riſimus & lacrymas, turbida Roma, tuas.

Rure diu latuit Manlî ceu degener heres,
  Ille tamen bello præmia clara tulit.
Quis ſcit & agreſti rude dum caput abdo mapali,
  Manlia ſtirps ſi non aurea poma ferat?
Fama tuas adiuro tubas, adiuro Quirites:
  Ditior hîc omni Cæſare Conſul ago.
Luna quod argentum de Phœbi mutuat auro,
  Ad Chriſti radios nix quaſi verna fluit.
Huc aurum, Sol, adde tuum, quo ſidera ditas;
  Aurea; præ Ieſu vix mihi mica micat.
Pubere verſicolor quidquid ver pingit ocello,
  Ad Domini vultum puluis inanis abit.
Nobile gemma decus radio diſpungat & igni;
  Videris vt Chriſti lumina, limus erit.
Denique formoſo quidquid ſol educat aſtro,
  Collige, ſub Ieſu ſidere fumus erit.
Illius auſpicijs victrices carpo coronas,
  Tutaque bella gero. me crucis vmbra tegit.
Verna dies viduæ damnum vt reparabile brumæ,
  Et pictum tepido ſole regignit opus:
Inque virente togâ ſeſe auro comit & oſtro
  Iam roſa nuda roſis, quæ modò ſpina ſtetit:
Sic pia fama meos olim reparabit honores,
  Et rediuiua nouas gloria reddet opes.
Non ea fluxa breui quam ſupprimat hora ſenectâ,
  Sed cui trans metas Solis abibit honos.

EPISTOLA XVII.

ARGVMENTVM.

Italicus Gazæ oppidi municeps Chriſtianus aduerſus Gazenſem duûm-virum Marnæ idolo deditum Circenſes equos nutriebat. Hoc ſiquidem in vrbibus Romanis iam inde ſeruabatur à Romulo, vt propter felicem Sabinarum raptum Conſo, quaſi conſiliorum Deo, quadrigæ ſepteno currerent circuitu, & equos partis aduerſæ fregiſſe,

giſſe, victoria eſſet. Hic itaque æmulo ſuo habente maleficum, qui dæmoniacis quibuſdam imprecationibus huius impediret equos, & illius incitaret ad curſum, venit ad beatum Hilarionem, & non tam aduerſarium lædi, quàm ſe defendi obſecrauit. Ineptum viſum eſt venerando ſeni in huiuſcemodi nugis orationem perdere. Cumq; ſubrideret, & diceret: Cur enim non magis equorum pretium pro ſalute animæ tuæ pauperibus erogas? Ille reſpondit; functionem eſſe publicam: & hoc non tam ſe velle, quàm cogi: nec poſſe hominem Chriſtianum vti magicis artibus, ſed à ſeruo Chriſti potiùs auxilium petere, maximè contra Gazenſes aduerſarios Dei; & non tam ſibi quàm Eccleſiæ Chriſti inſultantes. Rogatus ergo à fratribus qui aderant, ſcyphum fictilem, quo bibere conſueuerat, aquâ iuſſit impleri, eiq; tradi: quem cùm accepiſſet Italicus, & ſtabulum, & equos, & aurigas ſuos, & rhedam, carcerumq; repagula adſperſit. Mira vulgi expectatio: nam & aduerſarius hoc ipſum irridens diffamauerat, & fautores Italici ſibi certam victoriam pollicentes exultabant. Igitur dato ſigno hi aduolant, iſti præpediuntur. ſub eorum curru rota feruent, illi præteruolant ium terga vix cernunt. Clamor fit vulgi nimius, ita vt Ethnici ipſi quoque concreparent: Marnas victus eſt à Chriſto. Porrò furentes aduerſarij Hilarionem maleficum Chriſtianum ad ſupplicium poſcere. Indubitata ergo victoria, & illis, & multis retrò Circenſibus plurimis fidei occaſio fuit. Italicus ergo agit gratias Hilarioni, qui ſacra aquæ aſpergine ſuis equis palmæ gloriam in Circenſi agone addixit: ſimul ad perpetuum rei memoriam, & tabulam pictam, & currum aureum Deo vouet anathema. S. Hieronymus in vitâ S. Hilarionis c. xv.

ITALICVS HILARIONI.

FOrs erit, vt mirere pias quas mitto tabellas:
Quiſue Syro, rogites, mittat ab orbe notas?
Num memor agnoſcis currum, currûſue magiſtrum,
Cui nunc palma ſacris inclyta floret aquis?
Cuique Palæſtinis rota fracta pependit arenis,
Ignipedes Solis quæ modò vincat equos.
Ille ego ſum, tua cura, noui tibi nomen honoris,
Victor heri, palmæ laus cui prima viret.
Hinc ego felices duce te moderatus habenas,
Iam memor officij præmia grata fero.
Quaſque ferit volucri victoria puluere lauros,
Transfertit in veſtram nunc mea dextra manum.
Axis enim facili glomerat ſuper æquore curſus,
Vt bibit irriguas, quas mihi fundis, aquas.
Quaſque magus Stygiâ iam ter circumtulit vndâ,
Diſtringis magicos cælite rore dolos.
Vocalique canit circumſona fama theatro:
Hilarion hilares dux regit acer equos.
Iam mihi Pegaſeis certet comes æmulus alis;
Si prohibes, tardus non niſi ſerpet equus.
Et ſine te vacuas ſi Cyllarus alter in auras
Euolat; in primo carcere rumpet iter.
Si, pater alme, faues albis ruffiſue lacernis,
Seu praſino aut veneto das tua vota ſago:
Quiſquis hic eſt, dominis dux ille beatus habenis
Præripiet cupidâ præmia læta manu.
Nempe ſupervolitans rapidas victoria bigas,
Cui dare iuſta iubes, præmia certa dabit.
Cornipedumque fugace ſuperbiet ille triumpho,
Qui fracto toties victus in axe ſtetit.
Non ſic ipſe Pelops Piſæis arſit in aruis,
Quiſquis & alternum victor obiuit iter:
Vt tuus æripedum felix agitator equorum
Proruet effrænis ad tua vota modis.

Scilicet id ſenſi; ſacrâ mihi perlitus vndâ,
Atque tuâ fretus dum prece currus ijt.
Improba ſuſtineam fœdæ ludibria famæ,
Gratia ſi fluxis decidat iſta notis.
Ah! ego non poſſim famæ tolerare pudorem.
Hęret inoblito pectore ſculpta fides.
Inſcribam palmæ folijs quas debeo grates:
Hilarion rapidas impulit ire vias.
Nunc igitur Gazæ ſtadium, ſtudiumque coronæ
Reddat Apellæo dextera docta ſtylo.
Æmulaque ars rapidas iubeat decurrere trigas,
Paſcat vt hinc oculos poſtera fama ſuos.
Porticus inde leues exponat publica curſus,
Spargat & arte ſacras, queis mihi vincis, aquas.
Impreſſos ſignabo cauo mox puluere ſulcos,
Quos pictura catis exprimat ęqua modis.
Cernis, adumbro rudi Syrium ſub imagine circum,
Ars quem Parrhaſijs mima refingat aquis.
Præco iubet, linguis animiſque fauete Quirites,
Orbita quà rapidis feruet inuſta rotis.
Iam cuneos ſtipabit eques, ſanctuſque Senatus,
Implebuntque atri ſumma theatra greges.
Iam bigas volitare leues, celereſque quadrigas,
Puluereis cernas per ſola plana vijs.
Axibus innexos axes hęrere videbis,
Et medio curſu fallere præpes iter.
Hic praſino, veneto fauet ille, timetque periclum
Aut albo, aut ruffo cætera turba iugo.
Plauſus io, diſcors, aut ſibilus vndat ab alto,
Æmula quà metæ iam rota radit iter.
Aſt ego quid? raptis mihi terminus hæret habenis,
Atque breui ſeptus carcere frendet equus.
Ilicet ac ſacri ſparguntur in axe liquores,
Axis aquans liquido lubricat imbre viam.
Adſpice, puluereum caua quà rapit orbita curſum,
Obuia præcipiti lumina fallo fugâ.

Septi-

EPISTOLA XVIII.

ARGVMENTVM.

AVguſtinus, vti infirma conſilijs, inualida viribus, & procliuis in lapſum eſt iuuentus, in tam lubrico aui flexu à rectâ fidei orbitâ in Manetis impios errores deuoluitur; quò eum in ſpeciem erudita vanitas, & fallax veri imago trahit, in eaq́; detinet falſis acclinis opinio, & praua conſuetudo annos omnino nouem: inſuper blanda iuuentutis comes, enim tenacibus complexa illecebris, illigat voluptas. Quâ geminâ à peſte pia mater filium tam ſancti operis lacrymis adminiſtris auocare nititur; & tandem auocat: operaq́; D. Ambroſij Auguſtinum publico bono Chriſtiani orbis natum redonat Eccleſiæ. Auguſtinus in Confeſſionum libris.

MONICA SVO AVGVSTINO.

QVas legis, ex illo tibi litore mitto tabellas,
Vnde procul Libyco te tulit vnda ſolo.
Vt ferat, ah! metuo, longis amfractibus error,
Error agens varijs alia vota plagis:
Error, qui dubias dare vela iubebit ad auras,
Si non & Stygio gurgite quærat iter.
Ah! peream migrate, tuæ ni cura ſalutis
Me nunc & medijs, queis fugis, vrat aquis.
Nec minor in Daciâ mihi cor metus occupat actâ,
Ne fallant oculos obuia monſtra tuos:
Monſtra, parum fidis queis vox maleſnada ſuſurris,
Impiaque immani vipera corde ſedet.
Queis comes vngue comas ſcindens & pectora pugnis
Sit Dolor, & claudo poſtera Noxa gradu.

Sed

Sed dictis quid tento leues auertere curas?
Adſpectus Dominæ quò vocat Vrbis, abis.
Ah! canit hîc Siren, blando quo Scylla periclo
Hauriat infidis naufraga tranſtra vadis.
Ipſe licet Zephyrus blandis cor ventilat alis,
Ille tamen puppi turbidus Auſter erit.
O ibi nimborum nigra turbo quot agmina verſat,
Candida periuris dum natat aura vadis!
O vtinam felix fugias procul orgia Romæ?
Qui fugit hæc, maior Cæſare Cæſar erit.
Mendacem quoties aloë contriſtat Iacchum,
Et violat triſti gaudia ſicca mero?
Serò memor dulces vbi mens iam ruminat hauſtus,
Qualis amaricies cordis ad ima ſedet?
O, fuge fallaci mellita pericula ſucco.
Qui ſapit, effugiet ſpicula tincta fauo.
Ne pete, quod primâ fert obuia fronte voluptas.
Quo fugit, extremi reſpice damna pedis.
Aſt ego, quò ſapias, mitto tibi prouida ceram:
Vt mel inde legas, quod tibi finxit amor.
Hoc ſub melle latet, diri ſed criminis expers,
Quæ tibi cor tenerum grata repungat, apis.
Si tacito tenerum cor figat aculeus œſtro;
Dulcius hinc omni nectare vulnus ales.
Si quis inurat edax duros dolor oſſibus ignes;
Nata dolore ſalus ceu fauus almus erit.
Si ſis bruta ſilex, maternas temne querelas;
Nulla ſed hîc ſilicis ſcrupea vena riget.
Mollius at cerâ faciles cor fingit in vſus,
Qui ſedet ingenuo corde parentis honos.
Flebis, vt audieris, queis ſaucior ægra, dolores:
Ferre voles lacrymis oſcula miſta tuis.
Flebis, vbi noſces quali volvare charybdi;
Garrula Sirenum quò lyra vela vocat.
Auia me Latijs licet Africa diuidat oris;
Attamen hîc blandas audio mœſta lyras.

Ad-

Adſpiceres vtinam; tumido ceu merſa profundo
Hauriar vt lacrymis tota ſepulta meis!
Impia te Stygiâ ratis; ah! exponit in vluâ,
Iamque Acherontæas mors tua tranat aquas.
Quoque Manes, Orci fundo propè volueris imo.
Idnè tuum ſpectem lugubre ſicca ſcelus?
Adiuro Geniumque tuum, maneſque parentum,
Quos pietas cælo reddit auita ſuo:
Ne, meâ vita, nigri bibe putida ſtagna Manetis,
Cui datur Ambroſio fonte perennè frui.
Opto prius Libyen Phaëthontidâ vertat in Ætnam
Sol, & Atlantæas hauriat æſtus aquas:
Impia quàm Stygiæ tingat nigra gutta lacunæ
Quod genui nixu nobiliore caput.
Mater ego, iam non mater: ſic ergon' alumnum
Tartareis peperi bis peritura feris?
Candida purpureos transfudi in pabula ſuccos;
Sanguis vt æternis ſit meus eſca rogis?
Murmura blæſa rudi, quæ lallat lingua, palato
Erudij doctis in ſtata verba ſonis;
Æternis ſeptus flammis meus Auguſtinus
Vt vomat in ſuperas impia probra domos?
Ergo nouena tuli crudæ faſtidia lunæ,
Vt colat ardentes flens ſine ſole domos?
Virus & inſani ructet furiale Manetis,
Quæ fluit aureolis aurea ſuada labris?
Prô immane nefas! quod non ſatis expiet vnus
Orcus, & innumeris fertilis Ætna rogis.
Hoc vteri ſcelus ergo mei mercesque dolorum?
Monica prô! tantum tu peperiſſe nefas?
Vtiliùs poteram lætæ ſine flore coronæ
Pignus abortiuo tum ſepeliſſe ſinu.
Tu potes, ah! mea vita, graues lenire dolores;
Flens nec adhuc lenis, queis grauior ægra, faces?
Tu lacrymis fons ille meis & cauſa querelis
Ferreus & durâ reſpuis aure preces?

Quid; mea ſpes, necdum matri quæ dulce leuamen
Iam pridem miſeræ debuit eſſe, fuit?
Spero equidem, grati pia ſi quid poſſit amoris
Gratia; ſtat lacrymis concilianda ſalus.
Numinis auſpicio ſedet hæc fiducia menti.
Fors breuis hora dabit, quod mora longa negat.
Scilicet adnabis ſanctæ ſacer accola petræ,
Quæ regit imperium Solis vtraque domo.
Et mea tum gelidâ perfundes pectora lymphâ,
Improbus immenſo ne flagret igne dolor.
Vt Nilion ab Medis pius appulit addena regnis,
Et patrios auxit diuite dote lares:
Cui ſteterat caſſus iucundo lumine vultus,
Dulce patri medicâ reddidit arte iubar,
Reddidit & gemino tum ſoſpita vota parenti,
Queis viruit niueo feſta ſenecta die.
O qui complexus! ô vt tum fronte ſerenâ,
Explicuit rugas mater amœna ſuas!
Sic, mi nate, redux ſanctas ad Numinis aras
Reddideris vitæ præmia ſumma meæ.
Qui nunc tot lacrymis oculus caligat ad aras,
Te redeunte nouum tunc mihi ſidus erit.
Sic equidem voueo, vero ſit in omine pondus.
Teſtis erit iugis quæ fluit vnda genis.
Naſcetur ſuperis heres pulcherrimus oris;
Fœcundis oculis hunc pia gigno parens.
Sic augur canit Ambroſius: tibi filius olim
Vnicus ex vnâ matre bimater erit:
Vt natum gremio peperit ſua Monica terris,
Sic pariet cælo, flens quibus vndat, aquis.
O ego ſi ſpectem purum tibi crimine pectus,
Abruptâque agilem compede ſtare pedem!
Ah! tum reddideris vitam, mi gnate, parenti,
Iſaciuſque Saræ riſus & alter eris.
Tunc mihi quæque nurus, Ter felix Monica, dicet:
Aurea es Aureli facta ſalute parens.

Bis

Bis paris hanc ſobolem, qualem non viderit ætas
Vllas nec vlla dabit ſera videre dies.
Scilicet auguſtos vouet Auguſtinus honores:
Omne ſub hoc vno nomine nomen erit.
Haud equidem tali me dignor honore parentem
Sed dignam Superûm munere fama canit.
Ambroſius certè tanti pius ominis obſes,
Et tuus Ambroſij creſcet honore decor.
Iuuerit in lætam tunc me vixiſſe ſenectam,
Ipſe repens alius dum mihi natus eris.

EPISTOLA XIX.

ARGVMENTVM.

OVinius Gallicanus ſpectata virtutis & dignitatis Conſul, & commendatione victoriarum contra Scythas in paucis illuſtris belli Imperator, Conſtantini Magni gener; cuius filiam Conſtantiam ſibi vxorem adſciuit, è ſummo tandem Romanæ gloriæ faſtigio, præ rerum humanarum tædio, & cæleſtium deſiderio, ſe ad pauperum, quos valetudo lecto affixos tenet, ima obſequia abijcit cum publico Chriſtianæ humilitatis exemplo anguſtâ in caſâ; & ad oſtia Tiberina ſeſe Hilarino viro ſancto adiungit. His verò litteris enarrat, vti vana Romæ gloria ſibi apparuerit, haud ſine querelâ, & ſimul euanuerit; item vt cæleſtis gloria ſeſe obtulerit cum ſolido virtutis præmio, quam ſequi velit ignobili in ſorte, & Chriſti obſequio. Acta SS. Ioannis & Pauli, XXVI. Iunij.

GALLICANVS ROMÆ VALE DICIT.

Miraris, mea Roma, nouas non ire tabellas,
Laurea queis hilares addat honora comas.
Haud mihi ſtat famam claris extendere bellis,
Deque leui palmæ termite ferre decus.
Imperijs grauidum ſceptrum, dominamque coronam,
Iam poſui ſanctam cernuus ante crucem.
Victrici toties cui puber epiſtola lauro
Fronduit, in nudâ ſecubo nudus humo.
Adſpice, Cæſareæ ſua purpura redditur aulæ;
Purpura, quæ magni Conſulis antè decor.
Roma tuâ ſi victor abeſt iam Conſul ab aulâ;
Conſulis hanc trabeam, nobile pignus, habe.
Inde meos diſces, pectus queis æſtuat, ignes;
Erudietque oculos purpura docta tuos.
Hic lege, quod picto notat ima lacinia limbo,
Intexo Tyrio vellere: Roma vale.
Roma ſuperbarum dux imperioſa rotarum,
Roma triumphali nata virere comâ:
Roma meis toties Regina decora tropæis,
Accipe quod ſurdâ reſpuis aure, Vale.
Roma perennè vale, clarique valete Penates,
Laurea queis cuſtos floruit ante fores.
Quò meus hoſtiliſque cruor, ſudorque per arma
Manat, & attonitam ſanguis inundat humum?
Hinc vt emam viridans quid neſcio Daphnide ſyluâ,
Quod gratis patrio, ruſtice, carpis agro?
Nil mihi iam tecum, Regina ſuperba Quiritûm,
Cui ſummus ſterili frondet honos folio.
At parui ſaluete lares, ſaluete latebræ,
Paupere queis culmo cura modeſta ſedet.
Sat malè blandus enim vitreâ me compede faſtus
Detinuit: tandem detinuiſſe piget.

Me

Me miſeræ ieiuna grauant faſtidia Romæ:
Nauſeo, quod Conſul candidus ambit ebur.
Liber enim curis tragicos exhorreo caſus,
Queis ſors fœta dolis ardua tecta ruit.
Nil mihi mors tecum, quæ ſplendida ludis in oſtro,
Et rapidâ mundi præmia falce metis.
Illidis fragili capiti nec-opina bipennes
Mors intempeſtas ludere læta minas.
Nec tamen inde tot ad ludos & funera Regum
Abſterrent trepidos dira pericla pedes.
Eia graues curas, triſteſque abrumpo catenas,
Et premo calce putres, futile munus, opes.
Quò crux dura vocat, ſequar ardua & horrida rerum;
Si vocat in ſyluam, deuia ſylua teget.
Auocat in rupem? condet nox ſcrupea faſces.
Qui ſub rupe latet, fulmina nulla pauet.
Sin iubet, abſtrudam culmo ſub paupere ſellam;
Conſul inops rerum culmea tecta colam.
Hic fido ſecura quies indormit aſylo;
Et cubat anguſto vita beata ſpecu.
Dum licet ergo traham tranquilla ſilentia noctis,
Leniat vt curis pectora feſſa quies.
Nec mora longa: ſoporiferâ mihi nube papauer
Spargit, & humenti lumina nocte grauat.
Tertia nocturnas tuba dum vigil increpat vmbras,
Et vocat in curas Martius arma timor,
Somnia quæ vidi? dubito, num nuncia veri,
Sed puto, quæ vidi, ſomnia pondus habent.
Cornea perſpicuâ quà porta patebat in aurâ
(Vt quid eburna foret? reſpuo Conſul ebur)
Surgere viſa repens, ſolio magis, ánne ſepulcro?
Sed potiùs ſolio ſurgere viſa Dea eſt.
Præradiat nitidis ſtellata corona ſmaragdis:
Læua ſinum plangit, dextera ſceptra regit.
Oſcitat hinc illinc laceris toga ſaucia rimis,
Cui rubet Oebalio purpura pota cado.

Fert eadem nunc illa manus, quas antè ferebat,
Fertque illos oculos, quos modò viua tulit.
At ſine flore color, tenues ſine pondere vires,
Et iacet in nudo laurea ſicca ſolo.
Stans laceros faſces inter, fractaſque ſecures
Eſt mihi ſic trunco murmure viſa loqui:
Audiſtíne virum, claram qui condidit vrbem,
Et peperit clarâ jam Deus vrbe Deam?
Hinc mihi ſtirpis honos; Latiæ ſum Gloria gentis,
Cui pater, armipotens Mars; Dea Roma, parens.
Inclyta victricis quis neſcit præmia Romæ?
Vlla nec in vacuas ſpicula ſparſa minas?
Quid loquar, ipſe tuos victor quos fregeris armis,
Thracas in ante tuos procubuiſſe pedes?
Queis Scytha ſanguineas ſupplex euerrit arenas,
Squalida magnanimos ſigna loquuntur auos.
Hæret adhuc oculis florentis imago triumphi,
Quo Geticos vinxit ſerua catena duces;
Purpureos inter proceres & clara Senatûs
Lumina, cùm niueos fama regebat equos.
Nónne caput lauro, gratiſſima laurus honori,
Roma triumphali vinxit itura viâ?
Ac tibi venturos matura vouebat honores
Fama tot egregios inter honora duces:
Et tu de pulchrâ niſi degener arbore ramus,
Mentiris ſterili futile fronde decus.
Indecori patrios violas ſic crimine mores?
Bella quid imbellis damnat auita nepos?
Inſultatque reo pede præmia clara parentum,
Præmia Tarpeio fulgere digna tholo?
Auguſti renuas tam nobile pignus honoris?
Quò tibi ſponſa fuit principe lecta domo?
Cæſareuſque torus, quo te dignata Quiritûm eſt
Regia, dos fœdâ vilior ergo caſa?
Sic tibi vile caput, clariſſima Conſtantini
Filia, deſerto quæ iacet orba toro?

Nunc

Nunc vbi nobilitas, torquiſque inſigne Quirini?
Nunc vbi torquato grande monile ſinu?
Nunc vbinam ſolitus digitis ſapphirus & aurum?
Ergo pudet gemmis irradiare manum?
Perfide, tu ſancti ſic nobile Numen honoris
Impius eiuras, quod Dea Roma colit?
Hunc ebur, hunc faſces, hunc ergo ſecuris in vſum,
Et Capitolino laurea ſacra Ioui?
Decolor illudat Romæ quò fama pudori,
Et deuicta ſuo Conſule Roma gemat?
Dì melius! ſed enim faſces dominaſque ſecures
Frangis, vt è fractis faſcibus aſtra ſtruas.
Scilicet egregios ea ſpes mendicat honores,
Improba quæ damno diuite temnit opes.
Et ſibi grande decus ieiuno quærit Olympo:
Spem vanam pretio quis niſi ſtultus emat?
Quò malè clauſa manus claris, quæ ſpondeo, ſceptris?
Nec tua promiſſis auris aperta meis?
Inſuper hoſtilem rapido fugis impete Romam,
Quæ pede preſſa tuo vult miſeranda mori.
Quid Tiberina miſer modico petis oſtia cultu?
Altera num Latio Roma renata mari eſt?
Pulchrior an Tiberinis arena vel vrbe Quiritûm
Viſa tibi? an ſalſis laurea creſcit aquis?
Sed colis hîc Irum nunc Irus & ipſe, nec vſquam
Conſul: an ergo decus Conſulis Irus habet?
Sidereum cæco caput abdat Ouinius antro,
Quod viridi cinxit clara corona comâ?
Addere num poterit tibi fôrs Hilarinus honores?
Num lacer è panno paupere fundet opes?
Nil tot adhuc animum ſpes explet auara triumphis?
Si tibi Roma parum, quis ſatis orbis erit?
Sed fruſtra gemitus, & murmur inane querelæ:
Cui loquor, edurâ bruta ſtat aure ſilex.
Vos igitur Nymphæ, ſanctis ſacra Numina lucis,
In niueâ teſtes, deprecor, eſte ſtolâ:

Dique Deæque, quibus vetus eſt tutela Quiritûm,
Sunto ſacri teſtes; adde, Quirine, fidem:
Me blandis fregiſſe modis precibuſque querelas,
Flectat vt immitem blanda querela virum:
Expugnemque Ducem bis ſex accincta ſecures,
Cui cor indomitum ferrea durat hiems.
Exorere his vltor, queis fracta recumbo, fauillis,
Vindice periurum qui caput igne premas.
De Capitolinis ferus arcibus, audio, vindex
Iulia nimboſo fulmine tela tonat.
In dirum ſcelus vltrices Iouis exſecror iras.
Omen in Ouinium lugubre bubo gemit.
Dixerat; amplexumque auidis rapit ilicet vlnis,
Rapta ſed in vanas excidit vmbra fugas.
Viſa redire, leues ſed ſtridula larua per auras
Rurſus abit; laruam ventus inanis habet.
Iamque reprendo; cauis videor tenuiſſe lacertis:
Ter quæſita, cauâ ter fugit vmbra manu.
Senſi ego tum medio furtiuum frigus in æſtu,
Pallida quod gelidâ ceu niue larua parit.
Sed breuis alſit hiems: radio vix tangit Ieſus,
Quæ ſedit glacies pectore, victa fugit.
Intereà puro lux emicat obuia cælo,
Plurimaque in medio lumine Diua micat.
E quarum numero me ſuſcitat vna ſororum:
Suſpicor, hæc Diuis Gloria digna fuit.
Sidereum fert dextra globum, fert læua coronam,
Et redimit canas Punica vitta comas.
Vſque virens hilari de luce ſmaragdus in auro
Vernat, & in niueo lumine candet onyx.
Quæ placido quid lene loqui ſic orſa ſuſurro,
Qualis ab argutis murmurat aura vadis.
Non meus in tenues ſeſe labor implicat artes,
Ampliat immenſas clara per auſa vias.
Nec ſiccas ſterili decerpit ab arbore lauros
Bacca, quibus crudam torquet amara ſitim.

Ecqua

Ecqua viret bellis, niſi torrida laurus ab æſtu?
Ecquis honos ſceptris, non niſi pauper ebur?
Inueni, mihi crede, viam, gratare viator,
Quâ grauidum pomis fas ſit adire nemus.
Sed procul Aricià, Latiæque à mœnibus vrbis,
Iſta Sionæo ſylua ſtat alta iugo.
Pomoſis hîc dona lego detexta coronis,
Vnde benigna ſacram condiat eſca famem.
Si quis inoccidui ſibi præmia quærat honoris,
Quid iuuat è fragili lecta corona comâ?
Fulua corona, micans aquilâ ſub principe ſceptrum,
Purpura, palma virens, ſella curulis, ebur,
Et bis ſex vinctæ biſſeno faſce ſecures,
Diuiteque è ſomno quidquid adumbrat honos,
Siue quod infido tingit de melle voluptas,
Quæ regit errantes ad ſua plectra choros,
Quid niſi ſunt oculis formoſa pericla, vel error,
Purpureumque, graui quod nocet arte, ſcelus?
Sors quantò melior ſuperis adſurgere regnis,
Vis vbi nulla rapit, fraus nec auara nocet?
O nimiùm felix, modico qui ſeptus aſylo
Numinis æterno militat imperio!
Inclyta paupertas, pullo quæ ſqualet amictu,
Purpureâ certè pulchrior illa togâ eſt.
Arcta ſimul laxas caſa me duce vicerit aulas,
Inde luto liber ſpiritus aſtra reget.
Euge, nouis dum regna vocant cæleſtia votis,
Supprime ſecuro ſceptra ſuperba pede.
Mors animæ nexum, vinctoſque reſoluerit artus,
Adſurget capiti ſera corona tuo.
Dixit; & in placido preſſit veſtigia riſu,
Proſubigens imo laurea ſerta ſolo.
Ambroſios tum viſa fauos ſtillare labellis
Diua, ſimul cælo ſuſtulit alta manum.
Neſcio quod templum ſceptro mihi monſtrat eburno,
Cui Capitolini ceſſerit ara Iouis.

Vin' formam? curui facies cuneata theatri eſt;
  In medio, palmæ frondibus ara viret.
Hac vbi Diua recens decerpſit ab arbore pomum,
  Atque ſedet ternis dactylus articulis:
Experior guſtu. non dulcior eſca palato:
  Gratius hæc quouis nectare nectar alit.
Hinc amor in cineres, auro qui fulſit, aceruum
  Vertit: inops fumant ſplendida dona rogus.
Quæque ſtetit claris ſubnixa ſuperbia ſceptris,
  Degener informi labitur opprobrio:
Et iam puluis opes, lucem qui detrahat auro:
  Nec magis ambit inops nobile Conſul ebur.
Cernis vt hic omni maior ſit Cæſare Conſul:
  Suppoſui nudo Romula ſceptra pedi.
Sidereaſque irrumpo potens iam victor in arces;
  Gratius imperio rus vbi pauper aro.
Nam mihi quæ ſummos æternum ſpondet honores,
  Tota ſub auguſto culmine Roma ſedet.
Dulcior immenſo ſpecus orbe vel Vrbe Quiritûm
  Quamlibet auguſtas temnere ſuadet opes.
Scilicet hîc vitæ cæleſtis inerrat imago;
  Nudus vbi nudo ſub lare regnat amor.
Puluerulenta reo ſquallent veſtigia mundo,
  Excute, de mundi puluere noxa cadet.
In modico cultu paupertas neſcia luxûs
  Si non ambit opes, ſuppetet vſus opum.
Sicca licet, vincet Medas hæc cænula menſas,
  Quæque natant multo naufraga fercla mero,
Mel hîc beta ſapit, parco quæ ſtillat oliuo;
  Nempe labor condit, condit anhela fames.
Hîc quàm grata quies! ſaties quàm neſcia noxæ!
  O quæ pax animo! quàm benè tuta ſalus!
Non hîc lana Tyri fucatur amœna veneno,
  Nec radiat gemmis fimbria picta ſuis.
Sublaqueare domus rutilo nil fulgurat auro,
  Nec ludunt varijs marmora ſparſa notis.

Quo

Quò picturato toga floreat aurea limbo?
  Trama micans auro quid niſi picta cinis?
Quò laqueata ſuis illudant atria gemmis,
  Si mihi ſit Cyri regia parua ſpecus?
Conchea bacca meo non eſt vt luceat oſtro;
  Quid niſi bacca rubro ſpumea bulla mari?
Gratior hic riguis flos gemmeus ardet in herbis,
  Quàm qui gemmiferis vnio candet aquis.
Illuuie ſcabrum pectus, ſquallorque lacernæ,
  Pulchrior auratis eſt mihi chlæna togis.
Nil aciem fului ſplendor præſtinguit honoris,
  Aut cæcat radijs purpura clara ſuis.
Libo breuem guttam: pleno ceu fonte voluptas
  Adfluit in guttâ, quæ ſapit vna fauum.
Gratior an ſapido liquet vlla ſaliua palato,
  Quàm fluat è pomo, quod mihi Diua tulit?
Hinc mihi delicias iam mens oblita Quiritûm eſt,
  Ebria tam dulci quæ madet vſque mero.
Quàm ſuaues latebris ſpectas his, Cynthie, curas!
  Quàm placidum ſpectas, Cynthia læta, torum?
Et certè dubites, vbi decolor abdico ſceptrum,
  An ſolio mutem nobiliore decus.
Aſſiduis fruſtra tundes mihi vocibus aures,
  Vt mutem trabeis hæc ſaga pulla tuis.
Iam vixi tibi, Roma parens, curſumque peregi,
  Gloria quem niueis currere ſuaſit equis.
Nunc placidam carpet deſeſſa ſenecta quietem,
  Ardua cui Superûm ſpes meditatur iter.
Quæ cælo micat aſtrigeris diſtincta pyropis,
  En caput exſpectat nuda corona meum.

EPISTOLA XX.

ARGVMENTVM.

VBi iam pridem in Aegypto florem ſua pudicitia Maria proſtituerat, inde maritimo curſu Hieroſolymam

Quid, mea ſpes, necdum matri quæ dulce leuamen
Iam pridem miſeræ debuit eſſe, fuit?
Spero equidem, grati pia ſi quid poſſit amoris
Gratia; ſtat lacrymis concilianda ſalus.
Numinis auſpicio ſedet hæc fiducia menti,
Fors breuis hora dabit, quod mora longa negat.
Scilicet adnabis ſanctæ ſacer accola petræ,
Quæ regit imperium Solis vtraque domo.
Et mea tum gelidâ perfundes pectora lymphâ,
Improbus immenſo ne flagret igne dolor.
Vt Nihon ab Medis pius appulit aduena regnis,
Et patrios auxit diuite dote lares:
Cui ſteterat caſſus iucundo lumine vultus,
Dulce patri medicâ reddidit arte iubar.
Reddidit & gemino tum ſoſpita vota parenti,
Queis viruit niueo feſta ſenecta die.
O qui complexus! ô vt tum fronte ſerenâ,
Explicuit rugas mater amœna ſuas!
Sic, mi nate, redux ſanctas ad Numinis aras
Reddideris vitæ præmia ſumma meæ.
Qui nunc tot lacrymis oculus caligat ad aras,
Te redeunte nouum tunc mihi ſidus erit.
Sic equidem voueo, vero ſit in omine pondus.
Teſtis erit iugis quæ fluit vnda genis.
Naſcetur ſuperis heres pulcherrimus oris;
Fœcundis oculis hunc pia gigno parens.
Sic augur canit Ambroſius: tibi filius olim
Vnicus ex vnâ matre bimater erit.
Vt natum gremio peperit ſua Monica terris,
Sic pariet cælo, flens quibus vndat, aquis.
O ego ſi ſpectem purum tibi crimine pectus,
Abruptâque agilem compede ſtare pedem!
Ah! tum reddideris vitam, mi gnate, parenti,
Iſaciuſque Saræ riſus & alter eris.
Tunc mihi quæque nurus, Ter felix Monica, dicet:
Aurea es Aureli facta ſalute parens.

Bis

Bis paris hanc ſobolem, qualem non viderit ætas
Vllas nec vlla dabit ſera videre dies.
Scilicet auguſtos vouet Auguſtinus honores:
Omne ſub hoc vno nomine nomen erit.
Haud equidem tali me dignor honore parentem
Sed dignam Superûm munere fama canit.
Ambroſius certè tanti pius ominis obſes,
Et tuus Ambroſij creſcet honore decor.
Iuuerit in lætam tunc me vixiſſe ſenectam,
Ipſe repens alius dum mihi natus eris.

EPISTOLA XIX.

ARGVMENTVM.

OVinius Gallicanus ſpectatæ virtutis & dignitatis Conſul, & commendatione victoriarum contra Scythas in paucis illuſtris belli Imperator, Conſtantini Magni gener, cuius filiam Conſtantiam ſibi vxorem adſciuit, è ſummo tandem Romanæ gloriæ faſtigio, præ rerum humanarum tædio, & cæleſtium deſiderio, ſe ad pauperum, quos valetudo lecto affixos tenet, ima obſequia abijcit cum publico Chriſtianæ humilitatis exemplo anguſtâ in caſâ; & ad oſtia Tiberina ſeſe Hilarino viro ſancto adiungit. His verò litteris enarrat, vti vana Romæ gloria ſibi apparuerit, haud ſine querelâ, & ſimul euanuerit; item vt cæleſtis gloria ſeſe obtulerit cum ſolido virtutis præmio, quam ſequi velit ignobili in ſorte, & Chriſti obſequio. Acta SS. Ioannis & Pauli, XXVI. Iunij.

Gallicanvs Romæ Vale dicit.

Miraris, mea Roma, nouas non ire tabellas,
Laurea queis hilares addat honora comas.
Haud mihi ſtat famam claris extendere bellis,
Deque leui palmæ termite ferre decus.
Imperijs grauidum ſceptrum, dominamque coronam,
Iam poſui ſanctam cernuus ante crucem.
Victrici toties cui puber epiſtola lauro
Fronduit, in nudâ ſecubo nudus humo.
Adſpice, Cæſareæ ſua purpura redditur aulæ;
Purpura, quæ magni Conſulis antè decor.
Roma tuâ ſi victor abeſt iam Conſul ab aulâ;
Conſulis hanc trabeam, nobile pignus, habe.
Inde meos diſces, pectus queis æſtuat, ignes;
Erudietque oculos purpura docta tuos.
Hic lege, quod picto notat ima lacinia limbo,
Intexo Tyrio vellere: Roma vale.
Roma ſuperbarum dux imperioſa rotarum;
Roma triumphali nata virere comâ:
Roma meis toties Regina decora tropæis,
Accipe quod ſurdâ reſpuis aure, Vale.
Roma perennè vale, clariquc valete Penates,
Laurea queis cuſtos floruit ante fores.
Quò meus hoſtiliſque cruor, ſudorque per arma
Manat, & attonitam ſanguis inundat humum?
Hinc vt emam viridans quid neſcio Daphnide ſyluâ,
Quod gratis patrio, ruſtice, carpis agro?
Nil mihi iam tecum, Regina ſuperba Quiritûm,
Cui ſummus ſterili frondet honos folio.
At parui ſaluete lares, ſaluete latebræ,
Paupere queis culmo cura modeſta ſedet.
Sat malè blandus enim vitreâ me compede faſtus
Detinuit: tandem detinuiſſe piget.

Me

Me miſeræ ieiuna grauant faſtidia Romæ:
  Nauſeo, quod Conſul candidus ambit ebur.
Liber enim curis tragicos exhorreo caſus,
  Queis ſors fœta dolis ardua tecta ruit.
Nil mihi mors tecum, quæ ſplendida ludis in oſtro,
  Et rapidâ mundi pręmia falce metis.
Illidis fragili capiti nec-opina bipennes
  Mors intempeſtas ludere læta minas.
Nec tamen indè tot ad ludos & funera Regum
  Abſterrent trepidos dira pericla pedes.
Eia graues curas, triſteſque abrumpo catenas,
  Et premo calce putres, futile munus, opes.
Quò crux dura vocat, ſequar ardua & horrida rerum;
  Si vocat in ſyluam, deuia ſylua teget.
Auocat in rupem? condet nox ſcrupea faſces.
  Qui ſub rupe latet, fulmina nulla pauet.
Sin iubet, abſtrudam culmo ſub paupere ſellam;
  Conſul inops rerum culmea tecta colam.
Hîc fido ſecura quies indormit aſylo;
  Et cubat anguſto vita beata ſpecu.
Dum licet ergo traham tranquilla ſilentia noctis,
  Leniat vt curis pectora feſſa quies.
Nec mora longa: ſoporiferâ mihi nube papauer
  Spargit, & humenti lumina nocte grauat.
Tertia nocturnas tuba dum vigil increpat vmbras,
  Et vocat in curas Martius arma timor,
Somnia quæ vidi? dubito, num nuncia veri,
  Sed puto, quæ vidi, ſomnia pondus habent.
Cornea perſpicuâ quà porta patebat in aurâ
  (Vt quid eburna foret? reſpuo Conſul ebur)
Surgere viſa repens, ſolio magis, ânne ſepulcro?
  Sed potiùs ſolio ſurgere viſa Dea eſt.
Præradiat nitidis ſtellata corona ſmaragdis:
  Læua ſinum plangit, dextera ſceptra regit.
Oſcitat hinc illinc laceris toga ſaucia rimis,
  Cui rubet Oebalio purpura pota cado.

Fert eadem nunc illa manûs, quas antè ferebat,
Fertque illos oculos, quos modò viua tulit.
At ſine flore color, tenues ſine pondere vires,
Et iacet in nudo laurea ſicca ſolo.
Stans laceros faſces inter, fractaſque ſecures
Eſt mihi ſic trunco murmure viſa loqui:
Audiſtíne virum, claram qui condidit vrbem,
Et peperit clarâ iam Deus vrbe Deam?
Hinc mihi ſtirpis honos; Latiæ ſum Gloria gentis,
Cui pater, armipotens Mars; Dea Roma, parens.
Inclyta victricis quis neſcit præmia Romæ?
Vlla nec in vacuas ſpicula ſparſa minas?
Quid loquar, ipſe tuos victor quos fregeris armis,
Thracas in ante tuos procubuiſſe pedes?
Queis Scytha ſanguineas ſupplex euerrit arenas,
Squalida magnanimos ſigna loquuntur auos.
Hæret adhuc oculis florentis imago triumphi,
Quo Geticos vinxit ferua catena duces;
Purpureos inter proceres & clara Senatûs
Lumina, cùm niueos fama regebat equos.
Nónne caput lauro, gratiſſima laurus honori,
Roma triumphali vinxit itura viâ?
Ac tibi venturos matura vouebat honores
Fama tot egregios inter honora duces:
Et tu de pulchrâ niſi degener arbore ramus,
Mentiris ſterili futile fronde decus.
Indecori patrios violas ſic crimine mores?
Bella quid imbellis damnat auita nepos?
Inſultatque reo pede præmia clara parentum,
Præmia Tarpeio fulgere digna tholo?
Auguſti renuas tam nobile pignus honoris?
Quò tibi ſponſa fuit principe lecta domo?
Cæſareuſque torus, quo te dignata Quiritûm eſt
Regia, dos fœdâ vilior ergo caſâ?
Sic tibi vile caput, clariſſima Conſtantini
Filia, deſerto quæ iacet orba toro?

Nunc

Nunc vbi nobilitas, torquiſque inſigne Quirini?
Nunc vbi torquato grande monile ſinu?
Nunc vbinam ſolitus digitis ſapphirus & aurum?
Ergo pudet gemmis irradiare manum?
Perfide, tu ſancti ſic nobile Numen honoris
Impius eiuras, quod Dea Roma colit?
Hunc ebur, hunc faſces, hunc ergo ſecuris in vſum,
Et Capitolino laurea ſacra Ioui?
Decolor illudat Romæ quò fama pudori,
Et deuicta ſuo Conſule Roma gemat?
Dî melius! ſed enim faſces dominaſque ſecures
Frangis, vt è fractis faſcibus aſtra ſtruas.
Scilicet egregios ea ſpes mendicat honores,
Improba quæ damno diuite temnit opes.
Et ſibi grande decus ieiuno quærit Olympo:
Spem vanam pretio quis niſi ſtultus emat?
Quò malè clauſa manus claris, quæ ſpondeo, ſceptris?
Nec tua promiſſis auris aperta meis?
Inſuper hoſtilem rapido fugis impete Romam,
Quæ pede preſſa tuo vult miſeranda mori.
Quid Tiberina miſer modico petis oſtia cultu?
Altera num Latio Roma renata mari eſt?
Pulchrior an Tiberinis arena vel vrbe Quiritûm
Viſa tibi? an falſis laurea creſcit aquis?
Sed colis hîc Irum nunc Irus & ipſe, nec vſquam
Conſul: an ergo decus Conſulis Irus habet?
Sidereum cæco caput abdat Ouinius antro,
Quod viridi cinxit clara corona comâ?
Addere num poterit tibi fòrs Hilarinus honores?
Num lacer è panno paupere fundet opes?
Nil tot adhuc animum ſpes explet auara triumphis?
Si tibi Roma parum, quis ſatis orbis erit?
Sed fruſtra gemitus, & murmur inane querelæ:
Cui loquor, edurâ bruta ſtat aure ſilex.
Vos igitur Nymphæ, ſanctis ſacra Numina lucis,
In niueâ teſtes, deprecor, eſte ſtolâ:

Dique Deæque, quibus vetus eſt tutela Quiritûm,
Sunto ſacri teſtes; adde, Quirine, fidem:
Me blandis fregiſſe modis precibuſque querelas,
Flectat vt immitem blanda querela virum:
Expugnemque Ducem bis ſex accincta ſecures,
Cui cor indomitum ferrea durat hiems.
Exorere his vltor, queis fracta recumbo, fauillis,
Vindice periurum qui caput igne premas.
De Capitolinis ferus arcibus, audio, vindex
Iulia nimboſo fulmine tela tonat.
In dirum ſcelus vltrices Iouis exſecror iras.
Omen in Ouinium lugubre bubo gemit.
Dixerat; amplexumque auidis rapit ilicet vlnis,
Rapta ſed in vanas excidit vmbra fugas.
Viſa redire, leues ſed ſtridula larua per auras
Rurſus abit; laruam ventus inanis habet.
Iamque reprendo; cauis videor tenuiſſe lacertis:
Ter quæſita, cautâ ter fugit vmbra manu.
Senſi ego tum medio furtiuum frigus in æſtu,
Pallida quod gelidâ ceu niue larua parit.
Sed breuis alſit hiems: radio vix tangit Ieſus,
Quæ ſedit glacies pectore, victa fugit.
Intereà puro lux emicat obuia cælo,
Plurimaque in medio lumine Diua micat.
E quarum numero me ſuſcitat vna ſororum:
Suſpicor, hæc Diuis Gloria digna fuit.
Sidereum fert dextra globum, fert læua coronam,
Et redimit canas Punica vitta comas.
Vſque virens hilari de luce ſmaragdus in auro
Vernat, & in niueo lumine candet onyx.
Quæ placido quid lene loqui ſic orſa ſuſurro,
Qualis ab argutis murmurat aura vadis.
Non meus in tenues ſeſe labor implicat artes,
Ampliat immenſas clara per auſa vias.
Nec ſiccas ſterili decerpit ab arbore lauros
Bacca, quibus crudam torquet amara ſitim.

Ecqua

Ecqua viret bellis, niſi torrida laurus ab æſtu?
  Ecquis honos ſceptris, non niſi pauper ebur?
Inueni, mihi crede, viam, gratare viator,
  Quâ grauidum pomis fas ſit adire nemus.
Sed procul Ariciâ, Latiæque à mœnibus vrbis,
  Iſta Sionæo ſylua ſtat alta iugo.
Pomoſis hîc dona lego detexta coronis,
  Vnde benigna ſacram condiat eſca famem.
Si quis inoccidui ſibi præmia quærat honoris,
  Quid iuuat è fragili lecta corona comâ;
Fulua corona, micans aquilâ ſub principe ſceptrum,
  Purpura, palma virens, ſella curulis, ebur,
Et bisſex vinctæ biſſeno faſce ſecures,
  Diuiteque è ſomno quidquid adumbrat honos,
Siue quod infido tingit de melle voluptas,
  Quæ regit errantes ad ſua plectra choros,
Quid niſi ſunt oculis formoſa pericla, vel error,
  Purpureumque, graui quod nocet arte, ſcelus;
Sors quantò melior ſuperis adſurgere regnis,
  Vis vbi nulla rapit, fraus nec auara nocet?
O nimiùm felix, modico qui ſeptus aſylo
  Numinis æterno militat imperio!
Inclyta paupertas, pullo quæ ſqualet amictu,
  Purpureâ certè pulchrior illa togâ eſt.
Arcta ſimul laxas caſa me duce vicerit aulas,
  Inde luto liber ſpiritus aſtra reget.
Euge, nouis dum regna vocant cæleſtia votis,
  Supprime ſecuro ſceptra ſuperba pede.
Mors animæ nexum, vinctoſque reſoluerit artus,
  Adſurget capiti ſera corona tuo.
Dixit; & in placido preſſit veſtigia riſu,
  Proſubigens imo laurea ſerta ſolo.
Ambroſios tum viſa fauos ſtillare labellis
  Diua, ſimul cælo ſuſtulit alta manum.
Neſcio quod templum ſceptro mihi monſtrat eburno,
  Cui Capitolini ceſſerit ara Iouis.

Quò picturato toga floreat aurea limbo?
  Trama micans auro quid niſi picta cinis?
Quò laqueata ſuis illudant atria gemmis,
  Si mihi ſit Cyri regia parua ſpecus?
Conchea bacca meo non eſt vt luceat oſtro;
  Quid niſi bacca rubro ſpumea bulla mari?
Gratior hic riguis flos gemmeus ardet in herbis,
  Quàm qui gemmiferis vnio candet aquis.
Illuuie ſcabrum pectus, ſquallorque lacernæ,
  Pulchrior auratis eſt mihi chlæna togis.
Nil aciem fului ſplendor præſtinguit honoris,
  Aut cæcat radijs purpura clara ſuis.
Libo breuem guttam: pleno ceu fonte voluptas
  Adfluit in guttâ, quæ ſapit vna fauum.
Gratior an ſapido liquet vlla ſaliua palato,
  Quàm fluat è pomo, quod mihi Diua tulit?
Hinc mihi delicias iam mens oblita Quiritûm eſt,
  Ebria tam dulci quæ madet vſque mero.
Quàm ſuaues latebris ſpectas his, Cynthie, curas!
  Quàm placidum ſpectas, Cynthia læta, torum!
Et certè dubites, vbi decolor abdico ſceptrum,
  An ſolio mutem nobiliore decus.
Aſſiduis fruſtra tundes mihi vocibus aures,
  Vt mutem trabeis hæc ſaga pulla tuis.
Iam vixi tibi, Roma parens, curſumque peregi,
  Gloria quem niueis currere ſuaſit equis.
Nunc placidam carpet defeſſa ſenecta quietem,
  Ardua cui Superûm ſpes meditatur iter.
Quæ cælo micat aſtrigeris diſtincta pyropis,
  En caput exſpectat nuda corona meum.

EPISTOLA XX.

ARGVMENTVM.

VBi iam pridem in Aegypto florem ſua pudicitia Maria proſtituerat, inde maritimo curſu Hieroſolymam

ſolymam contendit. Vbi cum ceteris ſolenni die vndequaque eò concurrentibus ſeſe templo ingerere nititur, vt eam ipſam, in quâ Chriſtus ſuffixus fuerat, crucem publico etiam oſculo excipiat. Senſit infelix mulier, ſe templi aditu ſemel iterumq́; neſcio quâ vi arcanâ prohiberi. Tertium denique repulſa cum animo ſuo reputat huius rei cauſam, ac reputanti incurrit in oculos vitæ priſtinæ tam fœda imago, ob quam ſibi perſuadet ſe crucis oſculo minimè dignam eſſe, nondum ſcilicet turpitudinis ſuæ pœnitentem. Imploratâ ergo B. Virginis ope deteſtatur anteactam vitam; promittitq́; ſi in templum admittatur, quas laxarat intemperantiæ & cupiditati habenas, eas ſeuerâ diſciplinâ ſe aſtricturam. Nec votum euentus feſellit. Protinus enim cum ceteris ſine remorâ ad pia crucis oſcula admittitur; atque inde, non vti ceteri, domum; ſed in auiam ſolitudinem ſe recipit: vbi vni Zoſimo viro ſanctiſſimo nota, prioris vitæ noxas lacrymis ſuis ita expiat, vt merita fuerit deinde in Sanctorum numerum referri. His autem litteris ægra adhuc luctu Maria aperit ſua Hieroſolymis ad montem Caluariæ veluti ad ſcopulum pericula, & panè naufragia: vbi quamquam tertium diuinitus à templi limine ſit repulſa, tamen placandum aliquando Numen, ab eoq́; gratiam ſperat. Vitam eius deſcripſit Sophronius, teſte Nicephoro lib. VII. cap. V. quam citat ſecunda Nicæna Synodus.

MARIA SOPHRONIO.

ALterius mirare manum, inſolitaſque figuras?
Me meus haud finit hæc ſcribere pauca dolor.

Vtque

Vtque dolor ſinat, heu! languor grauis occupat artus:
Pænè iacet triſti vita ſepulta toro.
Exiguas ſiquidem longis defuncta periclis
Relliquias vitæ vix traho lenta meæ.
Cui perijt cum flore pudor, decor aureus æui,
Nunc perit amiſſo rapta pudore ſalus.
Namque Palæſtinas ſimul ac ratis attigit oras,
Aduena quam Pharijs depulit aura fretis:
Siſtendam placidâ rebar ſtatione carinam,
Crux vbi ſit velis ancora fida mèis.
Sed nouus vndoſum me turbo reſorbet in æquor:
Detonat à Solymo fœda procella iugo.
Fluxa fides Ponto. Sæuas ſe mutat in iras,
Vertit & in toruas aura ſerena minas.
Horrificâ Triton circumſonat æquora conchâ;
Æolidumque truces excit ad arma manus.
Eurus ab irato violens graſſatur Eoo,
Occiduis Zephyrus ſæuus inundat aquis:
Deque procelloſis Auſtris bacchatur Orion,
Arctooque Aquilo voluit ab axe fretum.
Æolio neſcit, cui pareat vnda, tyranno;
Aut cui det fluctu quaſſa carina latus.
Quæ nunc vnda ruit cunctas ſuperenatat vndas,
Vltimus hic decimis turbo recumbit aquis.
Vndantique ipſum mare nauigat hoſpes in alno;
Illacrymat lacrymis alnus aquoſa meis.
Pinea nec tantis diſſolui texta procellis
Credo graui rupes obſtupuiſſe mari.
Quid tandem? Solymis appello rurſus arenis:
Saucia vela Noto, ſaucia tranſtra mari.
Hìc ego ſtans feſſâ ſiccabam lumina dextrâ;
Inde ſed in puppin dira reſæuit hyems.
Hei mihi! mons ſcopulus, ſcopulo mõs durior mai eſt,
Qui præluſtre daret, ceu Pharos alta, iubar.
Rurſus Ieſſeidas vis turbida gliſcit ad aras,
Ar s, quæ fragili naufraga ſaxa trabi.

Aſpi-

Aſpiceres tumidis hîc feruere fluctibus aras,
Heu! loca quaſſatæ non adeunda rati.
Naufragij hinc laceræ metuo noua damna carinæ,
Si modò, cui perijt ſpes, perijſſe nequit.
Quem tibi pingo maris triſti ſub imagine caſum,
Heu! patior Solymo naufraga facta ſolo.
En vbi læta dies celebres inſtaurat honores,
Annua quam feſtis rettulit hora rotis:
Vndique turba frequens ſupplex concurrit ad aram,
Libatura ſacræ ſuauia ſancta Cruci.
Quiſque Crucem tangit: Crux ſuauia nulla repellit:
Ardeo & hinc pariter baſia ferre Cruci.
Supplex ergo gradum defigo limine templi:
Illicò ſed remouet vis inimica gradum.
Reſpicio, indignorque; nec eſt, quem mota laceſſat
Ira, vel ad ſanctas feruere prompta fores.
Nempe reor pueros, vt eram ſpectanda retorto
Syrmate, correptam detinuiſſe ſtolam.
Ecquis enim Mariam retro auſit pellere, denſâ
Vltrò cui in caueâ cedere turba ſolet?
Quare iterum conor valuis me immittere apertis:
Aſt iterum valuis pulſa repentè feror.
Iam non ira animis ſubit, at pudor anxius, eheu!
Cumque pudore pauor, cumque pauore dolor.
Scilicet arcano me protinus impete pelli
Sentio, & inuitos ſpontè redire pedes.
Stat tamen obniti, mecumque capeſſere pugnam:
Sed mecum infauſto ſidere pugna fuit.
Hei mihi! quàm toto luctabar corpore contrà!
Corpore quàm toto tunc quoque ſudor ijt!
Tale nihil ſagâ præcepi mente, nec auſim.
Quis fera pacifico limine bella tremat?
Crediderám hæc placidæ felicia limina pacis:
Martis at has rabidi præſtruit ira fores.
Noxa grauis, fateor, fœdis me ſubmouet auſis:
Apta ſed hîc ſpurcis quæro piacla probris.

Inge-

Ingemino varias longo plangore querelas:
Fallit at optatam caſſa querela fidem.
Addo gemens lacrymas: ſæpè hic eſt vtilis imber;
Mollire hæc lacrymis limina tento meis.
Dura nimis ſunt hæc. lacrymæ funduntur inanes.
Submoueor tacto neſcia veſtibulo.
Crux Mariæ, video, amplexus atque oſcula damnat;
Et fugit impuris iungere labra labris.
Nec ſatis eſt fugiſſe: ream me ſauciat abſens;
In caput hoc fugiens Parthica tela iacit.
Malo meum volucri transfigat arundine pectus,
Quàm fugiat fontem, qui trabe pendet, Amor.
Et nunc ille pium caua brachia tendit in arcum,
Crux cui ſtat telis apta pharetra ſuis.
Vulnificumque parat calamum, pennaque biremi
Erudit in celeres ſpicula tarda minas.
Mors ſedet in telo: telumque volatile neruo
Aptat Amor, ſtrictâ qui regit arma manu.
Et trahit; articulis fugit ales arundo per auras:
Quaque fugit, radit ſibila mortis iter.
Iam propior propiorque, meum caput ambit, & aures
Adſtrepit: vlterius nil habet illa mei.
Heu! me quàm ſterili voto ſpes damnat hiantem!
Vulnera ſperabam: ſtridula flabra tuli.
Me me nil iaculum, nil lancea tangit Ieſu.
Quàm procul haſta fugit, tam fugit ipſa ſalus.
Quid ſequar? abſiſtam dulci procul arbore vitæ,
Ac fugiam blandæ tædia lenta necis?
Quidquid agam, miſeram dolor implicat, implicat error;
Tela parant vulnus, dat fuga mortis iter.
Malo ſequi tamen hauſta piâ Cruce tela doloris.
En propiore ſacras iam pede rado fores.
Iamque vel inuitum perrumpo limen; & aram
Inuolo, pænè manu tangere viſa Crucem.
Nitor at incaſſum ſacrum perrumpere limen:
Hæc pia neſcio quis clauſtra ſatelles habet.

Quis

Quis tenor hic rerum? Solymis quæ vertitur aris
Alea? Crux renuit ferre ſalutis opem.
Nônne reo Crux facta ſalus eſt publica mundo?
Et niſi dura piâ de cruce tela legam?
Vni Niliadi negat ergo; quod annuit orbi?
Grandius vna rea eſt Nilias orbe ſcelus?
Talia dum meditor; videor mihi cernere Ieſum,
Stipite vt infami triſte pependit onus.
Sed dum ſpecto caput; ſpinæ mihi ſpicla minantur:
Specto manum; clauos durat in arma ſuos:
Specto latus; ferrum grauis haſta intentat & iras:
Quo mea reſcindat pectora, vulnus erit.
Me tamen hîc placidi Ieſu ſolantur ocelli;
His ſedet, & toto corpore blandus Amor.
Blanda ſed ô nimiùm citò formæ gratia fugit:
Ecce, truces vibrant lumina torua minas.
Ira ſilet: tamen vt ſileat, mens anxia curis
Occinit vltrices fulminis ire faces.
Spes ſuper ecqua nouæ mihi ſit rediuiua ſalutis,
Si negat ipſa ſalus, quâ tueatur, opem?
Ergo procul fugio, ceu cerua tot icta ſagittis:
Linquo templa meo non adeunda pede.
Haud tamen è gremio ſpes euolat omnis in auras:
Hæret adhuc oculis obuia vita meis.
Crux dedit innocuo rorans de ſanguine Ieſu,
Impia ne dirâ morte piacla luam.
Illa tulit noxæ pretium, pignuſque ſalutis,
Vnde reus Diuûm præmia certa ferat.
Hæc ego, quò tandem felici ſoſpita voto
Conſequar; his lacrymas, ô Pater, adde tuas.
Ne caput hoc vindex infeſtis opprimat armis:
Sed quam dat reliquis, & mihi ſeruet opem.
Spes hæc vna meæ nunc ſuſtinet omina vitæ,
Quâ ſine non ſeruo, quod tibi mitto, Vale.

R. P.

R. P.

BALDVINI CABILLAVI

E SOCIETATE IESV

EPISTOLARVM

HEROVM & HEROIDVM

LIBER TERTIVS.

EPISTOLARVM HEROVM ET HEROIDVM LIBER TERTIVS.

EPISTOLA I.

ARGVMENTVM.

Filiorum ſuorum labores totâ Europâ ad Dei gloriam ſalutemq; mortalium promouendam exhauſtos hiſce litteris Franciſco Xauerio perſcribit Ignatius: nimirum, vt dum ille in Indiâ & Iaponiâ rem ſtrenuè & vtiliter facit, intelligat, quid à ſocijs in alijs orbis partibus pari exemplo peragatur. Liceat autem hoc mihi elogium, ad ſanctorum Heroum Ignatij & Franciſci Xauerij laudem, huic inſerere argumento, patrem ſcilicet ac filium, diuiſum quodammodo orbis imperium habuiſſe. Nam illi Europa, huic Aſia ad animarum meſſem patuit, & quidquid in vtroq; orbe illorum poſteri ad hunc Chriſto ſubigendum, illum ſeruandum, vel faciunt fortiter, vel glorioſè patiuntur, id omne, Dei auſpiciis, illorum ductu geri cœptum fuit. Ex Hiſtoriâ Societ. à Nicol. Orlandino conſcriptâ.

IGNATIVS LOYOLA FRANCISCO XAVERIO.

NVper ab Eois celer appulit aduena ripis
 Fama, per Auſonias didita fama plagas.
Nunciat auguſtos queis India floret honores,
 Hactenus infames ſueta vocare Deos;
Nempe nouam ripâ condi Gangetide Romam,
 Indaque Romano cedere ſceptra pedo.
Gratulor Eoo partos tot in orbe triumphos,
 Fixaque Tartareis ſigna tremenda feris.
Haud minor Heſperium ſe glória didit in orbem,
 Quo victrix niueis Roma triumphat equis.
Impia monſtrifero prorupit Erinnys Auerno,
 Sed qui monſtriferam vincat Erinnyn, erit.
Ille potens vincet, gemino qui temperat orbem
 Imperio, & digito verſat vtrumque polum.
Illius auſpicio volitant ſacra ſigna Quirinis
 Montibus, & forti Roma tuenda manu eſt.
Inde ſuis ſignis ſocios adſcribit Ieſus
 Inuictos animis, intrepidoſque mori.
Neſcio quî fiat, quò ſæuior ingruit hoſtis,
 Acrior hoc ſæuo creſcat ab hoſte vigor.
Et dat opes fractis Diuûm vis prouida rebus,
 Spes minor humanam ſicubi fraudat opem
Adde, Petri nauim remus ſi fraudat & æſtus,
 Viuidus impellit languida vela Notus.
O quibus & quantis pietas ſtat opima tropæis,
 Quæ prius Arctoâ victa iacebat humo.
Hinc graue Caniſius, Iayus ciet inde duellum,
 Igneus excudit tertia bella Faber.
Crediderim, nec longa mora eſt, deuictus ab Orco
 Qui gemat hoſtili ſub pede, rarus erit.
Eloquio torrente potens & fulmine linguæ
 Perſonat auguſtos ſancta ſuada tholos.
Cæſaris in primis puras circumtonat aures
 Caniſius. tantis attremit aula ſonis.

Ante

Antè Vienna feris propè facta rapina Lupercis,
Opprimit infeſtos nunc animoſa lupos.
Quos prius obſcœnis Elpenor Saxo popinis
Merſerat, ad caſtas Roma reducit aquas.
Et noua quos virgâ Circeide mutat Erinnys
In pecus, inque truces aſperat ira feras:
Nunc pietas genio meliore refingit & vſu,
Efferaque humanis erudit ora modis.
Quid loquar, infractis ardens Bobadilla ſagittis
Vangionum vt Stygias fregit in vrbe feras?
Vindelicaſque vt Iayus ouans expugnat ad arces
Monſtra, Gigantæis monſtra ſuperba minis?
Quæ Bois Pietas! priſcæ quæ gloria gentis!
O quæ nobilium præmia clara Ducum!
Eſt hîc vt cernas immania templa ſuperbis
Stare tholis, ſuperæque æmula tecta domo;
Et lolio puras ſegetes inſurgere campis,
Quà lolium circa pluribus horret agris.
Heluetios taceam? queis mens inuicta periclis,
Et medijs pietas pugnat auita feris.
Quo de plura canat quis cedro digna vel auro:
Sed breuior longas præſecat hora moras.
Purior Alpinas iam Rhenus & effugit arces,
Pro niue qui Stygias hauſerat ater aquas.
Et Belgî, nuſquam quo pulchrior orbis ocellus,
Fertilis irriguis pullulat arbor aquis.
Frondea mox latis diffundet brachia ramis.
Auguror: augurio certa ſit, opto, fides.
Et certè tenero fruticans nunc ſurculus ortu
Diuite promittit poma legenda manu.
Ad Scaldim hîc memini ſtabam, qui diuite fluctu
Neſcio plus aurum fundat, an vndet aquis.
Stridula me circum tenui ſtrepit ala ſuſurro:
Reſpicio, vacuo lumine præpes abeſt.
Corporis omnis abeſt ſimul vmbra vel ales imago;
Attamen in volucri vox volat iſta ſono.

En ego felicis venio tibi nuncia ſortis,
Ignati, ſuperâ Spes ego lapſa domo.
Quæ ſeſe omnigenis pôſt induat aurea pomis,
Nunc tener hîc Belgi ſurculus, arbor erit.
Inſuper hîc Italo ſurget de marmore templum,
Aduaticis princeps ſtabit & ara ſacris.
Primus & inde tui ſol præradiabit Ieſu;
Cetera venturus munera Belga leget.
Sic canit. Illa meis vox auribus hæſit & omen;
Ominis euentum proſperet alba dies.
Quid ſi liligero ſpatiemur vterque vireto,
Quo ſacra cœpta ſeri creſcit & arbor agro.
Quis ſibi non Ieſu decerpit ab arbore ramum,
Ramus adoptiuas gignat vt vber opes?
De Rhodano, Ligeri, Sequanâque, Ararique, Garumnaq;
Altilis altrices ebibit arbor aquas.
Si non liligero potiùs ſtirps liliger horto
Cælite florentes educat imbre comas.
Aſt vbi formoſo ſic lætus oberro vireto,
Aduolat à Siculo miſſa tabella ſolo.
Inſpicio, & relino Ieſu ſub imagine ſignum:
Hæc reor Hyblæis illita ſcripta fauis.
O vt Trinacrijs ſeges aurea flauet ariſtis!
Vnde litant almis myſtica farra ſacris.
Et niueam nunc ara frequens quæ veſtit Ieſum,
Fert Cereris veſtem; ſed cui nulla Ceres.
Namque ea Perſephonen Ætnâ veſtigat & Ennâ:
At pro Perſephone repperit orba Deum.
Meſſis opima ſuis quem non inuitat aceruis,
Quam ſibi vult Ieſus cælite falce meti?
Hinc quot primitias libat Domeneccus ad aram,
Quà Meſſana feris attremit icta fretis,
Me tenet in Siculo meſſis fœcunda nouali,
Sed rapit inuitos altera fama pedes.
Clara Tridentinas Laynez tuba perſonat aras,
Et ciet Arctois bella tremenda feris.

Cui

Cui comes Alphonſus, ſacri duo fulmina belli,
Fulmina pacales ſpargere nata faces.
Quid? quod & eloquium claris virtutibus æquant,
Quaque lubet, mentes voxque manuſque rapit.
Hîc datur Europæ princeps ſpectare theatrum,
Et micat hîc gemmis infula multa ſuis.
Hîc & cura bilanx magnarum pondera rerum
Librat, & æternæ iura tuenda Petræ.
Purpurei hîc Hoſius cui prima tiara Senatûs,
Adſcribit ſocias ad ſua ſigna manus.
Atque ad Sarmaticos ſacra deſtinat agmina campos,
Crimen vt expugnent, impie Saxo, tuum.
Ille dedit, ſanctis vt Warmia ſaucia flammis
Ardeat æthereas fundere læta faces.
O! vt Sarmatides nunc incaluere pruinæ,
Perpete quas durat Mænalis vrſa gelu.
Si non in niueos hæ deliquere liquores,
Queis atrum pietas expiat alba ſcelus.
Quid memorem exhauſtos Italo ſub ſole labores?
Scilicet hîc noſtris area lata patet.
Alphonſi egregijs noua viſa Neapolis auſis
Surgere, qui linguæ fulmine monſtra domat.
Sirenumque lyras debellat & omina leti,
Heu! nimium blandis inſidioſa dolis.
Hîc vbi Scylla minax, & auara Charybdis in Orcum
Abripiunt rabidis naufraga vela fretis:
Scyllæo Ieſus iam iam peritura ſepulcro
Eripit, & tutis carbaſa reddit aquis.
Adriaci at Regina maris vocat Adria puppim,
Adriaco flectam vela ſecunda mari.
O mihi præ reliquis tellus gratiſſima regnis!
O tellus ſocijs patria facta meis!
Hîc mea ſpes primum teneros adoleuit in ortus,
Hoc quo nata fuit, creſcat alenda ſinu.
Creſcit io! Veneto (quo non mihi carior alter
Orbis) agro, è grauido ſpes animoſa ſatu.

Tu mihi pænè parens: his Adria proſpera cœptis
Eia tuere piæ dulce parentis opus.
Mens equidem fuerat lentos hîc ducere ſoles,
Et dulces ſolitis ſolibus ſiſte moras.
Dura ſed in ſteriles abdúcit Corſica rupes
Implorat medicam ſaucia turba manum.
Adſpice Cyrnæo ſurgentes puluere taxos,
Mors quibus in ramis omnibus atra viret.
Quæ terræ hîc facies; eadem ſtat & improba Corſis
Cordibus: ægra malis toxica corda bibunt.
Triſte ſalutifero Silueſter at imbre venenum
Diluit. hinc Corſo manat in orbe ſalus.
Me tenet hîc pietas: noua rurſus at auocat hoſpes
Littera, Lyſiadum principe ſcripta manu.
Nam qui Callaïcas ſceptro moderatur habenas,
Cogit is inuictos ad ſacra ſigna viros:
Quos vni votiua fides adſtrinxit Ieſu,
Et quibus in cultu paupere diues amor.
India bis geminum quà ſe diffundit in orbem,
Et ſecat Eoas Heſperiaſque plagas:
Huc & item pietas alternis tranſuolat alis,
Ortus & Occaſus cui duo regna facit.
Eſt vbi Barbaricas gens incolit aſpera ſyluas,
Pectora cui ſyluis barbariora ſuis.
Creditur hæc diro ferrum ſcelerare veneno,
Vnde duas cuſpis parturit vna neces.
At pia vipereas infringit oliua ſagittas,
Efferaque humanus temperat ora tenor.
Haſce feras radijs ſi pluribus afflet Ieſus,
In Braſilo Braſilus nullus, opinor, erit.
Quid porrò paruis fœcunda Conimbrica caſtris
Quæ domitent Indos, barbara corda, tuos;
Hinc miſſæ poterunt denſæ docuiſſe phalanges:
His quid agat Ieſus, India teſtis erit.
Iſtud opus, Franciſce, tuum, qui viceris Indos,
Huic operi merces Indica palma viret.

Se

Se quantis pietas attollit Iberica rebus!
  Et pars illa tui magna laboris erat.
Heſperis ô! tali quàm Diua triumphat alumno:
  Quotque ſacrâ ſpargit Celtiber æde roſas!
Videris hoc tanti felix contemptor honoris,
  Cui ſua cura labor, non ab honore decus.
Hîc & Iberiados clariſſima gemma coronæ
  Clarius in pullâ Borgia veſte nitet:
Et quas attonito fallax miratur hiatu
  Gloria, præ nihilo paupere ridet opes:
Obſcuris præluſtre iubar qui reddere rebus
  Poſſit, & eximiam conciliare fidem.
Hactenus ad liquidos, Zephyrique Eurique ſuſurros
  Soſpita tranquillis cymba cucurrit aquis.
Ingruit vndoſis vis intempeſta procellis,
  Fulmineiſque armat nubila fœta rogis.
Nempe Toletanis Boreas erupit ab oris,
  Qui velit euerſam, quâ freta ſulco, ratem:
Infeſtamque minax belli furor vrget Erinnym,
  Quo tamen è bello pacis oliua viret.
Quin & Aragonios haud mitior ira triones
  Efferat, Auguſtâ dum ſedet vrbe quies.
Vnde procelloſis fœcunda calumnia nimbis
  Excit Auernales ad ſua bella Notos.
Intrepidamque ferox oppugnat turbo carinam;
  Fracta ſed in ſpumas turbinis ira cadet.
Meque meoſque graui mendax de crimine liuor
  Arguit. at fictum gloria crimen erit.
Vtque diem cæcis euoluit nubibus æther,
  Sol vbi parte ſui lucidiore redit:
Sic & viſa premi per iniqua piacula virtus,
  Pulchrior obſcuris emicat opprobrijs.
Tempeſtaſque breuem moritura recumbit in vndam;
  Puppis vt adſuetis tuta recurrat aquis.
Mira legis, tacituſque ſtupes, quas mitto, tabellas:
  Sat ſcio miraris tot ſacra bella geri.

Scribo tamen certus, pulchras ceu videro pugnas,
Cùm fuerint oculis plurima viſa meis:
Et pietas fictis mentiri neſcia rebus
Adſerat hæc veris nuncia ſcripta notis,
Certa fides oculis, hos experiamur ad Vrbem.
De vario orbe redux ergo reuiſo domum,
Hîc cui tergeminæ ſtat gloria ſumma tiaræ,
Ipſe piâ tenerum ſuſtinet arte gregem.
Hîc ſpectare datur claris ſurgentia tectis
Templa, palatinis æmula templa tholis.
Inde fides varias ſeſe diffundit in oras,
Et ceu ſol radijs parturit aſtra ſuis.
Hîc repetit ſancti lupa fœda pudoris aſylum,
Hîc ſine patre puer tecta paterna colit.
Hîc portum pietas Germanis exſul ab oris
Repperit: hîc miſeris tuta ſtat ara Syris.
Miratur Tiberina ſacram modò Nympha per vrbem
Purius ire ſuis, quàm ſolet, agmen aquis,
Hoc à fonte ſuos quis non arceſſere riuos
Geſtit, vt è Ieſu nectare pocla bibat;
Tot noua nobilium ſi ſpectes dona Quiritûm,
Fòrs dices, Romæ Roma renata ſuæ eſt,
Cuius opus ſit, quæris? honos hic vnus Ieſu,
Quo ſine nil quis agat; omnia ſolus agit.
Ergo ſat vt largos fontes diffudit Ieſus,
Vnde ſatur quouis diditur amnis agro;
Ipſe ſuos fonti memor opto refundere riuos;
Largiùs hinc alias fons nouus vndat opes.
Perſa ſuo capiti ſi dimouet enſe coronam,
Addicitque Mithræ, quæ ſibi dona negat;
Immemor officij ſic cor obliuio mergat,
Vt Ieſu eripiam debita ſerta meo;
Ecce ſuas lauros pietas quas vicit, Ieſu
Dedicat, auguſtis præmia digna tholis.
Quod ſuper, vt tandem quo cœpit epiſtola voto,
Claudat & extremum ſera coronis opus:

Quæ

Quæ ſcribo, Arctoæ pernox ea noctis ocellus
Opto ſimul ſtellis ſcribat & vrſa ſuis.
Vt polus aduerſo qui perſtat in axe, figuras
Has legat, aſtrigerum crux vbi ſignat iter.
Vt geminus gemini diſcat ſic orbis ocellus,
Quod Ieſus gemino ſpargit in orbe iubar,
Sic æquam partem curremus vterque laboris.
Sit tua ſors Eos, Heſperon ipſe colam,
Vt Ieſus gemino ducat de Sole triumphum,
Aſtrigeris pietas quem moderetur equis.

EPISTOLA II.

ARGVMENTVM.

Deeſſe profectò non potuit in illo tam vaſto terrarum vltimarum tractu, in illâ barbarorum multitudine, in illâ itinerum terrâ mariq́ue ſuſceptorum frequentiâ, Franciſco Xauerio laborum materies. Vt aliquam igitur operæ ſuæ iſtic collocatæ rationem fructúmque repræſentet, quæ varijs in India locis à ſe ſocijsq́ue ſint geſta, breuiter exponit Ignatio parenti ſuo. Ex hiſtor. Societ.

FRANCISCVS XAVERIVS
IGNATIO LOYOLÆ.

Vix benè Gangaridûm ſecura momordit arenas
Ancora, Callaïco quæ ſtetit vda freto;
Obuia litoreâ mihi littera redditur orâ,
Et lego; te lecto gratior illa fuit.

Grator & Europæ; felicis adorea belli
Cui viret, auguſtis vſque ſonanda tubis.
At pars officij eſt Indos memorare labores:
Officio pretium res habet iſta tuo.
Ordiar à Goâ; caput hic eſt rebus agundis:
Quæ viret hîc, forti palma legenda manu.
Hîc Peguanus, Arabs, Malabar, Iapo, Sina, Molucus,
Induit humanis efferа corda modis.
Non procul ora parit nitidas Piſcaria baccas,
Vnde Sionæo porta ſtet alta iugo.
Hîc quot arenoſo diſtillat in æquore guttas
Sudor, & apricis qui flagrat æſtus agris,
Qui numerare velit, numeret ſata ſidera cælo,
Enumeretque Indum quot mare voluat aquas.
Quid loquar, ex alio quos cardine Chriſtus honores
Carpat, & Arabio gemmea dona mari.
Ormutijs obſcœnus Arabs depulſus ab aris,
Nunc miſer in Stygijs voluitur exul aquis.
Vox vetus eſt, ſi ſors teres induat annulus orbem,
Ormutium huic orbi ſplendida gemma foret:
At nunc Ormutium non gemma, ſed inclyta gemmis
Irradiat Chriſto facta corona ſuo.
Gaſparis id facinus. quot gloria digna coronis?
Indica nunc ora à Perſide Roma ſedet.
Pænè ſed infelix (quis me mihi ſurripit ardor?)
Excidit immemori pectore Socotora:
Hîc aloën ſterili paſſim quæ gignit arenâ
Terra monet gnatis quàm ſit amara ſuis.
Socotora Adenio nimium contermina regno,
Pocla quot Arabio ducis amara freto?
Arabicis captiua tamen tibi colla catenis
Exemit pietas inclyta Lyſiadum.
Quippe ſuperba mari Threſſæ modò cornua Lunæ
Fracta bis hîc armis conſudit illa ſuis.
Inde ſed in patrias Malabar me ſeuocat vrbes,
Memnonius fuſco cui ſedet ore color.

Ah!

Ah! pudet vſque adeò terræ ſub imagine formæ
  Æmula Tænarijs monſtra referre feris.
Et tamen hîc populus ſacrò modò flumine lotus
  Candicat, & caſtò iam colit ore Deum.
Quin etiam pulchro pietas exuberat vſu
  Auctior, & denſâ fruge beata viret.
Indica palma ſatu ceu parturit vbere fructus,
  Vnicaque omnigenas arbor adoptat opes:
Sic Malabar nunc ipſe ſuæ par gloria palmæ
  Cæleſtes multò fœnore fundit opes.
An Trauancorios Cocinæoſque labores
  Incipiam tabulis enumerare meis?
Antè pias numeret queis fons ſacer vndique guttas
  Impluit in denſos millia multa greges.
Mille & mille nouas Trauancoris ora phalangas
  Adnumerat ſignis, ô pia Roma, tuis.
At me nectareo Ceilan inuitat amomo,
  Quæque viret lauto meſſis odora ſolo.
Plurima ſed vitiat ſuaues hic vipera ſuccos,
  Vipera, cui certæ prompta venena neci.
Vipereas arbor ſed diſcutit obuia peſtes.
  Vincit enim ſucco, vincit odore feras.
Hæc ſimul ac vidi terræ miracula, dixi:
  Arbor vt hæc hydros; crux ita vince necem.
Omen in euentu. trepidos crux opprimit angues:
  E cruce Ceilano pullulat orbe ſalus.
Altera me Thomæ ſed crux his abſtrahit aris,
  Cui ſudor varijs diſcolor errat aquis.
Illius ante pedes fractis it cornibus Indus,
  Et Ganges domitis ire iubetur aquis.
Ten' taceam claris celebranda Moluca tropæis?
  Crede, nefas, Diuûm grande tacere decus.
Pulchrior Eoo nuſquam viret inſula ponto;
  Hic eſt Oceani Nereïdumque domus.
Hic caſiæ nardique ſeges, totoſque per annos
  Fragrat odoratâ proxima Banda nuce.

Heu

Heu pudet! ambroſios Orci graue virus odores
Inficit, & ſcelerum tetra mephitis habet.
Sic nuper Stygijs hinc inde admorſa chelydris
Viſa queri Pietas, tum propè iuſſa mori:
At nunc vt medicos Ieſu de vulnere ſuccos
Hauſit, echidnæam diluit ægra luem.
Spirat odoratis pietas iam ſalua Molucis,
Indicaque æthereus vincit amoma liquor.
Sed quæ dira graui circumtonat Ætna tumultu
Dum celebro plauſus læta Moluca tuos?
Haud procul hinc piceos vaſto vomit agmine fumos,
Hei mihi! Tænarijs Maurica fœta rogis.
Hîc ſine fruge ſolum, viridi ſine germine montes,
Omnis & arenti puluere ſqualet humus.
Turbo procelloſus ſteriles conuoluit arenas,
Alteraque in terris vndat imago maris.
Hîc Tolus vrbs ſubitis (viſu res mira) fauillis
Pænè ſepulta nigros ſidit in vſque lacus.
Dira Gomorrhæum credas incendia ſtagnum
Rurſus in Eoas euomuiſſe plagas.
Maurica flammiuomis ſic late ambuſta procellis
Poſcit aquas, eheu! turbida poſcit aquas.
Cæleſteſque rogis fontes implorat & imbres,
Queis ſacra Tænarias opprimat vnda faces.
Et verò pietas funeſtis obuia damnis
Vicit Auernales cælite fonte rogos.
Nec minor eſt trepidæ victoria parta Malacæ,
Dum terret tumidas barbara claſſis aquas.
Nuper enim dum vela ferunt ventique carinas,
Appulit huc mutis hoſtica prora fretis.
Pars ruit ad puppes, pars inuolat ardua turres;
Hæc ferit, illa faces in caua texta vibrat.
Saucia nocturnis collucent carbaſa flammis,
Queis oculos claſſis paſcit Acena ſuos.
Inde triumphales puppi poſitura coronas
Nereidas circum terrıtat attonitas.

Quis

Quis tunc, quis miſeris tanto diſcrimine rerum
  Lyſiadis animus? nullus, opinor, erat:
Aut propè par nulli. Tantos iniecerat illis
  Hoſtis & exuſtæ claſſis imago metus.
Conſulit in medium miles tamen, ecqua ſalutis
  Sit via, queis armis, quoue paranda modo.
Nec mora, nec requies: noua robora puppibus aptant,
  Et remos alij curuaque tranſtra nouant.
Quà licet, inſtruitur claſſis, iuncturaque vires
  Aduolat incertis bina triremis aquis.
Sic victis redeunt animi, ſic itur in hoſtem,
  Anxia dum multo thure Malaca litat.
Macte potens animi, dixi, Dux inclyte claſſis,
  Militat auſpicijs ventus & vnda tuis.
Quid properanda moror victricis præmia palmæ,
  Quam diuinus honos, & bona ſpondet auis?
En bis tricenas exorta procella triremes
  Diſtulit, & varijs carbaſa ſparſit aquis.
Sic validis hoſtes tandem cecidere ſub armis:
  Tota tamen Ieſu vindice palma ſtetit.
Exin qui toto ſonuerunt æquore plauſus?
  Quæ non thuricremis reddita vota focis?
Vt ſeſe pietas ſanctos diffudit in vſus?
  Alteraque vt naſci viſa Malaca ſibi eſt?
Claudere geſtibam tabulas. vetat vltimus orbis:
  Materies chartis fertilis illa meis.
Scilicet ad Gangem quæ noſtro meta labori eſt,
  Non niſi Iaponico puluere carcer erit.
Inuitatque meos Sinenſis arena labores,
  Sanguineâ quamuis ſit malè clauſa ſerâ.
Crede mihi, toto pectus mihi latius orbe,
  Et minor eſt animo mundus vterque meo.
Quod ſuper Ignati, tantis ne degener auſis
  Deficiam, votis Numina poſce tuis.
Ecce meæ donum defringo è termite palmæ,
  Vt reddam meritis præmia digna tuis.

Sed

Sed quid ago? tibi victricis fero pignora palmæ,
Cui ſua palmoſum laus facit vna nemus?
Quis Dryadi frondes, viridi violaria Floræ,
Quis Cereri ſpicas, Naïdi donat aquas?
Et tua quos pietas antiqua meretur, honores
Soluere quis iuſto pondere ritè queat?
Nedum digna meo quis dona reponat Ieſu,
Qui dono ex vno millia mille ſerit.

EPISTOLA III.

ARGVMENTVM.

Aloyſius Gonzaga Ferdinandi Gonzagæ, Marchionis Caſtilionenſis, S. R. Imperij Principis, & Marthæ Tanæ Santeniæ primogenitus, impuber adhuc adſpirare cœpit in medio aulæ luxu, & opum affluentiâ, ad cæleſtia; & necui vnquam vitio affinis foret, in Societatem Ieſu puer cooptari voluit. quo à propoſito cùm nullis poſteà machinis abduci poſſet, in eam tandem bonâ parentum veniâ ſe recepit: ibiq; ita vixit, vt publicum ſanctimoniæ honorem iuſſu Gregorij XV. *Pontificis Maximi ſit adeptus. His verò Angelo ſuo Cuſtodi ſcriptis litteris aſſerit ſibi in ſecreto luco meditanti Pietatem viſam aſſiſtere, prætendentem Chriſti paſſi inſignia; vnde diuini amoris ignem conceperit, quem ab Angelo foueri cupit.* Virg. Ceparius in eius vitâ.

ALOYSIVS GONZAGA ANGELO CVSTODI.

FOrs vbi ſecreto me detinet angulus horto,
Adlabi à ſuperâ viſa tabella domo eſt:
Inque meum fluere illa ſinum mirantis & vlnas;
Clauſa ſinu trepidâ ſigno recludo manu.

Noſco

Noſco tuas, ô certa meæ fiducia vitæ,
Excubias, animus queis mihi tutus erit:
Et curas aduerto, quibus tutare ſalutem,
Et monitus, æquas queis modò reddo vices.
Quòd ſi menda frequens linat hinc, linat inde lituras:
Ignoſcas, lacrymis excidit illa meis.
Scilicet ante crucem natos cruce ſcribo dolores,
Quos mihi de Ieſu vulnere ferre iubes.
Inſuper addo graues mundi de fraude querelas;
Qui texit tacitis vincula nefanda dolis.
Queis ſua tela faces, ſua & altera tela ſagittas
Implicat alternâ leno Cupido manu.
Addit & inſidias, formâque è pellice fraudes
Cypris, inexpertos fallere nata viros.
Flexanimo miſeros trahit ore Amathuntida prædam;
Qui ſedet arguto ſuadus in ore lepos.
Nî malè traxiſſet ſic Tyndaris improba mœchum;
Staret adhuc altis Troia ſuperba tholis.
Staret & Oechalijs præcinctus turribus orbis,
Qui nunc Herculeâ fœda ruina manu.
Sed quid ficta cano? raptæ ſine crimine Dinæ
Clara Palæſtino Sichima ſtaret agro.
Nec pater infelix Hemor, & cum matre ſorores
Inſontes Syriâ contegerentur humo.
Vt grauiora querar; ſine Cypride grande Quiritûm
Vrbs æterna ſuo ſtaret in orbe caput.
Nec minùs inſidias rubræ formidine pennæ
Gloria purpureis adſtruit alta plagis.
Me tamen haud capiet, tutor modò peruigil adſis:
Eſto, ſit inſidijs apta iuuenta capi.
Texta, vides, blando dirupi vincula nodo:
Ilicò de fluxâ vincula lapſa manu.
Nunc mihi Sidonijs animus ſtat liber habenis,
Seuocat & curas auia cura meas.
Scis etenim nuper (tamen hoc iuuat vſque referre)
Quàm mea nunc alio tramite vita fluat.

Namque ſuburbano tacitus ſpatiabar in agro,
Quà ſtreperâ ſurdus callis ab vrbe fugit.
Stat nemus vmbroſum, quo plurima frondet aſylo
Arbor in aërias ambitioſa vias.
Plumea condenſæ glomerant hîc caſtra ſorores,
Argutiſque animant frondea regna modis.
Hîc vaga frigutit frigilla, minurit aëdon,
Garrulaque argutam tinnit acanthis auem:
Et gemit hinc turtur, comes aggemit inde palumbes:
Nec minùs hîc ſturnus, turba ſonora, ſtrepit.
Obuia vox faciles inuitat & aduocat aures,
Aduertitque oculos diſcolor ala meos.
Frondoſam reſonâ ſuccedo ſub ilice ſedem,
Nox vbi de denſis frondet amœna comis.
Hîc deprendo cauo (mirum) quid ſculptile libro:
Inciſum Ieſu nobile nomen erat.
Protinus appreſſis libo pia ſigna labellis;
Nec ſaties: auidis guſto, reguſto labris.
Viſa mihi ſuaues hinc fundere quercus odores,
Et crocon, & blando balſama miſta croco.
Hoc equidem miror, largi quî diues odoris,
Ceu myrrha, iliceâ gratia fronde fluat.
Diſpicio, ver ſiqua nouum violaria paſcunt,
Sicubi vel ſyluis arbor odora viret.
Hæc inter Zephyrus placidis huc appulit alis,
Appulit & Zephyro ſancta Süada comes.
Seque ſtitit coram Pietas pulcherrima Diuûm;
Afflat odor: ſcires nectar ineſſe labris.
Purpureis equidem ſtillat vox parca labellis:
Sed quod lingua premit, dat manus arte loqui.
Ecce repens dextrâ crux emicat horrida ſpinis:
Obuia ſanguineis rorat imago notis.
Hîc Domini ſitiunt ieiuna flagella cruorem,
Hîc miſtum lymphis ebibit haſta merum.
Hîc percudit edax crudeli vulneris ictu
Clauus vtrimque manus, clauus vtrimque pedes.

Hîc labor iniuſto damnat ſub pondere Ieſum,
Raptat agens vinctaſ impia turba manus.
Quid querar infandos dirâ de morte dolores,
Quæque rigent hirtis tempora ſepta rubis?
Denique funeſtâ gemebunda ſub arbore mater,
Mater amans, oculis ſpinea tela legit.
Hei mihi! tunc lacerum prætendit in oſcula Ieſum;
Oſcula nectareis ſæpè legenda labris.
Hæc ſimul effigies liquidis incanduit aris,
Mors vbi iuſſa mori eſt de moriente Deo:
Ilicò cor animumque oculoſque aduertit hiantes
Huc illuc vario flexus amore dolor.
Quamlibet innumeris ſacra ludat imago figuris;
Mille tamen formis vnus inhæret Amor.
Fœcundis oculis liquor exſilit, exſilit ignis,
Siue tuis Ieſu, ſeu pia Virgo tuis.
Tum mihi neſcio quis ſonor appulit aduena: vocem
O bone mi cuſtos, ſuſpicor eſſe tuam;
Eia pari luctu puer illacrymare Tonanti;
Et dic multa gemens, heu! ego quale nefas!
Inſpirans propiore Deus de pectore pectus,
Ardet in amplexus ire redire tuos.
Mortis vbi durâ ſub falce recumbit Ieſus,
An pigeat gelidis oſcula ferre genis?
Flebis amans (nec enim viuo præcordia ſaxo
Vincta, nec in molli ſtat tibi corde chalybs)
Flebis, & adſtringes auido crucis oſcula nexu:
Nec tibi mors vllis ibit acerba locis.
Si modò, qui ſæuâ defixit in arbore Numen,
Fidus inoblito pectore viuat Amor.
Hoc duce, ceu medijs violis teneriſque roſetis,
Tela per & ſpinas triſte teretur iter,
Perque ignominias, per & horrida bella doloris.
Dura licet, cuiuis iſta terenda via eſt.
Obſequij pretium tibi grande reponet Ieſus.
Pulchra ſalus ipſis ſurget ab exſequijs.

Noſco tuos, ô fida meæ tutela ſalutis,
  Hortatus, graue queis ab cruce pondus ineſt.
O ego, dent faciles Diui (ſic ſpero precorque)
  Purpureis carpam ſuauia grata rubis!
Nil mare, nil tellus, nil tale quid educat aër,
  Quale mihi roſeo nectar ab imbre fluit.
Ecquid ei ſapiet, cui non ſapit almus Ieſu
  Sanguis, & ex almo ſanguine nata ſalus?
Quem ſimul atque oculo ſitiente reguſto liquorem,
  In lacrymas oculus & liquor ipſe fluit.
Cor ſimul ardet amans, medio ſimul innatat imbri.
  Cor mera fax, hæc nî lympha fuiſſet, erat.
Nunc meus hic ardor, dios cui ſubijcis ignes,
  Fac precor, ardoris flamma perennis eat.
Vt cadat antè cauo iam muta fauilla ſepulcro,
  Qui mihi ſic ardet quàm, cadat almus amor.

EPISTOLA IV.

ARGVMENTVM.

Tanto vitæ perfectioris deſiderio æſtuabat Aloyſius, vt frequenter eſſet dicere ſolitus: Non videre ſe, cur non mortales omnes Religioni ſe manciparent. Et verò ipſe, ex quo animum ad Societatem IESV *ineundã ſemel adiunxit, vitã ſibi acerbam eſſe exiſtimauit, niſi voto ſuo potiretur. Itaque tametſi conſilium eius variè oppugnaretur; ſemper tamen propoſiti ſui tenax contendere inſtitit, vt ſibi copia fieret, quod inſtinctu diuino iubebatur, exequendi. His autem ad Societatis Præpoſitum Generalem Claudium Aquauiuam datis litteris ardentem animi ſui ſitim exponit, quam ſolus ille poſſit exſtinguere,*

guere, eum in Societatem cooptando. Virgil. Cepatius in eius vitâ lib. I. cap. XXIII.

Aloysius Gonzaga Claudio Aquaviuæ.

E Loquar, an ſileam? dubijs mens palpitat alis
  Pendula: cura loqui, vult pudor ora premi.
Magna peto; magnis impar ſed gratia donis
  Me grauat: his votis attamen æqua peto.
Quis ſcit, an annueris iuſtis *Aquauiua* querelis?
  O ſidus ſociæ nobile gentis ades.
Ardeo: cor ſitiens quem neſcio concipit ignem;
  Vt reor, Ignatî paſcit ab igne facem.
Inde procax imas vapor haurit alendo medullas,
  Graſſaturque fibris: & mihi nullus opem?
Alpinam vapidis venis affundo pruinam:
  Nulla ſed Alpinis flamma ſeneſcit aquis.
Mincie pectus hians ſatur omnibus influe riuis:
  Mincius at nullo fonte propinat aquas.
Algida Nympha vale, gelidæque valete Napææ;
  Nympha negat lymphas, ſicca Napæa niues.
Vnde meis quæram ſolamen amabile flammis,
  Frigidaque immites leniat aura faces?
Ergóne ſollicitæ ſpes nulla ſequeſtra ſaluti?
  Vlla nec aura nouæ, quam ferat vnda, ſpei eſt?
Eridani vos eia pios huc Naiades amnes
  Fundite; fundentes gratia ſumma manet.
Sed quid? & Eridano ſtat parcior vſus aquarum,
  Quò minus immenſos opprimat vnda rogos.
Quo nunc ergo lacu? quos æger aquabor ad amnes?
  Quoúe mari? ſalſis ſed mare ſtagnat aquis.
Si mihi terra parens, ſimul abdicat vnda medelam,
  Vbere iam cælo tertia regna ſequar.
Huc precor hibernas inuergat Aquarius vrnas;
  Nî ſat id, aſtrigerum fundat & Eridanum.

Eridanus ſed vanus opem, ſed vanus Aquator
Fraudat. an & cælos ardor auarus habet?
Quis dabit è venâ manantem diuite fontem,
Accenſam riguo qui premat amne ſitim?
Viſa mihi pridem fontis, niſi fallor, imago;
Nunc refluas memori mente reducit aquas.
Fas ſit, vt enarrem, liquidaque ab origine riuos
Longa per orſa, ſtylus quà iubet ire, traham.
Nuper ego Latijs ſyluis venabar & agris,
Anxia præcipiti quos pede cerua terit.
Cornua rauca ſonant: timor increpat horridus aures:
Iamque leues volitant per nemus omne feræ.
Inſequor æripedem celeri celer Aſture prædam:
Præda fugit rapido non reuocanda gradu.
Quà fugit, ignoto defertur in auia ſaltu
Per iuga ſenta ſitu, per loca fœta petris.
Eſt nemus vmbroſum, ſunt vmbriferæ conualles,
Quas cingit viridi denſa corona iugo.
Stat medio ſeptum condenſis textile lauris,
Forſan Hamadryadum Naïadumque domus.
Garrulus increpitat Dryadas crepitante lapillo
Riuulus, & dulci murmure mulcet aquas.
Hìc pictus violis viridique è gramine ceſpes;
Hìc torus, inque toro pubere grata quies.
Et moror, immiti cui cor ſitis excedit æſtu,
Egelidi riguas ducere fontis opes?
Ocyus incumbo, mollique in gramine corpus
Libro ſuper calthas, libro ſuper violas.
Hìc inhians, inhianſque auido, ceu ceruus, hiatu
Et rapio, & raptas haurio pronus aquas.
O quæ deliciæ! quàm nectare dulcior hauſtus!
O vt nectareis ebria corda fauis!
Nec modus eſt: dulces hinc guſto, reguſto liquores:
Rurſus & ambroſium perfluit ora merum.
Quis dabit ô! rimer, mihi iugis vt adfluat humor,
Quâ fons hic ſaliat viuidus è ſcatebrâ.

Pænè

Pænè ſatur ſaliente ſitim dum tempero lymphâ,
 Inuito madidis ſomnia blanda genis.
Vtque mihi fractos durus labor atterit artus,
 Inſterno viridi languida membra toro.
Nec ſopor inuitus feſſis venit hoſpes ocellis,
 Deque ſopore quies mulcet amica caput.
Obuia frondoſâ mox corporis vmbra ſub vlmo
 (An veri ſpecimen, mentis an error?) adeſt.
Ambigo, num variâ qui ludit imagine ſomni
 Pictus erat partus; ſomnus, opinor, erat.
Ecce repèns ſtetit ante pedes pulcherrima virgo;
 Nympha fuit, dubium, ſiue Napæa ſoror.
Quidquid id eſt, Nympham dicam, niueamúe Napæam;
 Os habitumque Deæ virgo decora refert.
Hanc vocem ſomno grauis, an vigil? auribus hauſi,
 Quæ dein in digitos fluxit ab aure meos.
Scribe mihi, dixit, violâ ſed ſcribe roſaúe,
 Augure de ſomno quas tibi dicto notas.
Quem rimare cauis per ſicca, per vda latebris,
 Vnde perennè bibas, fons *Aquaviua* fluit.
Ille pijs lymphis Ætnæos temperat æſtus,
 Ille grauem dulci diluit amne ſitim.
Ille perennis aquas nullâ non parturit horâ;
 Ille peregrinos largus inundat agros.
Ille ſuis riuis inuitat amœnus alumnos:
 Ille fluit quouis vena benigna ſolo.
Nónne ſitim tali ſecurus aquabere riuo,
 Cælite cui manat fons *Aquaviua* petrâ?
Et ſalit æternæ ſeptem de collibus Vrbis,
 Totus vt hinc riguas hauriat orbis aquas.
Dixerat: & digitum fontique intendit & Vrbi,
 Proflua ſeptenis cui natat vnda iugis.
Excitor, excit aquæ ſtrepitus: men' ſomnia fallunt?
 Aut aliquid potiùs, quo moneamur, habent?
Hinc equidem quidquid ſcripſi, mens conſcia veri
 Hauſit: & hinc iſtis cera referta notis.

Si legis hæc oculo, quo cætera ſcripta, ſereno,
Gratior hic omni munere ſomnus erit.
Quò feror? ah! vani ſed enim quis inania ſomni
Scribat, & ipſa velit ſomnia ſcripta legi?
Scribo tamen ſomnos. ſomni non omnia fallunt:
Sæpè fidem veri noctis imago dedit.
Quis ſcit, vt attigerit Latios mea littera montes,
Affluat an riguis huc *Aquauiua* iugis?
Quis non fons bibulos de montibus vndat in agros,
Vnde bibat viuas meſſis & arbor aquas?
Influe, nunc precor, ergo meas *Aquauiua* medullas:
Viuus amor viui fontis anhelat opem.
Vallis hiat riuos; puluis ſitit aridus imbres;
Flos inhiat rores; & ſeges optat aquas.
At meus ardet amor manantes Vrbe liquores:
At quibus eſt igni lympha marita ſuo.
Scantia ſi nubit Vulcano Nympha ſub vlmo,
Et parit è lymphis Naïs aquoſa faces:
Quid vetat Ignatî concors *Aquauiua* ſit igni;
Igneus ignigenas ducat vt hoſpes aquas?
O! me, cui teneras Ignatî flamma medullas
Decoquit, ad fontem duc, *Aquauiua*, tuum.
O Claudi, ne claude tuos mea gaudia riuos:
Sin; ſitiam medijs Tantalus alter aquis.

EPISTOLA V.

ARGVMENTVM.

STaniſlaus Koſtka Ioannis filius illuſtriſſimæ ſtirpis in Poloniâ generoſus ſurculus, vnà tum Paulo fratre Viennæ politioribus litteris dat operam: vbi diuino inſtinctu Societatis IESV *deſiderium altè imbibit. Quapropter vbi duriorem expertus fuerat fratrem, ſanctam mendici perſonam ementiens, fugam ad P.Caniſium adornat*

adornat Dilingam verſus, & inde, Romã, vbi in Societate Iesv, *ſi annorum ſpatia numeres, breuem; ſin morum ſanctimoniam aduertas, longam vitam duxiſſe cenſueris. His autem litteris ſuam ſignificat mentem ex Auſtriâ Romam conuolandi: tum humanarum rerum contemptum, & Societatis ineundæ deſiderium ſibi diuinitus iniectum commemorat.* Franc. Sacchinus in eius vitâ.

Stanislavs Kostka Francisco Borgiæ.

QVam legis, ex illo fert miſſa tabella ſalutem,
Flens ego quo nolim ducere ſæcla loco.
Turbidus inuitum ſiquidem me detinet Iſter,
Tibride qui malim ducere nectar aquâ.
Atque vtinam Latias ſeſe Auſtria vertat in oras,
Et mihi grata Deo Roma Vienna foret.
At quia non licuit, ſit vt Auſtrias ora Quiritûm
Patria, ab Auſtriacis exſul abibo plagis.
Impetus eſt illò celeres aduertere curſus,
Pegaſeo cui vis acrior ardet equo.
Antè tamen ſanctis interpres idonea curis,
Ducetur digitis littera ſuada meis.
Quæ bibat ambroſios de cælite fonte liquores,
Scribat & ambroſijs illita vota notis.
Frigida non pingam fatui ſolatia mundi:
Enthea ab ardenti gaudia corde leges.
Excitat has iſto Ieſus ſub pectore flammas,
Quas non innumeris exprimat Iſter aquis.
Fòrs erit, vt quæras, viridi mea corda iuuentâ
Sarmaticas inter quî caluere niues.
Vin' loquar? vnde traham modò prima ſed orſa laboris?
Quoúe ſtylum claudam fine, modoue notas?
Neſcio: ſic vndat denſis hîc copia rebus,
Sic animum vincunt gaudia tanta meum.

 Atta-

Attamen vt potero, pulchri primordia cœpti
Expediam, vt verbis expedijſſe decet.
Nuper vbi ſupplex accumbo parentis ad aram,
Quæ peperit partu virgine caſta Deum.
Hîc nec-opina meis oculis occurrit imago,
Queis lego Parrhaſiæ nobile mentis opus.
Parietis appendix ea ſtabat amœna, venuſtæ
Artis honos, vario docta docere ſtylo,
Viuit Apellæis hîc Virgo decora figuris,
Aurea Mœoniâ cui toga floret acu.
Sidereis illi frons fulget eburna pyropis;
Vitta puellares ſtringit honeſta comas.
Dextra crucem, ſuperûm manus occupat altera mundũ,
Dextra parat pretium, præmia læua parit.
Stans in rupe breuem duro pede conterit orbem,
Cui nitet è fragili lubrica forma vitro.
Fictilis hîc cerâ de Dædali regia, regnum;
Vrbs, ſolium; & ſceptro nupta corona ſuo.
Hîc etiam vani luxus operoſa ſupellex,
Hîc & opes dominis dos oneroſa ſuis.
Hîc vbi ſtans auidis tabulam contemplor ocellis,
Fallor? an ipſa mihi viſa tabella loqui eſt?
Eſto, diu ſteterit vinctis vox clauſa labellis;
Nunc tamen hæc dulcem rumpat aperta ſonum.
Et mirum iam Virgo ſonat, cui lactea fandi
Copia de riuo cælite larga fluit.
Aſpice, quàm diſpar geminos ſe ſcindit in vſus
Ille vel ille globus, qui duo regna tenet.
Vitreus, vt rota curta, breui pede voluitur orbis;
Aſtriger at iugi verſat in axe rotam.
Vix vmbram vitæ vouet ille fugacibus horis;
Hic proprio paſcit ſole perenne iubar.
Sic quota pars vitæ eſt, modico quod viuitur æuo?
Hoc æui modicum mors & auara rapit.
Num florent violæ? violis grauis incubat imber,
Num florent oleæ? grana maligna metet.

Nunc

Num florent ſegetes? ſegetum ſpem præmetet Auſter.
Punica num florent poma? procella leget.
Et quonam ſtabiles ver flore propagat honores,
Cui fugit in pictis vita caduca rotis?
Vt taceam profugi maleſida choragia mundi,
Nec loquar in nihilo tincta piacla ſuo:
Hìc quid dulce ſapit? quis non faſtidia luxûs
Deſpuit, inque merum tædia cruda vomit?
Muſtea cui dulci fluxerunt gaudia riuo,
E lacrymis aloën Cypris vt ægra bibit!
Dic, vbi fidus honos, ſerumúe perennat in æuum
Purpura gemmato conſpicienda ſinu?
Quàm citò præcipiti ruit alta ruina ſepulcro,
Nobile dum ſignis Rex premit altus ebur?
Dic vbi non vapidâ fraus ſurripit arte coronam,
Aut vis extorquet principe ſceptra manu?
Aut vbi non præceps fremit ira, minacibus armis,
Vnde flagrant vaſtis oppida verſa rogis?
Aut vbi non diras Pelopeïa regia fraudes,
Deque Thyeſtæâ crimina cæde ſerit?
Si nihil hìc aliud, quid non fugit ocyùs omni
Turbine, & in ventos deuia vota rapit?
O quanto ſatiùs crux hæſerit ima medullis,
Quàm mundus, rapidis quem rapit hora rotis.
Ah! mera crux mundus. quid adhuc crucis aſpera palles,
In mundi nihilo ſi tot vbique cruces?
Futile ſperne nihil: crux imperat arbitra cæli:
Spretus humi puluis ſtelliger orbis erit.
Sic mihi viſa loqui. Diuæ nec fallit imago;
Protinus en radios afflat amica ſuos.
Quin & ſuadus odor vapidis adſpirat ab aris:
Dicere quis poſſet Virginis eſſe roſas.
Tunc ego (quanta pijs hauſi tum gaudia fibris!)
Ad Superos ſupplex ora ſupina tuli.
Grande Deo votum conceptis nuncupo verbis,
Solemnemque dico Virgine teſte fidem.

Crux mea ſpes, crux omne decus, crux vna voluptas:
  Iam mihi votiuâ ſub cruce dulce mori.
Sic equidem voueo, ſuperûmque adiuro Senatum;
  Hæc ego flens Ieſu dedico corda meo.
Ite piæ voces, faciles ad Numinis aures
  Currite, currentes præmia ſumma manent.
Ipſe quidem paruum venâ de paupere munus
  Libo; ſed in paruo munere magnus amor.
Parua licet ſit mica, leui quæ fumat acerrâ;
  Haud minûs ac grandi thus graue lance litat.
Placat & agna recens lactantis ab vbere Diuos,
  Bos vt opima ſacris quæ cadit icta focis.
Ipſa ſuæ pretium pietas hæc attigit agnæ,
  Qui dat, quod potuit, maxima dona dedit.
Alme parens igitur Ieſu, quod dedico gratum
  Munus habeto, noui muneris auctor eris.
Littera quæ Româ feret omina prima ſalutis,
  Hæc mihi dulcis erit te tribuente ſalus:
Accedetque meæ noua, credo, iuuenta iuuentæ.
  Sic mihi lux hilares paſcet amœna dies.
Amplexu hæc, Pater alme, tuo dum pectora ſtringes,
  Quanta ſalus! naſci tum mihi viſus ero.
Iurarim liquidò tum primum gaudia vitæ
  Hinc oritura, meâ nec moritura nece.
Sic equidem ſpero. meus an ſpem fallet Ieſus?
  Obſes & ipſa ſpei ſtat mihi magna Parens.
Ipſa mihi certè blandis dedit omen ocellis,
  Obuia fors oculos dum tenet ara meos.
Virgineæque redux occurſat imago Parentis,
  Quam retulit doctâ picta tabella manu.
Deque tuo blandos & vidimus ore fauores:
  Aurita aſt oculi fama fuere mei.
O! ego ne fallar, fletuúe hæc lumina mergam.
  Fas, pius his lacrymis vt medeare parens.
Vt nil ipſe querar, ſi ſpem præcidis amantis,
  Incipiet pro me fors pia Virgo queri.

EPI-

EPISTOLA VI.

ARGVMENTVM.

IOannes Carrera è Societate Ieſu cum Angelo ſuo tutelari tanto erat & tam familiari coniunctus vſu, vt velut intimo cum amico ſua conſilia ſermoneſq; conferret: ſæpè ad eum de ſuis rebus dubijs arduiſq; referret, ſæpè interrogaret exquireretq; conſilium: viciſſimq; ei Angelus ad omnia notis hiſce vſitatiſq; vocibus reſponderet. Denique in eam ſancti Angeli familiaritatem venerat, vt ab eo quotidie horis antelucanis ad orationem excitaretur è ſomno. Quamquam hanc aliquando conſuetudinem Angelus intermiſit, quòd excitatus ab ſe manè Ioannes languore ac laſsitudine victus, non è cubili protinus ſurrexiſſet. Sed ſi hac culpa fuit, certè per dies plurimos occultante ſe Angelo pœnas dedit. Cuius præſentiæ deſiderio multis ad Deum placandum precibus ac ieiunijs adhibitis, vix tandem aliquando, quod amiſerat, recuperauit. Itaque iam ærumnas ſuas aperit illo abſente toleratas, & priſtini vſus dulcedinem memoriâ repetit, eiuſq; antiquam implorat fidem & opem. Nicol. Orlandinus in Hiſtor. Societat. lib. XI. num. LXVI.

IOANNES CARRERA ANGELO SVO.

QVæ lego Superis ſuſpiria, ferte tabellæ:
Fas ſit & æthereis ire, redire vijs.
Quamlibet aduerſo vis obſtrepat inuida vento;
His velit aduerſus cedere ventus iter.
Vtque vehit lymphas, queis nubifer incubat Auſter;
Nubila ſic lacrymas deuehat aura meas.

Quid

Quid vetat hos oculi tenues ſine pondere rores
  Quà libet aëreis ferre, referre vijs?
Ocyor, ô aquilæ, delphinis & ocyor alis,
  Æripedem rapiat ros hic ad aſtra fugam.
Nî facit, aſſiduis tabeſcent pectora curis,
  Et cita mors lentæ mî mora mortis erit.
Vt limâ mordace chalybs, lapis aſper vt imbri,
  Vt teritur multâ puluis adeſa rotâ,
Vomis edace ſui teres attenuatur vt vſu,
  Et teritur Libyci ſectile dentis ebur:
Sic mihi perpetuo curarum ſaucia morſu
  Exedit in duro vulnere corda dolor:
Et potes hinc alio duros auertere vultus,
  Angele mi, vitæ vita ſecunda meæ?
Quemque hilari fueras ſolitus diffundere riſu,
  Nunc vultum rigido turbidus ore trahis?
O meâ ſpes, ne falle fidem, bone mentis Achates,
  Qui mihi luce ſalus, qui mihi nocte quies.
Ille ego, quem ſtrinxti placidis, vbi naſcerer, vlnis,
  Cuique comes puero, ceu puer alter, eras:
Ille ego, cui quouis ſub ſole domeſticus vſus,
  Et cui conuictûs vnica cura mei:
Ille ego, cui certæ ſpondebas vota ſalutis,
  Semper & in dubijs ancora ſacra fretis.
Et modò ceu nullum Carreram noris, & vſum,
  Carreræ viduos deſeris vſque lares?
Nullus ades? memores ſic ergò obliuio ſenſus
  Delet, & officij gratia nulla redit?
Erro, nec vlla viam certo ſecat orbita ſulco;
  Nec tamen errantes ducis, vt antè, pedes?
Difficile eſt dictu, mens quot gemat anxia damnis;
  Præſide ſub dextrâ damna nec vlla leuas?
Torris edax cor vrit, eunt in viſcera flammæ:
  Nec liquor, his flammis qui medeatur, erit?
Cor ægrum poteras molli lenire ſuſurro,
  Et poteras medico vincere rore faces.

Obſi-

Obſidet infeſtis me bellua torua periclis:
Hinc fremit immanis pardus, & inde leo.
Ah! vbinam medijs prædam qui faucibus Orci
Eruat, & frangat vindice monſtra manu?
Ipſe vides certè gelidas concreſcere venas,
Anxiaque exſangui corda gelare metu.
Vtque tenax hæret miſeris ærumna medullis,
Quæ foret inde tuâ diſcutienda manu.
Heu mihi! quòd turbâ non cenſeat vnus in illâ,
Quam Superi fidâ iugè tuentur ope!
Quàm dulces, memini, miſcebas nocte ſuſurros,
Et memini totos gaudia ſtare dies.
Quid loquar, vt blandis terſiſti lumina pennis,
Lumina ſub lacrymis ſæpè ſepulta meis?
Cura pari quoties concors dedit ordine Salue.
At nunc, hei miſero! fers niſi triſte Vale.
Siue quòd imprudens te fôrs offenderit error,
Siue quòd haud æquo læſa ſit ore fides.
Me iubet hinc dubium (mallem vetuiſſet Ieſus)
Mille per ærumnas turbidus ire dolor.
Recta diu placidis quæ prora cucurrit in vndis,
Te ſine iam ſæuis naufraga ſidit aquis.
Si trepidæ modò fida fugis tutela carinæ,
Ecqua procelloſo tuta ſit orbe ſalus?
Cerne, labat fragili vitæ ſpes pendula filo,
Et trahit exhauſtâ penſa ſuprema colu.
Atra dies quantos, ah! parturit vna dolores;
Quæ tot agit noctes, ſi tamen illa dies?
Vos oculi teſtes, quoties hos verſo labores,
Feruidus in lacrymis decoquit oſſa dolor.
Sed quid adhuc humiles triſti niſi puluere curas
Voluo, nec attollo clara per aſtra caput?
An non ſors varios alterna recurrit in orbes?
Altera an vrget hiems? alter & æſtus erit.
Nunc age, ſpes fere vota polo, mete gaudia terris;
Auſpice ſpe, votis dona beata feram.

Vltima

Vltima cùm miſeros fortuna reliquit alumnos,
Tum demum miſeris gratia prima redit.
Alma Charis, Charis alma, redi melioribus aſtris:
Vt quid adhuc fraudat ſpes mala ſegnis opem?
Tuque adeò cui Pegaſeis ruit ocyor alis
Impetus, huc pennas, Angele, flecte tuas:
Si tamen hinc abſis vacuas dilapſus in auras,
Nec propiore legis, quas damus, aure preces.
Languida ceu liquidos ſuſpirant lilia ſoles;
Saucius vt riguas ſulcus anhelat aquas;
Æger vt auroræ radios adſpirat & ignes,
Debile cui pernox prægrauat vmbra caput;
Vtque procelloſo deprenſus nauita ponto
Inuocat à gemino ſidere lucis iter;
Vt laceris velis, ſparſiſque per æquora remis,
Reſpicit ad portus puppis inerma ſuos;
Vt lacrymis implorat opem data præda leoni
Ceruus, & in medijs quæ gemit agna lupis:
Sic & ego duris obſeptus vtrimque periclis,
Saucius ærumnis, nudus & erro fretis.
Te te fide meos, toties miſerate labores,
Adiuro lacrymans, quam ſequar, adde manum.
Adde manum: ſtabit ſecura carina procellis,
Nec caput hoc armis qui premat, hoſtis erit.
Adde pedem: rectos via diriget hoſpita curſus,
Et noua lux noctis triſte retexet iter.
Quis dabit auroram nouus excitet ignis Ieſu,
Vnde fluat roſeæ lucis amœnus honos?
Quæque tulere prius triſtes ſuſpiria rores,
Tranquillo referant roſcida dona polo?
Si vapor vdus humo ſuperas adſurgit in oras,
Deflua quo ſuperis decidat vnda plagis:
Quid prohibet lacrymas, auidus quas hauſerit æther,
Reddat item terris æthere lapſus amor?
Quid prohibet noſtro nubes ſi roſcida fletu,
Paciferam pulchris exprimat irin aquis?

EPI-

EPISTOLA VII.

ARGVMENTVM.

Non hîc amantis ſponſæ molles litteras leges. Habet & ſuas Diuinus Amor illecebras, ſuas habet ſuauitates; ſed quæ rerum humanarum contemptum perſuadeant. Facit hoc litteris ſuis Virgo & ſponſa Cæcilia, quæ diuinos ſuos ardores ſponſo explicat, eumq; aſpernari docet, quæcumque in terris habentur ampliſſima.

CÆCILIA VALERIANO.

Seria quæ memori commendo vota tabellæ,
Perlege; dat certam caſta tabella fidem.
Opto quidem, claros par nobile Roma Quirites
Iungat, & è neutrâ parte pigendus Hymen.
Sed thalami curas, & tædia longa Hymenæi
Abnuo: quam pietas iunxerit, opto manum.
Non his Iuno ſacris, non his Lucina vocatur,
Et procul à caſtis Ilithyia toris.
Vnicus hîc Chriſtus, Numen genialibus aris.
Non benè Chriſtiadas numina ficta colunt.
Caſtâ tango manu, Ieſus queis præſidet, aras;
Dextera cæleſtes quæ niſi caſta decet?
Scilicet hoc vrit Diuûm vis ignea pectus:
Ignis hic vna mei cura laboris erit.
Anne putas Veſtæ cuſtos ſim peruigil ignis?
Ignis hic in Stygios fax eat atra rogos.
Nil mihi cum Veſtâ, Veſtæue nigrantibus aris:
Nempe facem, quæ cor candida luſtrat, amo.
Pronuba tæda meo ſacer emicat ignis amori;
Auſpice quo caſtus fœdera ſancit Hymen.
In thalamum recipi dominum, aut ſeruire marito,
Haud venit in mentem, nec dabit vlla dies.

P Hoc

Hoc pectus dotale meo ſacratur Ieſu,
Huic ego cor ſanctis immolo pura focis.
Haud decus hoc Româ mutem, ſi præmia Romæ,
Cæſare ſub primo quanta fuere, forent.
Nolo Tibrim, nolo circos, Capitolia nolo:
Vna Sionæo ſtat mihi Roma iugo.
Hîc tibi ſidereis manet aurea meta quadrigis,
Omnis eò Chriſto ſi duce, cura ferat.
In Superas Romam transfer felicius arces.
Arcibus his, neſcis? & ſua regna ſedent.
Haud ego nobilium tria nomina ſigno Quiritûm:
Hîc Trias omnis honos, hîc Deus vnus amor.
Me duce, Valerios primo de Conſule faſces,
Et quæ ſella tuâ ſedit eburna domo,
Laurigeris ſtantes in curribus Æmilianos,
Scipiadaſque atauos, Scipiadumque nurus
Deſpue, magnificas auguſti nominis vmbras;
Queis mera nox claræ gloria priſca domus.
Temne, quod infido fors vitrea pingit in oſtro,
Donaque quæ dubiâ datque rapitque manu.
Quid loquar, vt vacuæ nil aura leuiſſima famæ
Expleat immenſam, quæ coquit oſſa, ſitim?
Non modus hîc votis aut meta fugacibus vmbris,
Queis decor in vanas ſplendet, vt iris, opes.
Macte, tuis titulis accedat adorea belli;
De fragili ramo quid tibi laudis erit?
Fama ſed in plauſum vocales concutit alas,
Teque ſonant claris alta theatra tubis.
Sanguinis in pretium puluis quem Martius hauſit,
Quid niſi ventoſo murmur inane foro?
Mendica ſterili de fronde fugacia Romæ
Præmia: præclarus fructus honoris erit.
Scilicet es demens, ſummi quem pignus honoris
Munere tam nullo futilis aura tenet.
Si tibi mens auidis lauros ſit quærere bellis;
Pulchrior à domito corpore laurus erit.

Quem

Quem ſuperes, ne quære; domi latet abditus hoſtis,
Omniaque inſidijs occupat ille ſuis.
Falleris, & neſcis, cui tot prætexta tropæis
Stat domus; ille tui ſæpè tropæa tulit.
Cuique triumphat auûm domus ambitioſa coronis,
Fraus dominum turpi vinxit iniqua iugo.
Nunc igitur te vince, tuos iam vince Quirites,
Vince graues faſtus, vince tot vnus auos.
Et refer inde tuo conſperſas ſanguine lauros,
Qui modò dux belli, Rex nouus aſtra reges.
Quiſquis enim Chriſto ſub paupere pauper amori
Militat, hunc palmâ cælite donat honos.
Non illum iaculo mortiſue minace ſecuri
Frangit inexperti vis inopina mali:
Non illum dulci flectit ſors ebria philtro,
Splendida fortunæ munera calce terit:
Non illum placido pellax trahit ore voluptas,
Effugit inſidias, ceu breuis vnda, vijs.
At fractis medius ſceptris, lacerisque coronis,
Inſultat palmas Roma ſuperba tuas:
Et Capitolinas ſuper euolat altior arces,
Deſpectatque humiles, Romula tecta, caſas.
Si benè ſpernis opes vanique peculia faſtus,
Inclyta ſpretarum gloria creſcet opum.
Clarior egregijs florebit adorea damnis,
Præmia ſi pauper temnat auita nepos.
Nunc celer eia viam, pulchrumque inuade laborem,
Nec teneat lentus craſtina cœpta dies.
Aurea purpureo roſa cui iam floret in æuo,
Fac ea ſit magno digna corona Deo.
Non benè quis ſteriles virtuti conſecrat annos:
Nec placet elapſis ſpina ſenecta roſis.

EPISTOLA VIII.

ARGVMENTVM.

Valerianum iterũ Cæcilia ad caſtitatis amorem his litteris incitat, atque adeò caſtitatis delicias coniugij moleſtijs opponit: tum ſibi illuſtriora nobilitatis inſignia à Chriſto offerri demonſtrat, quàm ab vllo mortali ſponſo ſperari optariúe poſſint.

CÆCILIA VALERIANO.

His oculis hauſi ſolitos, quibus vreris, ignes,
Quóſque virens hilari de face paſcit Hymen.
Nec potis in tepidas leneſcere flamma fauillas,
Quæ velit in thalamum ſerpere blanda meum.
Hîc quid agam, puri quam fons inuitat Ieſu,
Lactea qui caſtis lilia nutrit aquis?
Cura diu dubijs incerta pependit in alis,
An ſileam? muto num loquar apta ſtylo?
At tibi ne genium fallat malè ſuada voluptas,
Hæc mihi cæleſtis ſcribere ſuadet amor.
Frange precor, quam mittis amans cum dote tabellam:
Non facit ad guſtum miſſa tabella meum.
Nec minùs omnis Hymen crocino mihi ſordet in auro:
Triſte malum, fumos fax hymenæa parit.
Dumque coronatis includit gaudia portis.
Nox, dolor, heu! mediâ nocte ſtat ante fores.
Irrumpitque inuita repens in limina mœror,
Scindit & infeſtâ florea ſerta manu.
Diſturbantque choros inopina pericula leti.
Quanta ſtetêre breui fixa feretra toro!

Non

Non ſic ille meus thalami ſpem fallit Ieſus:
Quam ſtruit, æterno flore corona viret.
Ille meo turpes auertit pectore tædas,
Quas Cypris inſidijs armat iniqua ſuis.
Qualibus illecebris ſibi dedita pectora mulcet!
O mea quàm liquido gaudia fonte fluunt!
Eloquar? anguſtis mens abnatat ebria venis.
Nunc ô delicias, lux mea, tange tuas.
Interiore pij cordis ſed tange palato:
Dulcior huic quouis nectare nectar erit.
Gutta vel vna tuas fac vt impluat inde medullas:
Cætera dos mundi fungus amarus erit.
Nobilitas hæc vna meis ſtat digna coronis,
Nobile ſi purâ negligo fronte decus.
Quid patrios laudas cenſus, famamque parentum?
Pace tuâ, Ieſus vincit vtrumque decus.
Quò mihi præclari fumoſa parentis imago?
Aut indetonſi puluis inanis aui?
Quò mihi Valerio primus de ſanguine Conſul,
Deque triumphato publica Rege ſalus?
Ipſe ſuas quoties Conſul tremit vltrò ſecures,
Quas periurus honos cædis in arma ſtruit?
Nil moror Æneadûm priſcos tria nomina faſtos:
His quæ clara fuit fama, fuiſſe ſinam.
Sed iuuat antiquos Troiæ reparare triumphos,
Nobiliuſque nouâ ducere ſtirpe genus.
Hoc proauûm pepigere, patrum pepigere labores;
Hæc modò ſuſpirant præmia ſera legi.
Scilicet Auſonidûm manes ea cura quietos
Occupat, obſcurâ quos cinis abdit humo:
Quæ quis apud Superos agitet de ſtirpe nepotum,
Nomina num faſtis ſignet auita ſuis?
Et neptis ſi nupta comas innodet in auro,
Siue tegat pullâ ſindone virgo caput.
Qui niſi vana crepant, titulos eiuro parentum,
Quaſque mihi tingit Roma ſuperba ſtolas.

Perfida ſim Romæ, modò non ſim perfida Chriſto.
Pura fides puro gaudet honore frui.
Pallidulæ, caries quas exedit improba, ceræ
Quid niſi funeſto pabula grata rogo?
Vile caput mundo, memini, ſordebat Ieſus:
Altior at cælis ille corona micat.
Ille parens, auus ille meus, ſpes ille nepotum,
Ille perennis honos omnis, & vnus amor.
Crux mihi dos, cruce parta ſalus, arx pignus amoris;
Hoc mihi ſtat ſancto pignore pacta fides.
Paruulus Almachius patriâ tibi ludat in aulâ:
Sed ſine Cæciliâ, ſit decus ille tuum.
O tibi ſit ſimilis, modò non mihi, forma nepotis;
Quàm Chriſto pepigi, non ego fallo fidem.
Non hoc virgo ſuo decus inuidet innuba ſponſo:
Hæc tibi legitimo præmia carpe toro.
Valerióſque tuos ſtirps augeat alma nepotum.
Gratulor antiquæ creſcere ſtirpis opes.
At mihi virginitas vni quæ nubit Ieſu,
Lactea cæleſti flumina fonte parit.
Suadeat ergon' Hymen vinctus frondente coronâ
Virginis vt florem perdere cæca velim?
Antè leues alto ſol paſcet in æthere ceruas,
Cæciliam fœdus quàm ſibi ſubdat Amor.
Cæciliámne putas cæcam? ſum lyncea: fruſtra
In me contorſit ſpicula cæcus Amor.
Trans freta, trans terras, trans & caua nubila Ieſum
Per lacrymas ſpecto lympida tota meum.
Nam mea dos lacrymæ, ſpeculum queis purius aſtro eſt;
Huc auidos oculos entheus ardor agit.
Nec vis vlla potis caſtos abrumpere nodos,
Queis me perpetuus Numinis vrget amor.
Illius ex oculis radios accendet Eous,
Vnde dies votis floret amœna meis.
Quas de purpureo Ieſu lego vulnere flammas,
Has oculus diâ luce ſequeſter alit.

Quale decus ſpecto! ſol quàm formoſus Ieſu!
O radius pectus transfluat inde meum!
Transfluat! ô quales purum cor imbibet ignes,
Sideraque æterno lumine pacta diem?
Et cor antè rubro quid neſcio fictile limo,
Sit ſpeculum, caſto cui vibrat igne iubar.
Irradietque meo ſpeculo ſol pulcher Ieſus,
Luceat hic Soli par vt imago ſuo.
Aut decus inde ſuæ non immutabile formæ
In radio ſaltem verſicolore traham.
Si nequit in totam transformis abire figuram,
Effigies ſponſi parua ſit vmbra mei.
Hoc ſpeculo tradux radius fluat igneus ô ſi!
Quo ſacer arſurum cor tibi iungat amor.
Iungere tum propior potero dextramque fidemque,
Vt ſit digna Deo dextra, pudore fides.

EPISTOLA IX.

ARGVMENTVM.

Pollinaris Syncletica, nobilior ambigo an ſanctior, virgo, Anthemio Conſulari, Vrbis Præfecto, auo Anthemij Imperatoris, viro religioſo genita, in florenti ætate non erubuit omnem paterni honoris claritatem Chriſtianâ humilitate inuoluere, ideoq; ſe domo tam illuſtri proripuit, ſexumq; habitu mentita, Dorotheum ſe dixit, ſeſeq; in ignotum Aegypti angulum abſtruſit, vnde longinqua fama eius nominis auram deferre Conſtantinopolim nequiret. Anxia itaque mater has in incertum litteras ad filiam mittit, eamq; ad maternam reuocat domum. Ioan. Bollandus in eius vitâ v. Ianuar.

MATER SVÆ APOLLINARI.

SÆpè quidem, mea vita, graues tibi ſcribo querelas:
Hei mihi! ſed ventis non niſi vana queror.
Errat, & errantem vaga littera quærit alumnam:
Orba ſed in triſti limine ſido parens.
Et proſpecto foras, campos, freta, flumina, ſyluas,
Num gnatæ redeat aura vel vmbra meæ.
Nulla ſed vmbra redit; redit aura nec vlla parenti.
Heu! ſilet ignotis auia gnata plagis.
Viuite felices, queis ſpes ſecura nepotum
Ludit, & ad patrios paruula turba focos.
Aſt ego deſertos lugebo ſola penates,
Et querar exilium ſola relicta tuum.
Sed mediâ quam luce dies ſubducit alumnam,
Nox vigil obſcuris reddit amica modis.
Quippe parum placidam turbant inſomnia mentem:
Excubat in fraudem peruigil inde quies.
Gnata, meis oculis pernox obludis imago,
Diſſimulaſque notho lumine dulce iubar.
Iamque hilares thalamo ſpargis, ceu Cynthia, luces;
Atra priùs, radijs nox micat alba tuis.
Obſtupui, & claro defixi lumina vultu.
Dulce mihi mediâ voce pependit Aue.
Brachiaque inijcio nullis ſed habenda lacertis;
Inſuper & nullis oſcula libo genis.
Meque nouis fallunt noctis mendacia formis,
Et iuuat è triſti gaudia fraude rapi.
Sæpè redis, fraudaſque redux de nocte parentem;
Terque prehendo manu, terque prehenſa fugis.
Sæpè traho longas vacuo ſermone querelas;
Sed leuior plumâ, cui loquor, vmbra fugit.
Vlla nec à vacuis interuolat aura labellis.
Heu nihil, & nihilo vanius vſque peris.
Blandior interdum, pulchriſque applaudo figuris,
Queis fallax varium Protea ſomnus agit.

Sic dubiâ ſictæ veræque in imagine formæ
  Ludimur alternis credula corda modis.
At niſi ſpecto nigris ſimulacra fugacia formis,
  Quæ paris in pictum, gnata, renata nihil.
Tu mihi cura die, tu nocte figura doloris,
  Lux nimis heu! oculis inſidioſa meis.
Quid iuuat hîc hilares de nocte regignere ludos,
  Si tam parca breuis gaudia ſomnus habet?
Sic vbi tu, mea lux, cæcas vaneſcis in vmbras,
  Viſa redire nouâ es luce, nec vlla redis.
Atque adeò cui blanda voues dare pignora gaudî,
  Defigis gremio ſpicula dura meo.
Iucundis hilarat ſpes altera ſomnia ludis:
  Quodque prior peccat, poſtera id vmbra piat.
Surculus aureolis folijs inſignis & oſtro,
  Quale ſuis donum dat roſa pulchra rubis,
Stirpe nouâ ſuperas ſurgebat, vt arbor, ad auras,
  Cui crepitat tremulis bractea fulua comis.
Turbo ſed auricomum pulchro de termite partum
  Abripit in cæcas irreuocandus aquas:
Ioniumque ſimul trans æquor, & vltima Nili
  Regna rapit, nudam ſol vbi torret humum.
Ruperunt mediam ſuſpiria ſurda quietem,
  Vt ſenſi pelago frondea damna rapi.
Ingemuique ſuper: gemitum meliore ſed aurâ
  Altera ſpes Pharijs aduena mulcet agris.
Inde columba redux noſtras appellit in oras,
  Ramulus in roſtro cui bipatente viret.
Rurſus Threcio viſus frondeſcere campo,
  Rurſus at Æolidûm vis inopina rapit.
Excitor, in gemitum dolor excitat: vror acerbo
  De rami ſpolio, ſpes cui ſtirpis abit.
Tum dixi: Pharijs tu ſurculus aduena regnis
  Threciâ ſurges nobilis arbor humo.
Frondea ſed modicam cui gloria vernat in horam,
  Quàm breuis aura refert, & breuis aura rapit.

P 5 Nam

Nam ſimul vndoſo prorupit ab æquore Titan,
Abſtulit vmbroſis omina ſomnus equis.
Inde loci flens luſtro toros, ſimul atria luſtro;
Heu! fallunt oculos atria nuda meos.
Hic quæcumque ſedet nuper tibi ſueta ſupellex,
Liquitur in tacitas, ceu dolor vrat, aquas,
Vix tango; ſubito tremuere ſedilia motu;
Exſilium credas ingemuiſſe tuum.
Hic, dico lacrymans, dedit oſcula gnata parenti,
Atque inibi lætos luſit amœna choros.
Inuenio in tenui neglecta crepundia cenſu,
Queis modò quæ ludat, nulla puella redit.
Antiquas ego delicias deprendo iuuentæ;
Hei mihi! non illâ munera digna manu.
Hæc vbi verſo, quibus iucunda puertia luſit,
Munera; dant animo ſeria tela meo.
Vt quid adhuc miſeros torques, mea vita, parentes,
Hæccine fœcundâ præmia digna nuru?
Per, tibi qui numquam tua vota fefellit, amorem,
Haſque per obteſtor, queis gena ſtagnat, aquas,
Huc ades; inque pium, mea vita, relabere pectus;
Et nouus exſtincti pectoris ardor eris.
Ægra, viden'? cum patre parens trahit omina leti:
Triſte feres duro ferrea corde nefas?
Admorunt tibi ſæua truces, reor, vbera tigres;
Non ego, cui miti pectore vena ſalit.
Sic fugis orbandos numquam viſura penates,
Et fugiunt triſti gaudia lapſa domo?
Dum recolo, rigidum gelat hoc in pectore marmor,
Nec ſinit in planctus ire, nec ora queri.
Hinc ſcribo lacrymis (lacrymæ, pius imber amoris)
Cerne, ſtylus ſalſis denatat vdus aquis.
Quid prodeſt liquidos oculo rorare dolores,
Saxea ſi nullus molliat ora liquor?
Et lacrymæ deſint oculis, & lingua querelis,
Vnde gemas luctus auia gnata meos?

Quos

Quos fugis, in miſeros iniuria dira parentes,
 Vltimus an patrij fructus amoris erit?
Id meruit domus antiquis prætexta tropæis,
 Semper vt ereptum lugeat orba decus?
Non ſecum lacrymas, non dona ſuprema, nec vllos
 Abſtulit amplexus gnata, nec ora dedit.
Ereptâ miſeri ſic ſic moriemur alumnâ?
 Sed moriamur, abeſt non reditura ſalus.
At quàm te triſti damnabit fama piaclo,
 Viderit vt noxæ ſigna cruenta tuæ.
Heu! viduæ ſtabit matri ferale ſepulcrum,
 Dum Pharias exſul filia potat aquas.
Nata, ſuo cui flore foret ver dulce ſenectæ,
 Nunc erit ah! matri meſſis acerba necis.

EPISTOLA X.

ARGVMENTVM.

Reſcribit Apollinaris ſuæ parenti, aſſeritq́ſe ſuam virginitatem Chriſto dedicaſſe, & eâ gratiâ in Aegyptum fugiſſe.

APOLLINARIS MATRI.

VT tua Niliacis eſt reddita littera ripis,
 Quam notat è madidis gutta caduca genis;
Illa mihi longis dedit orſa trahenda querelis,
 Factaque ſum matris tota dolore dolor.
Hæc inter dubijs mihi mens natat anxia remis,
 Hinc ſacra iura tenent, inde profana trahunt.
Hinc me ſanguineo ſibi vulnere ſpondet Ieſus;
 Hinc niueo prægnans vbere mater habet.
Eſt aliquid iuſtis monitis parêre parentum:
 Iuſſa ſequi Diuûm grandius inſtar habet.

Vbera

Vbera grata quidem; ſed dulcius vbere vulnus:
  Vber & è Ieſu vulnere iuge fluit.
Tu quamquam genitrix, precor, hac abſiſte moueri
  Fraude fugæ; fraudem ſi tamen auſit Hymen.
Purus Hymen, virgo cui dedicat innuba florem
  Ipſa ſuum, vt puro ſidera flore legat.
Si torus in pretio, thalamus quis pulchrior aſtris?
  Flamma micat puris pronuba ſideribus.
Deſine me lentis flecti ſperare querelis,
  Deſine flexanimas texere blanda preces.
Non lacrymæ, non queſtus, anhelaque vota parentum
  Euincent, auido quas alo corde, faces.
Virgine quam pepigi dextrâ, ſectoque capillo
  Perpetuo ſtabit fœdere pacta fides.
Teſtis erit Magnæ votiua tabella Parenti,
  Propoſiti teſtem quam tenet ara mei.
Virginis affixi genibus (vos ſidera teſtes)
  Vota, quibus certam dat pia cera fidem.
Nequid diſſimulem, paucis aduerte, docebo
  Senſa, quibus curas nunc rego certa meas.
Tendimus ô mater, per ſumma, per ardua rerum,
  Sit procul exſangui pallidus ore metus.
Virginitas animum ſublimibus inuehit aſtris.
  Alta quod aſtra petit, cor leue pondus habet.
Enthea vis animi molimina tarda laborum
  Excutit, & Zephyris ocyus ambit iter.
Nec fraus vlla potis volucres inhibere quadrigas,
  Ignea quas ſuperis euehit aura vijs.
Hinc etiam nuper tacitæ mea vota carinæ
  Credidit ignotis ſpes abitura fretis.
Solue, age, dixit Amor: patrio quid litore tardas?
  Aſtra regent curſum; tu modò ſolue ratem.
Adſpice, quàm denſis ſtratum ſtat claſſibus æquor;
  Et comes his nauim, dum licet, adde tuam.
Cypria quà Pharijs reſpondent litora ripis,
  Hac tua veliuolum pinus arabit iter.

Ipſe

Ipſe ſacræ puppi faciles moderabor habenas,
Ipſe ſtruam docili turgida vela pede.
Dux Amor ad clauum pernox vbi ſidera ſeruat,
Aura dabit molles, quà lubet ire, vias.
Alnus inoffenſo decurret in æquora ſulco,
Tethys vbi remos lambet amica ſuos.
Quin etiam remus, velum, pes, ancora, clauus,
His & erit transtris omnia ſolus Amor.
Anxia num medio palles in turbine leti?
En placido turgent vela ſecunda mari.
Ventorum faciles animas immittere velis
Imperat vndoſis alnus itura vijs.
Aſt vbi, quóve rati quærendus in æquore portus?
Quæue iubente Deo proſpera lina dabis?
Abiegnis euerre celer freta ſpumea tonſis,
Quà tibi de tuto littore tendo facem.
Excipiet ripâ Nilotide Chriſtus amantem.
Nilotis patrio gratior vnda mari eſt.
Ilicet appuleris portu iam cælite; dices:
Quàm mea felici ſpes mare vicit aui!
Deſierat, cœpi pulchris aſſurgere votis:
Vota dedi cælo, candida vela mari.
Virginei ſentit tam nobile, credo, pudoris
Depoſitum Nereus, nec graue credit onus.
Et vos Nereïdes, caſti queis gloria ſexûs,
Ocyùs inuitas ire iubetis aquas.
En Pharos errantes inuitat amica carinas,
Sidereo ſolis lumine digna Pharos.
Quis ſcit, an hanc, pernox quæ fulget in æquore lampas,
Dux ſacer accendat, qui freta luſtrat, Amor?
Nec dubium. Vidi cæleſte quid ignibus iſtis
Fulgere. mortali pro face ſidus erat.
Effugiſſe iuuat patrias, mea tædia, turres,
Auia par ventus vela fidemque feret.
Digna fugâ pietas, virgo quâ quærit Ieſum,
Vt propiore fidem iungat amica manu.

O quantò melius iungi cum Numine fœdus,
Quàm necti fragili vincula fluxa luto!
Threïciæ Nymphæ, quas ludit blanda Dione,
Diſcite cæleſtes quid ſcit adire choros,
Atque vbi pura viret primi iam temporis ætas,
Florea virgineâ texere ſerta manu.
Nolo mihi priſcos reparet lyra vana canores:
Nabla dolore ſilent, plectra dolore gemunt.
Enthea Niliades quatiunt mihi ſiſtra ſorores.
Quid mihi cum patriâ? Nilias eſſe volo.
Nilias eſſe volo: qualem fert fuſca Syene,
Sole deuſta graui Nilias eſſe volo.
Omnis honor, medijs pulcher mihi ſqualor arenis;
Frontis & omne decus torrida ruga ſitu.
Adſpice, quæ gnatæ iam ſit ſqualentis imago,
Plorat, & obſcurat puluere turpe caput.
Stat lateri toga pulla; fugit de crinibus aurum,
Nec pinguis Syrio crinis ab imbre madet.
Inuolitant collo ſparſi ſine lege capilli:
Vlla nec articulos implicat arrha meos.
Vt quid enim flauis intextum crinibus aurum,
Quæque micans auro gemma ſtat alta comis?
Hos ego dotales à ſponſo paupere cenſus
Mutuor; at longo fœnero dona lucro.
Dos cui lauta, pudor; cenſus, ſine crimine mores;
Pectus amans, thalamus; cor ſine fraude, torus.
Et quis amat fragilis malè pulchra pericula formæ,
Vt pretium rapti turpe pudoris emat?
Haud ego ſic amens animi, nec prodiga vitæ,
Vt vitreas thalamo diuite ſecter opes.
Sic voueo; votumque petris inſculpo, vel aris,
Ne rapiat rapidus vota caduca Notus.
Siqua calet veteris mihi tæda ſuperſtes amoris,
Hanc, ô Nile, tuis opprime caſtus aquis.

EPI-

EPISTOLA XI.

ARGVMENTVM.

EVſtachius, ſiue Placidus, è fortunâ florentiſſimâ repentè in imas calamitates deuolutus, iter adornat exſul in Aegyptum cum Theopiſtâ coniuge, Agapio & Theopiſto liberis. Commodùm reperit nauem ſtantem in ſalo: hanc vbi conſcendit, impudens nauarchus Theopiſtã, cui eximia pulchritudo, rapit; ſed eius pulchritudinis fructum vbi iam delibare tentat, repentè exſtinguitur homo nefarius. Porrò Euſtachius cum ſuis filiolis ad riuum deuenit, cuius in ripâ vnum relinquit, humeris ſuis innixum transfert alterum. Interim leo relictum filiolum abripit; quò vbi recurrit, ecce tibi & quem tranſtulerat, lupus itidem diripit: vterque tamen vtriuſque feræ innoxijs dentibus excuſſus, ruſticorum & paſtorum concurſu saluus euadit. Quid hæc inter Euſtachius? Traianus memor priſtinæ virtutis iubet hominem vbiuis perquiri, qui vti olim, ſic & nunc bellum adminiſtret. Vix tandem repertus ſiſtitur Traiano: qui paulò pòſt victor cum ſuo exercitu vbi redit, & ſubſidit eo in pago, in quo ſua Theopiſta ſeruit indignam ſeruitutem, fortè fortunâ dum milites mutua miſcent colloquia, vterque frater ſuos cœpit explicare caſus, ſeſeq; internoſcere. Audit hæc mater in viciniâ ancillans, & ipſa ſuos agnoſcit filios. Itur ergo ad Euſtachium ſubſidij & opis petendæ gratiâ. Quid multa? & ſuum coniugem Theopiſta geminis ſeptus liberis amplectitur. Vide in vno caſu quot diuina proui-

dentia beneficia. His autem litteris ad Euſtachium amiſsum & errabundum coniugem datis, varios amantis ac dolentis animi affectus Theopiſta complectitur. Metaphraſtes xx. Septembris.

THEOPISTA EVSTACHIO.

Mittit aberranti, quam mallet ferre ſalutem,
  Quique vbi ſit, neſcit deuia ſponſa, viro.
Mittit item lacrymas coniux, modò viuat, amanti,
  Vnde pio trepidas imbuat imbre genas.
Mittit inops folium (folij quid inanius vmbrâ?)
  Fidus at huic folio dat graue pondus amor.
Malo tabella mihi ſit citrus, eburúe pugillar,
  Paupere pro folio, vana quod aura rapit.
Sed quibus has commendo preces, rapis, Æole, frondes,
  Auolat in profugis frondibus exſul amor.
Vos, ô luſciniæ, vos, ô ſtirps caſta palumbes,
  Frondentes domino ferte, referte notas.
Inque ſinum ſcriptas folijs deferte querelas,
  Mœſtus vt ærumnis aggemat ille meis.
Si folium ſpatio fraudat breuiore lituras,
  Nec trahit hîc longas multa querela moras;
Frondea det ſaltem tenui modò pagina ſulco,
  Vt moriente linam verba ſuprema manu.
Et cui nulla ſalus, nec ſpes ſuper vlla ſalutis,
  Euſtachio ſcribam flens Theopiſta, Vale.
Hoccine mi coniux necis illætabile verbum
  Suſtineas? vitæ quin mihi reddis Aue?
Redde. quid ô, tardas viduæ ſolatia ſponſæ?
  Improba ſed Salue reddere fata vetant.
Spes leuior folio, querulas quod mitto per auras,
  Auolat. vlterius nil habet illa tui.
Si mihi defuerit iucundi fructus amoris,
  Quid niſi vis mittam frondea dona viro?

Tunc,

Tunc, vt ego viridi fortaſſis in ilice vidi
Bis geminas ramus quas tenet vnus aues;
Gratulor, ô, dixi, conſors cum turture turtur,
Qui trahis æquæuo vincla marita iugo.
Hei mihi! concordes ſed ſors ſecat inuida tædas:
Inuideo felix hoc tibi turtur opus.
Sic ego: credo meis nemus ingemuiſſe querelis,
Et gemuit caſus turtur acerba meos.
Aggemeres etiam, ſed enim modò turbida luctu
Qui mea verba bibas auribus, exſul abes.
Ergo meos triſti pingam ſub imagine caſus,
Deque meis diſcam caſibus ire tuos:
Naufragij quæcumque mei diſcrimina luſtro,
Heu! cadit ex omni parte premenda ſalus.
Deſeror infelix deſertis exſul in oris,
Quà vaga cumque trahunt me procul aſtra, vagor.
Molliaque eduris veſtigia detero ſaxis;
Aut lacerant nudos hirta fruteta pedes.
Non hîc vlla quies, gelidâ non ſomnus in vmbrâ;
Non me ſpes, miſeræ quæ medeatur, habet.
Pardalis & tigris toruo circumſtat hiatu:
Heu! imbelle caput qui tueatur, abeſt.
O, vbi tu coniux, viduæ ſolamen amanti?
O deſiderijs ſpes vbi prima meis?
Euſtachium clamo toto circumſona ſaltu:
Euſtachium reddit ſaltus & aura meum.
Et quoties ego te, toties vocat vlmus & ornus
Inter Hamadryadum Naïadumque preces.
Quin & Oreïadum ſimiles dolor inuocat auras,
Ipſe locus geſtit ferre, nec addit opem.
Numquid ades, reſonâque lates in rupe vel vlmo?
Quem teneam, coniux, hei mihi! nullus ades.
Cui nunc ergo querar? rupémne imploro vel auram?
Aura, ſimul rupes ferre retractat opem.
Te fors Oceanas tenet vltimus orbis ad vndas,
Languida vix laſſi quò venit ala Noti.

Forſitan in gelido te celat inhoſpitus antro
Caucaſus, aut tepidis abluit Indus aquis.
Hîc vbi te quæram toto circumuaga mundo?
Seu loca trita fugis, ſiue terenda petis.
Solamen ſi dulce nequis tot ferre querelis,
Mutuaque alternis reddere verba modis:
Pace tuâ liceat, cui vox hæc effugit aures,
Nunc aliò linguæ flectere fræna meæ.
Vos virides oculi terræ, violæque; roſæque,
Liliaque, & Tyriâ pulcher amello togâ:
A lunæ radijs tenues qui ducitis imbres,
Ite queri mœſtis obuia damna notis.
Quot gelidos liquido libatis ab æthere rores,
Tot lacrymis caſus ſcribite prata meos.
Et quot ſe folijs flos explicat omnis, & arbor,
Et tot item linguis diſcat amara queri.
Nec mage pinſe fauis mel dulcis alumna roſeti,
Sed lacrymis: rores hos Theopiſta dabit.
Quid mihi dulce foret, mea ſi dulcedo, meum mel,
Et ſi flos Placidus quem dolor vrit, abeſt?
Nunc apis ecqua leget mihi rore, roſâue, thymóue
Pabula læta, grauis ſi niſi viuo dolor?
Meque vrit ſine torre rogus tot edacibus annis,
Seu ver mite fauet, ſeu fera ſæuit hyems.
Quot numerat denſâ celer Auſter in ilice frondes,
Tot numero vitæ tædia dura meæ.
An ſaltem miſeræ ſpes quantulacumque maritæ
Nulla, tot ærumnis quæ medeatur, erit?
Quò mea cumque fero laceræ vaga vela carinæ,
Non benè pacatis anxia curro fretis.
Vlla nec auerſas queis flexero Numinis aures,
Mollior ad ſurdas affluit aura preces.
Quod ſupereſt vnum, ferus vt tulit omnia turbo,
Vota damus. votis creſcit alendus amor.
En voueo: vouiſſe parum eſt: ſuſpiria iungo,
Quem facilem flectant in mea vota Deum.

Si

Si vir adhuc errat, vos oppida, rura, cauernæ
  Hoſpita iam laſſo pandite clauſtra viro.
Sicubi deſertis ſuſpirat egenus arenis,
  Pocula fons, ægro pabula funde Ceres.
Sin rapiat leti vis intempeſta maritum;
  Occidat ipſa pari rapta marita nece.
Nauifrago fortaſſe virum ſin impia ſaxo
  Hauriat infidis, quæ fremit vnda, fretis;
Perpes inexſtinctum Placidi quæ ſeruet amorem,
  Innabit gelidis flamma ſuperſtes aquis.
Quaque natat pia flamma, ſequar per frigida Nerei,
  Rimer vt vndoſis oſſa ſepulta vadis.
Tunc pia, mi coniux, tumido ſuper æquore victrix
  Te reueham ſæuis lugubre pondus aquis.
Sed potiùs iuſto qui pondere temperat orbem,
  Parcat amans ſponſæ, parcat amanſque viro:
Meque pari, ſi non indebita poſco, catenâ
  Vinciat. ô vitæ ſors ſit & vna necis!
Quòd ſi ſpes nullam voueat ſecura ſalutem,
  Morſque parata premit, ſiue paranda venit:
Fas ſit, vt infelix peragam quoque cætera votis.
  Vrar io! rapidis ignibus vre dolor.
Vrar, vt in tepidas vaneſcant oſſa fauillas,
  Inque viri cineres excidat iſte cinis.
Sic fuerit gratæ permiſta fauilla fauillæ:
  Viuet io! leto poſtumus ignis amor.
Fœcundus cui puluis alit noua ſemina vitæ,
  Neſcit amor, ceu lux enthea, morte mori.

EPISTOLA XII.

ARGVMENTVM.

Qvas folijs notas & carmina Theopiſta mandauerat, ad Euſtachium delata finguntur. Quæ vbi

 ille

ille legerat, coniugis ſuæ calamitatibus grauiùs multò quàm ſuis ſe excruciari ſentit: inde animo ſuo mœrenti, ſolatij cauſsâ, gaudium illud obijcit, quo perfundendus eſt, ſi euenerit, vt in mutuos complexus iterum ruant.

EVSTACHIVS THEOPISTÆ.

NEſcio quo caſu, ſolis vbi diuagor aruis,
  Quas mihi mittis amans, detulit aura notas:
Euſtachio Theopiſta ſuo, lego; cætera fallunt,
  Quæruſci folio pubere triſtis aras:
Spina dat hirta ſtylum, viridem pars cætera frondem;
  Lacryma purpureo tincta cruore rubet.
Vt legi, ſtupui: tollenſque ad ſidera vultum
  Ingemui, madidis, ſicut ab imbre, genis.
Heu! vbinam, dixi, pars altera ſcripta querelis?
  Fraudat adhuc auidum pagina pura ſtylum.
Sic vbi multa gemens, varijs vagor auſus agris,
  Et trahit incertos ſemita cæca pedes:
Me tandem liquidi fontis deducit in oram
  Quæ ludit vitreâ candida Nympha domo.
Perſpicuis me Naïs aquis inuitat & vrit,
  Vrit in egelido lympida flamma lacu.
Sirius apricis incoxit vt artubus ignes,
  Abnuerim gelidæ nobile frigus aquæ?
Ergo latus deſumbe, latus ſubmitto ſub vlmo,
  Et tandem viridi molle recumbo toro.
Inde cauâ profugas lymphas celer haurio dextrâ,
  Et bibo cum lymphis, quas gena fundit, aquas.
Inde reſido, graui laſſus de ſole viator,
  Et reparo vires, quas graue fregit iter.
Ecce repens folium, pars altera nuntia luctûs,
  Labitur in pandum præda caduca ſinum.
Frondea dona breui pede Cecropis attulit ales:
  Vberior votis ſpes viret inde meis.

Col-

Colligo non vno volucres in puluere frondes,
    Quas notat obſcuro littera furua ſtylo.
Inſpexi: non laurus erat, non frondea palmæ
    Gloria, ſed ſpinis horrida ruſcus erat.
Scilicet effigies noſtræ frons hiſpida vitæ,
    Ruſcus alit ſpinas, aſpera ſerta, cruces.
Inde tuos Theopiſta gemens agnoſco dolores,
    Cui vir adhuc ſupereſt, & gemis orba viro.
Impalleſque cauis, exſanguis vt vmbra, latebris,
    Prô dolor! ante tuam pænè ſepulta necem.
Sollicitiſue vagare tremens, ceu cerua, frutetis:
    Mille canes vrgent, ſpicula mille volant.
Quot cogit ſors dura graues ſufferre labores,
    Vix credo numero vincat arena ſuo.
Quis, ſcit an infeſtis te barbarus opprimat oris,
    Barbaricæque gemas flagra cruenta nurus?
An dominâ venale caput nunc præco ſub haſtâ
    Gypſato iubeat te pede ſtare foro?
Seu mage quod palles (ſcelus hoc auertite Diui)
    Ferre Paris dirum cogat adulter opus.
Totque fugas, caſuſque & tot diſcrimina rerum
    Vt taceam, ſtrictas in tua buſta faces.
Forſan & ignoto ſub ſole nouiſſimus orbis
    Te tenet, indignis exagitatque modis.
Et fors bis gemini prope triſtia funera gnati
    Præda iaces Indis nunc inhumata feris.
Quidquid id eſt, tu credo, tuæ, mea vita, ſalutis
    Immemor, è damnis plus gemis ægra meis.
Nec minor ærumnis modus, ah! queis opprimor, eheu!
    Opprimor, infeſtis puppis vt icta Notis.
Saucia vela natant, fluitant ſuper æquora remi,
    Et fugit effrænas ancora rupta rates.
Nec tamen affulget cæcæ lux vlla carinæ,
    Speſue procelloſis enatat alba vadis.
Scilicet ambo ſacro concors in fœdera nodo
    Iunxit vt æquus Hymen, & dolor æquus habet.

Angimur incerti: nam turbidus omnia ſuadet,
Siqua nocere queant, iam nocuiſſe timor.
Læta quidem varijs miſer aucupor omina formis.
Omina! ſpes læuam fallit iniqua fidem.
Vota damus, lacrymaſque; ſed adhuc dolor acrius vrit,
Creſcit vt effuſo viuida flamma mero.
Sic vbi mille grauant ægram diſcrimina mentem,
Spes bona non æquo vincitur hauſta metu.
Te, metuo, medijs deprendant fulmina campis,
Fors & arenoſis Sirius vrat agris:
Aut te fortè cauâ ſpecus hauſerit atra charybdi,
Aut malè tranquillo naufraga ſtagna lacu.
Cernis adhuc dubio mihi cor ſub turbine leti,
Speſque timorque nouo verſat vtrimque mari.
Dum licet, ô! quoties humiles aduoluimur aris,
Queis pro thure preces, & pia vota damus!
Vox hic vna mei niſi pectoris vnicus ardor,
Ne quæ iunxit Hymen, mors malè vincla ſecet.
Sed metuo, nullis cui ſpes venit obuia templis,
Abſtulerint rapidi vota caduca Noti.
Hinc peto teſqua, quibus dentes fors expedit vrſus,
Qui laniet diris viſcera noſtra modis.
Aut intempeſto trepidum caput occulo ſaltu,
Siue ſcabris rimor recta maligna petris.
Deſertóue gemens in litore ſpecto carinas,
Quæque tremunt criſpo marmora cana mari.
Et dico lacrymans, Fors hac in puppe per vndas
Exſul egens coniux, vt celer vnda, fugit.
Forſan & ambo procul Româ mea viſcera gnatos
Abripit in ſeruum barbara prora iugum.
Nec datur, vt profugis pater imprimat oſcula gnatis!
Sic ferat affectus vis ſcelerata meos!
Quò feror? ecqua via eſt? quo puluere vener alumnos?
Ergon' oberratas rurſus obibo plagas?
Sed potiùs (quod enim votum datur æquius?) ô! ſi
Det Deus, vt facile eſt poſſe, quod opto, Deo:

Vt

Vt gnatos teneris adſtringam in vincla lacertis,
Vincula non vllo diripienda dolo.
Quando redux auidis innectens labra labellis
Intextam facili languida colla manu?
Quæ dabit hora ſacro ſtantes in limine natos?
Quando pio iunget pectore pectus amor?
Quando fugaſque, metuſque, & aperta pericula leto
Securo dabitur dulce referre metu?
Tu mihi quando comes, geminique ex ordine nati;
Multa dabo gnatis ſuauia, plura feram.
Narrabis caſuſque tuos ſoboliſque labores,
Quæ trepide geminum clauſit vtrimque latus.
Vtque puer pauitans ceruice pependit alumnæ;
Obuius infeſto dum ſtetit ore lupus:
Si tamen vllus adhuc puer eſt à cæde ſuperſtes;
Quem non hinc pardus diſcidit, inde tigris.
Fòrs freta vincta gelu, puluis fòrs feruidus æſtu,
Fòrs ſyluæ, duri fòrs tenuêre ſpecus.
Si non Bactra, nigróue ſolo Gangetica tellus,
Siue Getæ, & duri barbara corda, Scythæ;
Si non diripiant rapidoque in vertice mergant
Æquora barbaricis barbariora Getis.
Fòrs erit (incluſos animo narrabo timores,
Horret adhuc damnis mens tremefacta tuis)
Vt puer ille, vel ille truci iam præda leoni
Flens ſteterit medio pendula dente feræ.
Bellua iamque fremens morſus aduertat hiantes,
Increpitetque aſpris dentibus ira minas.
Siſte precor, dicam; vel ab vngue minace leonis,
Vox animo plagas imprimit iſta meo.
Lata ſed innumeris cur explico vela querelis,
Longaque fortunæ tædia pando meæ?
Forſan adhuc niuei voluuntur in æthere ſoles,
Sæpè refert nitidum fœda procella diem.
Vſque adeò nemo fatis vrgetur iniquis,
Quamlibet immenſis ſors premat atra malis,

Quin graue Saturni ſidus meliore ſub aſtro
Leniat alterni candida ſtella Iouis.
Me licet euertat longis ſors læua procellis;
Spes tamen ærumnis pullulat alma meis.
Sæpè ſuâ vidi truncos procul arbore ramos,
Vnde renata nouas trudat oliua comas.
Et vidi viduam ſub fulmine frondibus vlmum,
Quâ ſterit audaci vitis opima mero.
Nec mihi deſpero tandem felicius æuum
Forſitan in ſeros poſſe redire dies.
Hos vbi ſæpè dies mecum ſub corde reuoluo,
Tunc quoties auidâ, dico gemens animâ!
Quin te ſtringo, pioſque ſimul mea viſcera natos,
Oſculaque alternis figo, refigo genis?
O! quis erit tunc ille dies, quis Phoſphorus albi
Conſcius Eoi, nox cui nulla redit?
Cuncta repentè nouis ſe comat arena coronis,
Quam preſſit lacero flens Theopiſta ſolo.
Compeſcant, precor, Æolidæ, quas miſta procellis
Prælia ventorum detonuere, minas.
Et placidi Zephyri niſi lene quid aura ſuſurro
Innuat, arguto ceu lyra blanda ſono.
Et Dryas hîc viridi ludatque trematque flabello,
Qua tremuit ſæuas frater vtrimque feras.
Quin & Oreiades montana per orgia ludos
Inſtituant, coniux quà graue preſſit iter.
Iucundáſque agitent Nymphæ per prata choreas,
Queis miſer infauſtis paſſibus ingemui.
Credibile eſt, oculus ſol aureus ille dierum
Luſtrabit radio nobiliore ſolum:
Clarius vt ſpectet quæ gaudia & oſcula felix
Gnatus vterque ferat, reddat vterque parens.
Sed quid ego demens mendacis in omina voti
Blandior ærumnis in noua damna meis?
Nónne fidem vani pulchrâ ſub imagine gaudî
Spes vbi fruſtrat inops, acriùs vrit amor?

Rurſus vt antè ſuis en me ſors improba nimbis
  Opprimit, & curas priſtina cura refert.
Ambo, vides, toto diuiſos orbe Quiritûm
  Rurſus aberrantes terror & angor agit.
Sis licet hinc abſens, quocumque vagere frutero,
  Specto tibi duris ſaucia membra tubis:
Sollicitâque hamata manu quaſi ſpicula vello.
  Vult meus ire tuo ſæpè dolore dolor.
Sic & vbi dumos vel inhoſpita ſaxa retractat
  Gnatus vterque, meus creſcit vtrimque labor.
Nam memori ſedet vſque ſinu, nec aberrat imago
  Lugubris hinc gnati, coniugis inde meæ.
Quam quoties ſpecto (quaſuis mens ſpectat in horas)
  Inde lego ſæui ſpicula cęca metus.
Fortè peragrato tot vt orbe reuoluero curſus,
  Oſſa legam diris oſſa relicta feris:
Fulmineóue feri iam ſaucia dente leonis
  Ah, Theopiſta meam ſerò vocabis opem?
Mortis vbi facies animo tam dira recurſat,
  Hei mihi! frigidior marmore dirigui.
Cor vires vtcumque nouam collegit ad auram;
  Mox cadit in lacrymas lumina diſſoluens.
Quid teneras lento torres mors igne medullas?
  Nec pereo, cui ſit certa perire ſalus?
Viuo quidem, ſed ſic funeſtam vt viuere vitam
  Sit mera mors; certè mortis imago meæ eſt.
Parcere vis? rapido ſimul & ſemel opprime ferro,
  Nec ſine longa nouæ tædia ferre necis.
Viſcera qui gnati laniarit, & ille parentem
  Appetat, & mitis tum fera pardus erit.
Sic ego; ſecuram poſcens à morte quietem,
  Siue meis curis, ſeu, Theopiſta, tuis.
Vt quid enim cæli tuear conuexa ſereni,
  Mens cui luctificâ nube ſepulta iacet?
Et mea lux abſis, ſimul & duo lumina gnati,
  Si non luminibus carius ambo iubar.

Æternumque aberis, potero tot an ergo dolores?
At potero, Ieſus ſi modò ferre iubet.
Hæc moriens ſigno tibi verba nouiſſima, ſummum
Euſtachij votum fers Theopiſta tui.
Opto legas præſens lacrymis quos miſceo queſtus,
Auribus vt queſtus, ore bibas lacrymas.
Vtque pio tandem claudatur epiſtola verbo,
Id mihi quod nullum eſt, ſit tibi dulce vale.

EPISTOLA XIII.

ARGVMENTVM.

Miſerias ſuas, & durum à filijs diuortium exponit Theopiſta, de illorum ſalute magis, quàm de ſuâ perturbata: inde ſuam ſollicitudinem explicat, ac deſiderium, vt illos aut viuos periculis eximat, aut mortuos tumulo mandet.

THEOPISTA GEMINIS SVIS.

VNde licet, non vnde iuuat, Theopiſta ſalutem
Mittit ab ignotis hanc tibi, nate, plagis.
Et rogat, vt miſſum tibi ſit pro munere votum:
Vana licet, veri vox ferat iſta fidem.
Vin' querar infelix, queis opprimar anxia damnis?
Dic querar, & ſpinas queis roſa cincta perit.
Me tulit inuitis Paris alter adulter ab vlnis,
Eripuitque meo (vis fuit illa) viro.
Me quot in ærumnas exinde reuoluit & hoſtes
Sors nimiùm palmis inuidioſa meis!
Vix erit vt credas, queis hauriar obruta noxis.
Quàm miſer eſt, cui ſors vincit iniqua fidem!
Me minùs hic tangit, rebus tamen angor in arctis,
Quàm tua damna, quibus ſæuiùs icta gemo.

Ah!

Ah! ſi ſors miſeræ non parcit acerba parenti;
  At ſaltem puero parcat amica meo.
Tam tener inuidiam moueat ſine crimine ſanguis?
  An meruit crudam vix ſata vita necem?
Qui mihi formoſo flos vnus & alter in horto
  Vix trudit teneras pubere fronde comas,
Vere ſuo cur ille breuem non gaudet in horam?
  Mors ſed ei parcas inuidet atra moras.
At cui non mortis ſub falce, nigraque cupreſſu
  Sortitur dubias vrna ſequeſtra pilas?
Hoc ita ſit: lex vna mori eſt, pueroque ſenique.
  Sed cur ſtirpe tuâ flos procul ille perit?
Ipſe pias matris nec, gnate, recumbis in vlnas,
  Exſpirans animum pectore frigidulo?
Sed meliora Deus. dirum quod abhorreo letum
  Lætior in Stygios auehat hora lacus.
Si tibi mors parcat, ſanguis meus, æqua parenti,
  Iamque per innumeras, parue, vagare vias;
Te quibus in campis? quibus, ô mi paruule, ſyluis
  Venabor? dubiæ quæ via certa fugæ?
Quæ domus admittit? quis te pius aduocat hoſpes,
  Aut alit vmbroſis lactea cerua locis?
Quæ tenet ara? manus queis ſupplicat obuia templis?
  Aut vbinam legas vltima vota Deo?
Quòd ſi tu Solymas raperis, mi nate, per oras,
  Me rape: flens Solymis & comes ibo plagis.
Sin autem Aſſyrium nouus abripit error in orbem,
  Quà Babylon denſâ turre ſuperba ſtetit:
Atque ibi fors rabidos inter luctare leones,
  Horrendiſque tremis dedita præda feris:
Ipſa ferox ſæuo pugnabo leæna leoni,
  Exſculpamque, auido quam premet vngue, dapem,
Teque adeò eripiam medijs vel faucibus Orci,
  Et ſtabo intrepido per fera monſtra gradu.
Sin minus, & iuſtum ſors damnat iniqua furorem,
  Ferrea ne frangam fortibus ora feris:

Iſacidæ

Iſacidæ ſaltem (quid ceſſas Angele?) vati
Æmula de tereti pendula crine vehar.
Inde miniſtra dapum Babylonida ſiſtar ad arcem;
Sic mihi tu Daniel alter alumnus eris.
Fortè tamen nullâ ſi fidus in vrbe receptus,
Omnibus errandum ſed tibi ſemper agris:
Et iubeat ſæuis nimiùm ſors læta procellis,
Vt ſedeat nullo ſub lare tuta quies:
Caucaſis impediet nil bruma, nec Africus ardor,
Quò minus errantem perſequar exſul ouem,
Perſequar; ad Stygias quamuis deſcenderis vmbras,
Aut Styge ſi quidquam tetrius Orcus habet.
Hæc inter teneris ætas cui fluxa medullis
Dum gemis in diris obuia damna vijs:
Quale queo dare cumque, pio dabo ſedula gnato
Obſequium: votis id cape, gnate, meis.
Parue tibi magno dignas precor Hercule vires,
Queis tot in ærumnis proſpera bella geras!
Atque vtinam comitet dux dexter & æquus euntem,
Aut tibi ſol fido ſidere ſignet iter!
Quòd ſi veliuolos puppis terit aduena campos,
Teque vehat Tethys non graue pondus aquis:
Mitior eia pio precor, Æole, parce puello,
Palantiue maris per vada parce trabi:
Ancoraque optatas fac mordeat hoſpes arenas,
Remus vbi Nerei cærula terga ſecat.
Et tepido Zephyro gelidos infringe Triones,
Eure procelloſos & mihi vince Notos.
Quique graues æſtu torrent ſitiente medullas
Alſior æſtiuos temperet aura dies.
Lactea cui primi floris vix degitur ætas,
Heu puer immiti ſole vel imbre cadet.
Sed quid ego ventos? ſæuis ſit gratia ventis?
Mite quid inſani ſpondeat ira Noti?
Ite feri fratres, fuga quà rapit ales habenas,
Ite ſub vmbroſum caſtra ſonora ſpecum.

Æolidæ crudele genus, viſque horrida bellis:
Æolidas vnus vincet inermis amor.
Sicubi nempe vagis te fors offendero campis,
Omnibus vna locis obuia cura ſequar.
Ipſa regam faciles vndoſa per æquora curſus,
Ipſa legam certas quà, præit vrſa, vias:
Ipſa fluentiſonis ſubmittam vela procellis:
Ipſa leui pandam lina regenda Noto:
Ipſa graues frangam ſoles viridante flabello:
Ipſa breui ſternam gramine læta torum.
Denique cuncta ſtruam ſeruandæ dona ſaluti.
Nam ſaluo in gnato pars bona ſalua mei.
Hinc ego quale metam grandi cum fœnore munus!
Quanta legam gaudî pignora! quale decus!
Sin verò placidam mors inuidet impia vitam,
Liuida cui diro ſpicula felle virent:
Vipereoque vibrat liuentia tela veneno,
Mordacique ferit dente ſagitta iecur:
Et mortis cadis in falces, cadis inde ſepulcro
Heu! deſiderijs vltima meta meis:
Me pignus ſociale necis mors addat alumno;
Si tamen vna duos imperat hora mori.
Malo tamen ſeruet vitali in germine ſeram
Spes ſobolem, vitæ ver cui dulce viret.
Sin minùs, at ſaltem (quid iuſtius? annuat ô ſi
Sors melior!) gnato dona ſuprema feram.
Neu vetet extremi mors ſoluere munus honoris!
Manibus eia pijs det pia iuſta parens.
Diluat, ô! calidâ corpus frigentis & vngat,
Et gelidum cingat cærula vitta caput.
Componatque breues artus, cingatque cupreſſu,
Et defleta cauâ membra reponat humo.
Aut amor ingenti mihi diuide pectus hiatu,
Et gnati cineres hoc, precor, abde ſinu.
Ipſa ſuos ſi terra parens pia condat alumnos,
Cur neget hoc nato mors minùs æqua meo?

Tum

Tum mihi nónne nouæ quaſi pars erit altera vitæ,
  Bis mea materno pignora ferre ſinu?
Forſitan afflabit gelidas noua flamma fauillas,
  Flamma mei cordis, quam pius afflat amor.
Aut ſaltem (Superi faciles vos eſte) ſepulcrum
  Par tua coniungat oſſibus oſſa meis.
Sic vbi pár miſtis lapis imprimet ambo fauillis,
  Viuet in ambobus poſtumus ignis amor.

EPISTOLA XIV.

ARGVMENTVM.

IOannes cognomento Calybita, Eutropij Senatoris Romani è Theodorâ filius, egregios diuini amoris igniculos tenero in pectore iam inde ab infantia conceperat; vnde cum ætate flamma mirum in modum in animo generoſo cœpit adoleſcere, & ad ardua graſſari: eò vſque, vt etiamnum penè puer auitos focos & ampliſſimas opes, Dei impulſu, ignaris omnibus deſeruerit, & (quod mirere) ſub ſordido paupertatis inuolucro, vbi ignotus redijt in parentum oculos, delituerit. Interim acerbus eos dolor acri eoq́; diuturno morſu diſtringit, donec tandem Ioannes iam natu grandior ſub mortem eum lenierit, dicam, an magis exacerbarit. Aperuit enim iam moriturus, qui vir eſſet, & eius rei teſtem S. Scripturæ librum auro gemmiſq́; diſpunctum in manus parentum, vnde acceperat, repoſuit. His autem litteris mater luctu & lacrymis obruta, miſerandam illam filij ſui fugam amariſſimè deflet, optatq́; inſtar Protei in omnia transformari, vt filium profugum tandem deprehendat. Ioannes Bollandus xv. Januar.

THEO-

Theodora ſvo Ioanni.

SI ſinis antiqui fontes aperire doloris,
  Quo riui lacrymis iam tot iere meis;
Expediam. ſed enim non expedit ire querelas;
  Quidquid id eſt, ardet turbida lingua queri.
Ludebas gemini dum nuper ob ora parentis,
  Et quaſi geſtibas dicere, nate, Vale:
Ora inhians auidis vbi diripis oſcula labris,
  Quæque rapis, blandis ſuauia reddo genis:
Tum ſenſi, fax quanta meis foret hauſta medullis,
  Dum flueret labijs ignea vena tuis.
Aſt vbi longinquis fuga te tulit auia campis,
  Tum demum penitas arſit in vſque fibras.
Totque meo fugiens auxiſti pectore flammas,
  His etiam accendat luctus vt ipſe faces.
Hoc comite ambiguis perrimor operta cauernis;
  Hoc comite apricis diuagor vda locis:
Vt te nempe nigris euoluam, gnate, latebris,
  Nunc indeprenſum qui teris exſul iter.
Sed quid vana cauis te venor vbique ſub antris?
  Ah! video; hybernus ſpes mea facta ſopor.
Cùm rapiat miſeræ te ſors inuiſa parenti;
  Accipe, queis votis te, mea vita, ſequar.
Opto, ſim luteis hederæ ſtirps picta corymbis,
  Anguipedeſque traham curua per antra gradus.
Siqua ſcabro ſpelęa tegunt te concaua topho,
  Furaturque oculis nox inamœna diem:
Vt tenerum viridi tibi tangam termite pectus,
  Subtexens auidis frondea vincla comis.
Et certè videor iam lenta ſequace flagello
  Sylua per obſcuri ſerpere tecta ſpecus.
Sæpè gemens dico, Vario me vertite Diui
  Corpore: pro nato Protea mater agam.
Cingite me palmâ: palmæ frondebo coronâ,
  Frangat vt æſtiuum palmea ſcena diem.

O! cur non rapidis ſupereuehor æthera pennis,
Siue columba tuis, miluie ſiue tuis!
Longinquis oculi radijs vt metiar orbem
Qui ſecat Eoas Heſperiaſque plagas;
Deprendamque fugam ceu lyncea fulminis ales,
Et gnati inſidam præpes amica caput.
Saltem in Mercurij liceat tranſire figuram,
Qui breue facundo marmore ſignat iter.
Si dubio pertuſa tenent te compita flexu,
Nate, parum certis dux ero certa vijs.
Quòd ſi iam patrias curſum deducis ad arces,
Duxque comeſque breui calle præibo viam.
Noſco Quirinali quà ſurgunt culmine turres,
Noſco Palatino candida tecta iugo.
Noſco domum thalamumque, & quæ te prima cadentē
Excepit gremio terra beata meo:
Hìc & adhuc cunæ, lactens queis vagijt infans,
Qui modò vir quouis tot ſecat orbe vias:
Quot ſecat ille vias, ego tot quoque vertar in ora,
Aſſequar vt vitæ qui via prima meæ!
Sin fontes inhiat ſitientibus hoſpes arenis,
Vrit & apricum Siria flamma caput;
Quæ diu mœſta ſteti Niobe ceu ſcrupea terris;
Nunc gelidas poſſem fundere riuus aquas.
Si qua fames vrget; pomoſæ filia ſyluæ
Quàm vellem autumno præcoce poma dare!
Denique me, Proteu, nullo non indue vultu:
Indue; fons idem ſemper amoris ero.
Quamlibet effigiem transformi mentiar aurâ;
Ficta quidem; verus ſed cui viuat amor.
Sic ego luctu amens varias mihi poſtulo formas,
Te tuus vt variâ fraude refinxit amor.
At quia non licuit ſe tot transfundat in vſus
Puluis, & è fragili puluere cretus homo:
Nec datur vt quaſcumque traham de corpore formas,
Vt ludit varijs diſcolor aura modis:

Te

Te ſequor errantem per ſicca, per humida, gnate,
Facta parens varijs error & ipſa plagis.
Quæ campos fluuijs diſtinguit, & vrbibus agros,
Semper mappa oculos ſiſtitur ante meos.
Quadrifidoque ſuum ſub cardine diſſecat orbem,
Et quâ ſol gemino ſurgit in orbe, domum.
Hîc lego ſemiuſtam flammâ Phaëthontide Cirrham,
Quæque rigent alto Caſpia regna gelu.
Hîc datur Auroræ fuſcas deprendere gentes,
Candidaque Occiduo regna repoſta mari.
Hîc ego ſollicito iuga metior omnia viſu,
Omniaque alternis metior arua plagis.
Oppoſitum vitreus mihi voluitur orbis in orbem,
Mille vias ſecto viſus in orbe ſecat.
Meque ſuo radio varias deducit ad oras
De pictis tabulis erudiendus amor.
Inuitamque nouos cogit me diſcere ſoles,
Quà Melo patre calet, vel gelat Iſter aquis.
Quà ſitiens Libye deſertis ſqualet arenis,
Torridaque Elicio ſupplicat herba Ioui.
Quæ tellus ſit pacis amans, quæ turbida bello,
Quoue ſalus gnato, quoue ſit orbe timor.
Et Latias quà findat aquas ratis hoſpita ponto,
Quæue rati felix aura ſecundat iter.
Adſtitit & lateri ſoror, & ſimul ęquora luſtrat,
Æquora veliuolis experienda vijs.
His vbi non te, nate, ſequor circumuaga tetris?
Nunc noto rura breui, nunc noto regna ſtylo:
Oppidaque, impoſitaſque minacibus Alpibus arces,
Fluminaque anguineis lapſa relapſa vijs.
Intenditque aciem radius teres omnibus oris,
Nulla ſed affectus tetulit ora meos.
Quî potuit nam fieri tot mille per arua vel vrbes,
Vt mihi nulla tuæ ſit nota certa domus?
Vana fides vanæ nos fallit vbique tabellæ,
Hîc vbi te nuſquam ſpecto, nec orba ſoror.

R Hinc

Hinc in perpetuos queſtus nunc itur, & imbres.
Hinc ſoror, hinc triſti iuncta ſorore gemo.
Aggemit & nutrix longæuis pallida curis,
Quam ſuus ignotis fraudat alumnus agris.
Inuiſáque oculos tabulâ detorquet ad aras.
Fors dabit ara piam, quam negat orbis, opem.
Fronde ſacella tegit, cingit ſacra ſigna coronis:
Et crepat argutis thurea flamma focis.
Quin etiam ſanctos nutricis adæquo labores,
Et iungo ſocias altera vota preces.
Omnibus & templis votiuas figo tabellas,
Omnibus & portis obuia vota ſedent.
Pura coronatis quà victima cæditur aris,
Horna pias Diuis immolat agna preces.
Sed quia de cæcis radius non emicat aſtris;
Conqueror, & nutrix me duce docta queri.
Sed fruſtra gemitus viduo ſolamen amori.
Sola querela ſuper cætera ventus habet.
Ergón' vt incaſſas effundam vota per auras,
Tot lunis gremij pondera lenta tuli?
Luna redux decimo fulſit Lucina labori,
Occupet vt partum barbara terra meum?
O felix puer ille, rudi cui lucis in aurâ,
Vna dedit naſci lux, dedit vna mori!
Venturæque gemens ad cruda crepuſcula vitæ
Occupat ærumnas præcoce morte dolor!
Te Deus at voluit fauſtis adoleſcere luſtris,
Gnate, precor, matri vt gloria ſera fores.
Gloria ſiqua manet felicem ſera ſenectam,
Obuia ne tardam gratia fallat opem.
Nec priùs aſtrigeris tua creſcat adorea regnis,
Debita quàm matri præmia, nate, feras.
Tunc vbi te ſiſtes pius hoſpes ob ora parentum,
Diripieſque auidis obuia labra labris:
Amplexuque tenace hinc inde hærebis in vlnis,
Teque oculis rapient hinc ſoror, inde parens:

O! quali tunc ille dies ridebit Eoo!
Aurea quàm pulchras flectet habena rotas!
O quot ego pictis argentea lilia pratis,
Ipſa metens ſpargam florea dona manu!
Quin & Roma parens medijs epulata coronis
Inſtituet feſtis orgia cincta choris.
Pendebitque, redux proles vbi naſcitur vrbi,
Ante fores lætis texta corolla roſis.
Felicemque hunc, credo, diem pro Conſulis oſtro
Illinet vrbs faſtis nobilitanda ſuis.
Totque prius lacrymas Lenæo diluet imbri,
Cæcuba quem vitis, ſiue Falerna bibit.
Vel modico pedis è flexu reducisſue carinæ
Hæc te Romilidûm gaudia tanta manent:
Et lenta inuitas ſuſpendunt fræna quadrigas,
Quæ reuehant ſacrâ publica vota viâ?
Exſtinxes vtinam iam dudum dulcibus iſtis
Delicijs, totâ quæ flagrat vrbe, ſitim.
Sed me, teque, tuoſque patres auidoſque Quirites
Defraudas iuſtis ſaxeus illecebris.
Atque adeò ſurdas obduras ferreus aures,
Nil tot vt emoueant auia corda preces,
Inflectantque pedem (flexu quis promptior illo?)
Qui perſtat medio ceu petra fixa mari.
Iucundi quid, quæſo, Syris rimare latebris,
Aut Libyis flammis, Caucaſeoue gelu?
Auroræ in populis aliam vis quærere Romam?
Pulchrius an Româ fuſca det ora decus?
Quid niſi deſertis ærumnas quæris arenis?
Ecquis ab ærumnis gaudia certa metat?
Ah! furor, ah! furor eſt (ſed læſæ ignoſce parenti)
Velle frui damnis, & ſua dona rapi.

EPISTOLA XV.

ARGVMENTVM.

Svum & totius familiæ luctum è filij fugâ indicat mæſta mater, eiusq; ærumnas & paupertatem in peregrino ſolo miſeratur: tum illum ſuauiſsimo atque indulgentiſsimo matris nomine propoſito ad paternam domum reuocat. Ioan. Bolland.

THEODORA SVO IOANNI.

COnſcia curarum, viduique interpres amoris
En tibi deſertâ literà miſſa domo.
Ah! vbi ſis neſcit: nullis non quærit in oris,
Narret vt ærumnas officioſa meas.
Scilicet infelix vxor tot ſaucia damnis,
Quot numeras, patriâ dum fugis arce, gradus.
Altior octauo, decimo minor inchoat annus,
Ex quo longa mei ſæcla doloris eunt.
Terrigenûm curas clarâ qui lampade luſtrat,
Aſſiduò luctus luſtrat & ille meos.
Idque tuam dum, nate, memor retracto figuram,
Eximiúmque ægrâ mente repingo decus.
Cura redux animum partes mihi verſat in omnes,
Exſul & orba tuam quo ſequar orbe fugam?
Terrificant etiam matrem funeſta pericla
Omina; ſeu terras, ſeu maris alta ſecas.
Terribiles videor monitus audire ſiniſtræ
Sortis, & infeſtæ cernere viſa necis.
Mors vbi non, terris fera quæ deſæuit & vndis,
Accubat inſidis inſidioſa vijs?

Præcipuè

Præcipuè patrijs extorris finibus hoſpes
Limite non certo ſiquis oberrat iter.
Sic ego ſollicitos cùm ſole oriente timores
Excito, dum rapidis ſol cadat actus equis.
Nec tamen vſque cadunt cum ſole cadente timores,
Ipſa licet furuis nox premat alta rotis.
Aſtra quidem pronâ de nocte cadentia ſuadent
Fracta malis molli corda fouere toro.
Sed placidæ nimiùm malè turbida cura quieti
Obſtrepit, & noctis gaudia parua rapit.
Hinc ego, nocturnæ cui iam pars nulla quietis,
Peruigil in triſtes excubo diuidias.
Suſpenſam ſi lenta tenent inſomnia mentem,
Fallit & infidus lumina feſſa ſopor:
Ecquid agam, quæris? ſolamen quæro dolori,
Si tamen in mœſta nocte leuamen erit.
En pernox longi traho penſa diurna laboris,
Sedulaque è Tyrio vellere texo togam.
Ora Semiramio cui ſtat circumdata limbo:
Neſcio num gnato, ſiue terenda viro.
Exul abes, qui, gnate, geras, quas texo lacernas;
Et pater in nato pallida larua perit.
Quare, vbi iam pleno ſua ſtamina reddo quaſillo,
Siqua relicta domi eſt, oſcula figo, togæ:
Et dico lacrymans; Munus modò dulce parenti,
Dum tegeres gnato textilis vmbra latus!
Dulces exuuiæ nuper puerilibus annis,
His vbi delicijs ſors dabat æqua frui.
At nunc æterni pignus ferale doloris,
Et deſiderijs ſpes fugitiua meis.
Improba ſic matris fraus ergo fefellit amores?
O importunæ perfida noxa fugæ!
Tun' potes oblitus ſortis melioris & æui
Mille per ambages dura pericla ſequi?
Tun' potes hibernis Aquilonibus ire per æquor,
Æquor inexpertâ quod rate pauper aras?

Verſicolore torus plumâ cui fulſit & oſtro,
Anne potes durâ, nate, cubare trabe?
Ille tot Æneadûm dignandus honore parentum
Solus an externæ Codrus egebis opis?
Exiguæ at pretio ſtipis erro liceris Olympum:
An Romæ poterat nullus Olympus emi?
Tam tenui cælum ſi vendit munere Ieſus,
Ecquid emet tandem diuite Roma manu?
En tua dotales tranſcribo in prædia fundos:
His tibi mercandas quære ſalutis opes.
Hîc ingens auri modus; hîc numeroſa ſupellex;
Hîc & inexhauſto copia lauta penu.
Hîc farris numerus, variæque hîc gratia ſyluæ;
Paſcuus hîc denſo de grege viuit ager.
Hiſce frui poteras. Votis quæ cauſa nouandis
Impulit ignaro clam patre velle fugam?
Furtiuum ſed enim, quem neſcio, quætis amorem?
An monitu Diuûm, videris, exſul agas.
Si pius vrget amor, ſe cur tegit anxius vmbris?
Sin; cur hæc pietas impia crimen amat?
Nil opus occultas procul hinc meditere latebras.
Iunget opem curis & mea cura tuis.
Credo equidem: magni pia iuſſa capeſſis Ieſu,
Hæc & amo Ieſu ſub duce ſigna ſequi.
Si lubet, ambo pares iungemus amoris in vſus
Fœdera, diuinâ fœdera pacta manu.
Gnate, diu placito matris pugnabis honori,
Quem pietas lacrymis debet auita meis?
Te nihil ergo tui miſeret? miſerare parentes,
Gnate, ruinoſæ ſola columna domûs.
Te moueat genitor maturo debilis æuo,
Cui noua de gnati clade ſenecta venit.
Tranſuerſo ſoror ecce iacens in limine crines
Spargit, & exclamat turbida, Frater vbi es?
Frater vbi es? quis te mihi caſus iniquus ademit?
Quâ tu raptus abis, hac volo ſorte rapi.

Quid loquar, vt nutrix obtundat & vbera pugnis,
Quæ tibi vitales ſæpè dedêre dapes?
Aſpicis hæc: nec adhuc animum vis vlla labantem
Impulit, vt patrijs vela reflectat aquis?
Pipio criſtatam comitatque ambitque parentem:
Nec fugitat matrem parua columba ſuam.
Aſſequitur miluum milui non degener heres;
Par & adunca Iouis præpes oberrat iter.
Hinnulus altricem, fœtam rudis vrſulus vrſam
Appetit, & pardum pardalis ipſa ſequi.
Et quæ non fera ſe nutricis ad vbera iungit?
Et fugis ah! ſæuis ſæuior ipſe feris?
Aude iterum Latijs remos aduertere ripis,
Ibit in occurſus Roma beata tuos.
Stabit arenoſo tum litore mater, & omnis
Gens, conſanguineâ par cui ſtirpe genus.
O ego ter felix, gnati hæc ſi præmia ſpectem:
Huius in amplexu tum mihi dulce mori.
Vt celer auratis ea ſæcula Phœbus habenis
Aduehat, Oenotrio ſæcla terenda ſolo:
En niueas votiua virent mihi ſerta per aras,
Et florent nitidis limina ſancta roſis.
In votis agit excubias nox neſcia noctis,
Ocyor vt tardos hora reflectat equos,
Flexanimoque è thure pios vrbs libat honores:
Viuit & in ſanctis multa lucerna tholis.
Hoc precor extremum placido de Numine munus;
Candida tam iuſtas ſoſpitet ara preces.
Heu rerum ignaræ mentes! quid texta liguſtris
Serta? quid ara iuuat ſupplice tacta manu?
Quidue preces, ſi nulla queant inflectere Diuos
Dona? nec aduertunt huc pia vota Deum?
Nempe pium, matri quem reddere debet, alumnum
Detinet extremo cardine dius Amor.
Et cui iure ſuas celer addere debuit alas,
Quâ redeat, volucri dat pigra fræna rati.

EPISTOLA XVI.

ARGVMENTVM.

MAtri ſuæ reſpondens Ioannes, diuino inſtinctu ſe patriâ domo fugiſſe commemorat, vitamq́ ſe degere iucundiſſimam in ſummâ rerum omnium paupertate.

IOANNES THEODORÆ MATRI SVÆ.

MAternas lacrymas quis neſcio detulit hoſpes,
  Ambigo num Româ venerit, ánne Pharo?
Vix lego, ſollicito fibra palpitat anxia pulſu,
  Omnis & exſangui ſuffugit ore color.
Scilicet ærumnas, gelido queis carperis æuo,
  In pectus pietas tranſtulerit ægra meum.
His ego te miſeror curis crudelibus vri,
  Me quia tranquillæ cura ſalutis habet.
Et graue pondus opes paupertas Numinis heres
  Excutit, ac cælo nobile carpit iter.
Vnde mihi modicæ ſuperat vix copia ceræ,
  Quæ tibi ſupremum mandat amica Vale.
Pone metum, ſi te paupercula cerula turbat,
  Perlege; pallenti cedet ab ore metus.
Dulce leges Salue, mihi quod ſpes conſcia Diuûm
  Scribit, in hoc viues munere ſalua parens.
Si gnati tibi tantus amor, pietaſque parentis;
  Eia frui gnati læta ſalute velis.
Sed gemis illacrymans memor ah! ad nomen alumni.
  Ah! video ardentes oſſa bibiſſe faces.
Nempe tuo ſæuos ſub pectore parturit ignes
  Gnatus in ignotis actius erro plagis.

Da

Da veniam ſi quò procul entheus ardor Ieſu
 Impulit, impulſas flecto per alta rotas.
Dulcia ſecuræ placuêre ſilentia vitæ:
 Tædet enim Romæ regna ſuperba pati,
Inſanique fori ſtrepitum, circique tumultum,
 Quæque fremunt toruis amphitheatra feris,
Et Cypridos ludos de ſemiviro comitatu,
 Quam colit haud caſtis putida ſcena probris.
Pace tuâ liceat: vanus mihi purpura ſplendor;
 Pulchrior in pullo vellere lucet honos.
Nec me gemma tenet rutilo nitor æmulus aſtro,
 Quæque vibrat pictis diſcolor vmbra togis.
Quid niſi bacca cauæ verruca fragillima conchæ,
 Roſcida quam Lunæ filia gutta parit?
Me nec auita trahunt claræ cunabula Romæ,
 Diuite queis fulſit plurima gemma toro.
Cruda remande memor lenti faſtidia partûs;
 Hæc dulci pietas leniet alma fauo.
Hæc tibi nectareum mel cælite ſuggeret vrnâ.
 Hæc bibe mella; cadet qui coquit oſſa, dolor.
Quid niſi ſecuros optas mihi mater honores,
 Inque pio gnato vis pia & eſſe parens?
Æterno me nonne Charis noua parturit æuo,
 Spes cui luciferas admouet alba manus?
Hac quæ fronte ſtetit, ſpes depulit alta coronam,
 Flore nouo flauas præpediente comas.
Quæ viret apta Deo primæui ſanguinis ætas
 Maturat ſenio poma legenda tuo.
Fraus ea te fallat; fraudem licet anxia damnes,
 Dummodò cauſſa piæ ſit mihi fraudis amor.
Erudit ille rudem pulchrâ catus arte iuuentam;
 Ille docet, quâ vix rima ſit arcta, viam.
Ille monet varijs os diſſimulare figuris;
 Mobilis vt Proteus quodlibet auſit opus.
Ille iubet (ſanctus quas non dolus explicat artes?)
 Exſulium patriâ nobile ſtare domo.

Conſulto fugit ille, reditque ſed attamen exſul,
  Sic redit, vt reditus ſit noua cauſa fugæ.
Sit dolus hic, qui ſic fallitque fugitque parentem;
  Non tamen hac hoſtis fraude doloſus ero.
Non ego mille fugas varijs traho peruagus oris,
  Quo minimè reris limine, figo gradum.
Et queis poma leges, patrio ſero limite plantas;
  Nolo peregrino puluere mala legi.
Pænè manu tangis, ſic nos vicinia iungit,
  Quos quaſi longinquo diuidit orbe dolor.
En iterum te fallo lubens, fugiòque parentem;
  Nec fugio: te fraus neſcia fraudis habet.
Parce precor; ſanctos & me ſine ludere ludos.
  Sed quibus in ludis ſeria cura ſedet.
Nempe lubet Chriſto dulces innectere nodos,
  Quos pius adſtringat qui fugit exſul amor.
Si fallo quod amem, fallam ſine fine parentem:
  Sed fraus hæc meriti nobile pondus habet.
Nam ſemel vt docuit dolus hic bene fallere matrem,
  Quid vetat hoc fallam ſæpiùs inde dolo?
Me, viden', in cæcas rapit enthea flamma latebras:
  Et mihi crimen erit, Numinis igne rapi?

EPISTOLA XVII.

ARGVMENTVM.

Vterque Decius pater & filius immanem in Chriſtianos toto Imperio Romano excitabat procellam. Interim Tryphonia Decij iunioris vxor ſacris Chriſtianis initiata fidem Deo adſtrictam acerrimè tuebatur. Decius itaque his litteris coniugem à religione nititur dimouere, quà minando, quà blandiendo. Vener. Beda XVIII. Octobr.

D E-

Decivs Tryphoniæ svæ.

NVm Decium decuit turpi ſuccumbere monſtro,
Qui regit inuictâ Romula ſceptra manu?
Qui potui ferro Scythicas exſcindere gentes,
Ad crucis arma minor nunc ego ludus ero?
Ergo meos thalamos vecors irrumpet Apella?
O pudor! ô fœdum, Martia Roma, nefas!
Inſuper Auſonidûm capût inſuperabile bello
Ille ter impreſſo proteret ergo pede?
Poſt decies binas, nimis ah! tu perfida Lunas
Deſeris adſtrictam Numine teſte fidem?
Sanus an æger amem? dubito, men' lumina fallunt?
Num tibi vera fides, vanus an error amor?
Siccine Cæſareo ſordet vir ſplendidus oſtro,
Et tibi delicias pauper Apella facit?
Vix ego crediderim. Quiſquam præ Cæſare Codrum?
Audeat hoc coniux coniugis opprobrium?
Sed tamen & metuo, totum ſi perpulit orbem
In ſcelus, & ſceleris ſemina ſparſa toro.
Sed nec-opina cauas mihi vox adlabitur aures,
Si memini; læuâ ſidit in aure ſonus.
Me rapidis, ni fallor, adit Caducifer alis,
Quem comitat vitreis diſcolor Iris aquis.
At quàm funereo triſtis color vmbrat amictu!
Hæc mihi ſic tenui murmure viſa loqui eſt:
Eia, caue Cæſar, nox Cæſaris incubat aulæ;
Aut potiùs noctis filia noxa tenet.
Chriſtiadumque chorus te cingit, & obſidet aras
Palladijs ramis, queis ſua Pallas abeſt.
Nocturniſque operata ſacris crucis Orgia coniux
Ambit, & arcano crimine vota facit:
Inuigilátque dolis, vnumque implorat Ieſum,
Cumque meri paterâ maſcula thura litat.
Non habet hæc arcum; Latiam tamen eſſe Dianam
Quis putet? innumeris cingitur illa feris.

In

In ſpeciem queis mite genus, voxque apta ſuadæ,
Blanda ſed acre nocens aſperat ora furor.
Per tibi ego hunc iuro, radijs quem pingit & auro
Sol arcum, ſoliſque aurea tela mei:
Ipſa frequens vidi furtiua piacula Romæ,
Vidit & obſcurum Cynthia ſurda nefas.
Cæſareiſque reos inferre penatibus ignes,
Vos & Soligenæ ſuſtinuiſtis equi.
Dixit; & Iris abit. reſpeximus; obuia Iuno
Stabat; & in vultu ſigna gementis erant.
Mœſta nec erubuit lacrymis violare pudorem
Ipſa licet ſummo ſit Dea nupta Deo.
His ego non credam? vix eſt vt credere poſſim.
Tryphonia an Decio fallet iniqua fidem?
Vt tamen adſpexi ſecreti furta piacli,
Mox ſtetit arrectis horrida ſylua comis.
Hoc Decij coniux? Deciâque hoc crimen in aulâ?
Sit thalamus noxæ conſcius ergo tuæ?
Vnde toro labes? labem dedit alter Apella.
Hoc auguſta Deûm dedecus aula pati?
Ille iugalis honos en quos vaneſcit in vſus;
Pro Decio, thalamo regnat Apella meo.
Fallor? an obſcœnis vlulauit Erinnys in vmbris?
Feraliſque nigro culmine bubo ſtetit?
Læua dedit (gemui) venturi ſigna doloris,
Quæ crepitat mœſtis laurus inuſta focis:
Sanguineos & viſa fuit lacrymare liquores,
Cæſareas quercus quæ viret ante fores:
Vt quid in Eumenidum mala gaudia & Orgia luctûs
Impreſſit ſocias hæc gena nupta genas?
Inceſtos thalami regnique in parte locaui
Chriſtiadas? ſceptrum crux premet atra meum?
Ah! pereant qui iuſta Iouis dum ſpicula temnunt,
Obſcœno Veneres pectore mille colunt,
Inceſtántque atris Iunonia præmia noxis;
Erubuit ſurcum Luna pudica ſcelus.

Me

Me miſerum! fœdi cui purpura conſcia probri;
Et cui tam tetro ſparſa corona luto.
Me miſerum! domitus fractis cui cornibus Iſter
Ibat; ero lacrymis lugubris vrna meis ?
Me miſerum! coniux cui neſcio præda tyranno eſt;
Dacia cui ſupplex flectere viſa pedes.
Iuro deos (miſero quid enim niſi vota ſuperſunt?)
Quæ patrat hanc noxam, noxia damna luet.
Sed tumidos animi præſtat componere fluctus;
Ritè mones. placido pectore lenè querar.
Vt quid enim rabidas Orco furor euocat iras,
Fors vbi mox concors gaudia reddet Hymen ;
Idque vbi ſe faciles tenerum cor fingit in vſus.
Vis quem dura nequit frangere, flectit amor.
Se mihi iunxit Hymen te par cum coniuge nomen,
Par quoque dotales iungat & vſus opes.
Adde Deos, pariterque Deas, qui fœdera firmant,
Dum ſancit propriam fax Hymenæa fidem.
Ah! tibi quis, mea lux, mentem ſic ſubripit error,
Error, &, erroris cæca libido, furor?
Te fallit magico Medeïs an herba veneno,
Quam falx Æmonijs legit ahena iugis?
An caput impuris dum fons tibi diluit vndis,
Diluit & mentem forſitan vnda tuam ;
Inde reor lymphata furis ſine more per aulam,
Fictaque neſcio quæ numina voce vocas.
Nec pudet infami nunc oſcula figere ligno,
Nuper Cæſareis oſcula digna labris.
Quin & aquis (ſed aquæ magico de carmine dirum
Crimen habent) ſpargis teque tuumque torum.
Impia at extundent gemebundo verba palato
Vngula, fax, vncus, crux, rota, lamna, rogus.
Eia, Dijs pugna. vincare, an Numina vincas;
Exitus in Dis eſt : Di ſua bella gerent.
Addo Dijs ſociam concors in prælia dextram;
Vt de Chriſtiadûm ſtrage tropæa ſtruam.

Nunc

Nunc age Dîs adole fumantem thuris aceruum,
 Atque operata meis ora reſolue ſacris.
Vt iubet aſtrigerum quæ cum Ioue temperat orbem,
 Quæque regit noſtros ſoſpita Iuno lares.
Ah! animæ necdum lex æqua retorquet habenas,
 Hîc vbi thuricremos increpat ara focos?
Quale nefas! rea thura cremas cui neſcio Verpo?
 Hæret in hoc vno voxque ſtyluſque probro.
Ne repures, quid origo ferat, cui falſa voluptas
 Sæpè dat euentus ſeria damna queri.
Quæ nuper Zephyro ſors eſt blandita ſecundo,
 Inſanos hodie verſat iniqua Notos.
Altiùs iſta cauis memor imprime dicta medullis;
 Sin minùs; oblitam pœna dolorque manet.
Quod non exorat molli vox blanda labello;
 Exprimet hoc duris vis operoſa minis.
Nec pia quem placido flectit lyra pectinis ictu,
 Horriſonis franget taurea plaga flagris.
An caput ergo virûm, cui tot fert Roma triumphos,
 Me crucis ad telum vincat inerma nurus?
Huccine pugnaces glomeraui ad ſigna Quirites,
 Vt Verpo vtilior, quàm mihi palma foret?
Vt tuear Chriſtum, tenet ara marita Penates?
 Prô! feret hîc noſtri præmia ſancta tori.
Ille dolis doctus ſæuas intexere peſtes,
 Criminaque incautis inſidioſa viris.
Ille potens in probra Deûm quas neſcio noxas
 Fingere, & hinc diris figere mille Iouem.
Ille dat Æmonio verti medicamine mentes,
 Pocula Circæis miſcet & illa fauis.
Et tali, mea lux, tali te credere monſtro?
 Hoc ſcelus Auguſtâ Dî prohibete domo.
Nunc igitur magicos eiura prouida rhombos,
 Magnaque cum magno Cæſare viue precor.
Sic facies, ſpero. quis coniugis odit honorem,
 Quem ſacer ingenuo fœdere vinxit Hymen?

Nî facis, hoc ego iuro caput, ſceptrumque Tonantis.
Sed præſtat placidâ ponere tela manu.
Quot ſtylus aſper arat tenerâ caua vulnera cerâ;
Et tot tela meo corde dat æger amor.
Tryphoniam Decio iam tandem redde: ſalutem
Reddideris Decio, Tryphoniæque decus.

EPISTOLA XVIII.

ARGVMENTVM.

SVam in retinendâ religione conſtantiam coniugi ſuo Tryphonia ſignificat, eumq; ad eamdem capeſſendam hortatur. Quòd ſi nolit iiſdem ſecum ſacris initiari, ait minas omnes mortemq; pro Chriſti *amore ſubeundam ſeſe contemnere.* Beda.

TRYPHONIA DECIO SVO.

DEſine velle tuis animum peruertere dictis;
Neúe probro ducas, quam pia ſeruo, fidem.
Neu mihi cui debes æquæui pignus amoris,
Armatas odijs ferreus adde faces.
Sed ſine quam pietas aram ſtruit, vſque tueri,
Vltima dum vitam finiat hora meam.
Atque adeò crux prima meæ quæ gemma coronæ eſt,
Adijciat ſceptris & ſacra ſceptra meis.
Turpe meæ ſpolium feret ergo ſalutis Auernus,
Impiaque infidâ thura cremabo manu?
Periuras Decij coniux num fallet ad aras,
Nupta Deo, ſanctam quam dedit antè fidem?
Hoc equidem nolis, ſi te fors gratia tangit
Vlla mei, & cur non gratia tangat? amas.

Nec

Nec patitur magni tua gloria Cæſaris heres,
Impia Cæſareâ crimina ſtare domo.
Sed tamen ex adytis vbi Iupiter incubat aras,
Tænaris adſpirat virus echidna ſuum.
Ipſe quidem ſenſiſſe negas; ſed triſte venenum
Afflat echidnæis ſepta Megæra comis.
Inſanas ſtimulis ardentibus excitat iras,
Atque odijs armat ſceptra cruenta ſuis.
Hinc illæ lacrymæ, nulluſque in coniuge coniux,
Quos ſecat alternos alter, & alter amor.
Mille Dijs Decius millenos immolat agnos:
Tryphoniæ aſt vni prima ſtat ara Deo.
Quid ſupereſt? caſto purum cor dedicat Agno;
Abiuratque nigros impia monſtra Ioues.
Nec tamen hinc nocet vlla ſacris iniuria tædis;
Nec male tu ſponſam quam tenet alter, habes.
Conſortem thalami Decium dedignet, & orbis
Imperium? tanto vix ego digna toro.
Mens memor his Decium trabeis intexit & auro,
Noſtra Semiramiâ quas manus ornat acu.
Non mihi fluxa fides, ſanctique oblita decoris,
Nec ſedet in toruo ruga ſupercilio.
Qui vitæ tenor ante ſtetit, ſtat & ille pudori.
Omnibus in curis cura ſtat vna pudor.
Sed ſine fraude pudor, caſtus cui tutor Ieſus,
Quemque ſacer ſanctâ ſub cruce ſanxit Hymen.
Crux mea dos, crucis ardor honos, crux gloria ſceptri,
O & ſi Decium par crucis vrat amor!
Quò mihi vir Decius, Decio ſi pugnat Ieſus,
Exululatque atro dira Megæra toro?
Quò mihi vir Cæſar, ſi Cæſaris horreat aras
Chriſtus, & infeſto ſubruat igne Deos?
Impius inuito cælum qui miſcet Auerno,
Tryphoniam Decio iunget iniquus Hymen?
Pronuba Iuno reas quæ fœdera iunxit ad aras,
Reſcidit hæc vni dextera pacta Deo.

Felices

Felices animæ, quibus hæc ſors optima Diuûm,
Aurea vt in thalamo cælite ſæcla trahant!
Quò mihi florenti præcincta lucerna corollâ,
Si mea lux Ieſus hîc ſine flore perit?
Vt quid & Aſſyrio ſtola floret amœna veneno,
Hinc ſi turpe ferant noxia corda probrum?
Quâ prior ipſe bibas, hac ſi bibo parte Lyæum,
Quid iuuat, hinc certæ ſi bibo philtra necis
Vt quid Erythræis armata ſuperbia baccis
Grandinat huc denſis gemmea tela dolis?
Faſtus vt hinc Chriſti ſanctos exſtinguat honores;
Expugnentque ſacram damna venuſta fidem?
His ego blanditijs, blandiſque ab honore periclis
Flectar? an his poſſint ferrea corda capi?
Eſt mihi, confiteor, pulchri fiducia voti
In Crucis amplexus ire redire nouos.
Imò Caryſtæâ grauior vel rupe minaces
Sub Cruce ſtans frangam non violanda feras.
Tryphoniam Decio iunget probus ardor amoris:
Tryphoniam & Decio diuidet alter amor.
Quæ tibi, quæſo, Deci viuit nunc flamma medullis?
Priſtina an ergo nouâ fax face victa cadit.
Atque Hymenis tædas exſtinguit tæda Megæræ,
Blanditiaſque viri vertit iniqua minis;
Si lubet, vxor ero: res eſt vxoria, Chriſto
Pacta fides, æquo ſi placet æqua viro.
Eſt mihi, ſitque diu voueo, res plena decoris
Gratia, quam concors conciliauit Hymen.
Siqua meis fuerit, vt erit, Crux addita tædis,
Parce precor; dulces hac Cruce paſco faces.
Sed Crucis aſper amor. dolor hic fit amore voluptas,
Et quia non dulcis, Crux mihi dulcè ſapit.
Ecquid ad hæc, mi ſponſe? pium miſcebis amorem,
Et mea Crux concors arrha duobus erit?
Audin'? ſidereâ qui me face luſtrat Ieſus,
Semper, Amáſne, rogat. tu quoque ſemper ama.

Dura cui liuent in corpore vulnera, Chriſtus
Monſtrat amans clauos: hæc, ait, arma gero.
Suffudi lacrymas, ſuffudi verba querelis,
Vt vidi indignæ crimina dira necis.
Et tu dura ſilex iſtis non frangere clauis,
Qui fregere pias ad ſua tela petras?
Imò ferox animi (quid non furor impius auſit?)
Procudis Stygio pila cruenta foco.
Horridaque adiuras ſocios in bella gigantes:
Vis iungam & ſocias ad tua ſigna manus.
Anne putas, diras Chriſti queis ſubruis aras,
Me quia Cæſar amas, Cæſaris arma ſequi?
Me modò, ſi poſſis, malo ferus oderis hoſtis:
Sin inuitus amas; vt ſit inanis amor.
Cur cui dotali debes cum ſanguine vitam,
Coniugis in cædem bella ſceleſta cies?
Nil moror in caput hoc ſæuo procuſa metallo
Spicula, & arſuras ima per oſſa faces.
Eia age vipereo nigra pocula tinge veneno,
Vipereo aut ſiquid tetrius ore viret.
His ceu purpurei liquido de flore Lyæi
Nobiliora mero nectare mulſa bibam.
Ardentes diſtringe rotas, diſtringe quadrigas:
Cælite ſpes curru flectet ad aſtra viam.
Pecte latus ferro: duro ſub pectinis hamo,
Florebit lateri purpura viua meo.
De quernâ ſtrue conde pyram triſtiúe cupreſſo:
Palma mihi quercus, palma cupreſſus erit.
Si ceruice caput detondet acuta ſecuris:
Fulgebit capiti clara corona meo.
Denique crudeles quidquid furor auſit in iras,
Exprimet grata feri damna furoris erunt.
Pecten edax, pyra fœta rogis, crux horrida clauis,
Dulcia virtuti pignora, dulcis honos.
Mors emit his omni maiorem Cæſare ſponſum,
Quem rebar fieri vix potuiſſe meum.

Sic

Sit meus: ecqua meo me vis diuellet Ieſu?
Gratior is quouis Cæſare Cæſar amat.
Ter felix, dubites, ego ſponſa ſororque Tonantis,
An magè fratre Deo glorier, ánne viro?

EPISTOLA XIX.

ARGVMENTVM.

Theodora è primâ Alexandriæ nobilitate matrona in oculis omnium ſummâ cum integritate & concordiâ cum viro omnes numeros probæ matris familias explet. Demum eius pulchritudine neſcio quis captus, eam ſibi omnibus illecebris demereri ſtudet; perſuadetq; eius flagitij nullam auram, nedum ſuſpicionis odorem vllum emanaturum. Quid multa? tener adhuc animus, qui facilè in languidas colliqueſcit voluptates, in libidinē lapſum inflexus, corpus impudicitiæ corrumpendum dedit. Sed illico eam, quam blanda voluptas à virtute in crimen detorſerat, pœnitentia in viam reducit; præſertim vt ſuſpexit illum diuinæ iuſtitiæ oculum omnia intuentem, nec vllo vſpiam ſomno conniuentem. Idcirco ſexum ſuum ſub virili habitu diſsimulans, ſeſe ſacro virorum contubernio octodecim Alexandriâ milliaribus diſsito, adiungit, vbi acres ſanè prioris vitæ vindicias abs ſe repoſcit, & multa præclarè agens & patiens, pari cum ſanctis viris curſu in virtutis ſtadio ſtudioq; contendit ad metam: quam tandem ſub felici coronâ victrix attigit. xi. Septemb. Menolog. Græcor. Niceph. lib. xvii. cap. v.

Theodora Proterio Patriarchæ Alexandrino.

PArs aliquanta ſuæ cui iam ſublapſa iuuentæ eſt,
Exarat ah! triſtes nunc Theodora notas.
Cui calidas emulget aquas dolor vſque medullis,
Decoquit en vapidas feruida lympha genas.
Non gemat infelix, quam fumidus ignis Auerni
Fuſcat, & informi polluit ora probro?
Dicebam, tenero dum forma virebat in æuo,
Lubrica cui placidis labitur hora modis:
Eia, crocumq́;, thymumq́;, roſamq́;, & ſuaue cyperũ
Spargite de plenâ turba venuſta manu.
Quin & eburneolis noua lilia de calathiſcis
Funde per herboſas obuia Flora vias.
Gaudia carpe, licet, nullo non didita prato,
Et coma picta roſæ ſtet modò vincta comis.
Lude, precor, riguas vbi Nympha trahenda per herbas,
Lympida muſcoſis deſilit è ſcopulis.
Come præi, plectrum cui dextera vibrat eburnum,
Et lyra cui læuâ parte canora ſonat.
Et teſtudineam chelyn inter Iacchus in auro
Qui natat, è Chio proluat ora mero.
Viueret, ô vtinam! Paris obuius hoſpes ab Orco,
Tyndaris ambirem rurſus amica Parin.
Sic ego tunc: aliò ſed cura retorſit habenas,
Aduertens ſuperis candida fræna choris.
Mutaui cum veſte fidem, quam perfida Cypris
Sanxerat obſcænis in mea probra lyris.
Inceſtiſque abſiſto toris animæque ſepulcris,
Queis ardent tacito corda peruſta rogo.
Ite roſęque, crocũque, thymũq́; & thymbra, liguſtrũque
O nimis exitio munera nata meo!
Ite parum fidæ formoſa rapina corollæ
Ite comis; nudâ publico fronte nefas.

Quid

Quid mihi vobiſcum, redimicula vana, mitellæ?
Ite leui tandem ludicra dona Noto.
Quæque diu tereti præludis idonea collo
Bulla vale, ſpurco gemmea præda luto.
Ibat Erythræis ceruix præcincta lapillis,
Induet è caluâ reſte caput laqueum.
Ceruſſâ ſtibioque genas ſi fucus adulter
Imbuit: hoc fletus diluet opprobrium.
Si malè blanda tuli fluxarum pondera rerum,
Et leue demulſit byſſina trama latus:
Triſte ſagum redimet, cui multus inhorret echinus,
Mollia purpureo vellera tincta cado.
Gorgoneis oculis licet ardeat aſper Adonis,
Exſecror arſuras Idaliaſque faces.
O! vbi vos fontes lacrymis, & lympida luctus
Pignora? quis puro diluat amne ſcelus?
Quà via? quò curſus? quæ ſpes? vbi meta ſalutis?
Et mihi quod certo limite curret iter?
Pandit amor Chriſti mihi velà fugacia ventis.
Sed timor infrænat, ancora tarda, ratem.
Heu! noxam admiſi, quâ non ſcelus atrius Orco eſt,
Hinc in fronte gemit lacryma, corde dolor.
Speſque, timorque, fideſque, audacis amorque pudoris,
Nunc mihi nimboſo ſæua procella ſinu,
Quot glomerant grauido luctantes pectore fluctus,
Alternoque cient diſſona flabra mari!
Tethys vt indignans iratis reſpuit vndis
Funera, quæ vaſtas ſuſtinet æqua trabes:
Sic mens putre ſcelus iam criminis euomit exſors.
Qui fert cuncta, nequit ferre cadauer, amor,
At dolor è ſalſis lacrymis dabit antè medelam,
Ne populent olidæ putida corda faces.
Iungit opes roſeis arbor pulcherrima ramis,
Arbor Ieſſæi gloria prima ſoli.
Me, viden'? inuitat dulces decerpere fructus,
Fructus, ambroſiæ queis dapis halat odor.

Me ſitis vrat; amor me ſanguine paſcet Ieſu.
  Sanguis enim purum quid niſi nectar alit?
Vt quid adhuc ſiccis ad fontem pereſto medullis,
  Torrida nec riguo flumine corda natant?
Quà licet, ibo grauis quantumuis vincta piaclo,
  Et ſitiens Chriſti ſpinea ſceptra ſequar.
En, pia fœcundis exſugo per oſcula venis,
  Vitales, animo quæ medeantur, aquas.
Hinc exempta ſitis rigidos abit exſul in imbres,
  Acrior affuſis deflagrat æſtus aquis.
Paſcit edax grauido viuaces ſanguine flammas
  Ignis, & aucta ſacro quæ flagrat igne ſitis.
O ſi viua forem flammandis Ætna medullis,
  Plus auidam dulcis paſcat vt vnda ſitim!
Si mare purpureum totus meus vndat Ieſus,
  Quid ni tota ſitis vel mera flamma forem?
Vt quid adhuc ignes ieiunis ardeo votis,
  Nonne ſat apta meis lignea ſylua rogis?
Sole ſub Arabio Pharanitidos hoſpes arenæ
  Dum regit errantem ſenta per arua gregem:
Flamma repens rutilis ſeſe diffudit in auras,
  Spinus erat, viuas paſcere iuſſa faces.
Attonitus ſtitit ille pedum, greſſumque retorſit,
  Admiranſque hæſit lumine ſollicito.
Vt ventum propius, quis neſcio protinus ignis
  Afflat; at innocuo nullus ab igne dolor.
Haud ſecus hauſerunt rapidas hæc pectora flammas,
  Queis alit hamatos ſpinea noxa rubos.
Nec tamen ardentes populat vis ignea venas,
  Ignis adeſt, & abeſt, nec cinis igne cadit.
Flamma ſed adlambit trepidas innoxia fibras.
  Sic flagro felici tæda miniſtra rogo.
Spondet enim tædas ſicco crux ignea ligno:
  Quod tamen vngit amor, cui ſit oliua cruor.
Quin & ſiqua ſuper labes, expunget Ieſus,
  Exuretque fibris fax cruce nata ſcelus.

Hæc

Hæc meà ſpes, ſpeque aucta fides ſecura ſalutis,
Si modò non fallam denuò lapſa fidem.
Deuoueo, ſi fallo ſciens, caput iſtud Auerno,
Et defigo nefas omnibus opprobrijs.
Quin etiam quo ſcribo, meus ſacra fœdera ſancit
Sanguis, & è puro ſanguine nata ſalus.
His lacrymas, precor, adde tuas, ſociaſque querelas,
Cui ſedet attonſis ſacra tiara comis.
Vt quod non meruit Theodora tot atra piaclis,
Candida Proteri diluat vnda ſcelus.
Hoc caput innumero plus quàm Melo diluet amne,
Quæ cadit ex oculis gutta vel vna tuis.

EPISTOLA XX.

ARGVMENTVM.

Bonifacius & Thecla Adrumeti municipes duodecim liberos quos mundo feliciter genuerant, feliciùs ſuo exemplo & conſilio impulſos dant cælo renaſci. Itaque omnes ad vnum ſummâ geſtientes lætitiâ, & contemptâ morte ſecuri ſpiritum, quem à Deo cælitus hauſerant, ſub carnificis manu cælo reddiderunt. Martyrol. Roman. xxx. Auguſti.

BONIFACIVS AD SOLEM.

O Dux purpureis nitidiſſime Phœbe quadrigis,
Cetera qui flammis imbuis aſtra tuis,
Aureolos noſtris radios pius annue votis;
Annue; de radijs adſtrue, Phœbe, ſtylum.
Adijce cæruleam gracili de ſtamine byſſum,
Quæ niteat fuluis ambitioſa notis.
Et bene ſi ſpectes, teneræ tibi copia telę
Suppetit, aëreis quæ ſedet alta plagis.

 Vnde

Vnde tibi facili concinnes ſindona textu,
Nubigenæ denſant vellera cana globi.
Mille bibens Iris vario de ſole colores
Candida cæruleis ſtamina tinget aquis.
Munus vbi cyanâ ſubmittes textile ttamâ,
Quale ſibi vernis Iris adumbrat agris:
Dædala Mæonijs intexam pepla figuris,
Conſcia quæ noſtræ littera mentis erunt.
Et Phryge ſidereos depingam ſindone gnatos,
Præmia quò gnatis ſol duodena feras.
Lentus es, ô! nimium, ſi iuſta morare precantûm
Vota, quibus concors annuat aſtra polus.
O! quoties ſuperi tueor conuexa theatri,
Specto vigil gnatis præmia digna meis.
Dedignor fragiles, quos terra laborat, honores,
Quæque micant picto gemmea dona gelu.
Non me concha Tyri roſeo tenet vda veneno.
Irradianſque nigro gleba lapiſue ſolo.
Sol ſator aſtrorum, iuſto ſi iudice certes,
Teque etiam certem iudice, victus eris.
Sidereaſque poli transſcribes lætus habenas,
Tam fauſtæ ſoboli quæ tua lora regat.
Quid ſi nunc auidi ſuſpiria conſcia voti
Submittam, placidâ quæ Deus aure legat?
Signa rogo, non aſtra peto. lux clarior aſtris
Nos manet, æterno queis ſata ſole dies.
Opto pios gaudere rotâ cognomine fratres,
Signifer antè reis quam dedit ordo feris.
Sol & Luna parique vndenæ ex ordine ſtellæ
Nobile Ioſephi ſi coluêre iubar:
Quid vetat hos itidem Chriſto ſacra pignora fratres
Sol idem atque eadem Luna vel aſtra colant?
Seu potiùs bis ſex fratres tot vt induat aſtris
Aſtrifer, alternum qui redit, orbis iter.
Mitte feras, auro quas cælite ſtellifer axis
Paſcit, an aſtrigerâ ſit fera digna domo?

Quò

Quò tibi Phryx? quò Piſcis iners? quò Taurus adulter?
Quòue nothi fratres, Cancer & inde Leo?
Quid Nepa tota ſcelus? quid pota ſagitta veneno,
Aut olidus ſuperâ quid Caper arce micant?
Virgo placet, fateor, nec non cum Virgine Libra,
Quid niſi turpe polo cetera monſtra probrum?
Quis portenta ferat medio ſtabulare Senatu
Cælituum, Augiæ ceu foret æthra cauum,
O quanto ſatius bis ſex in ſidera fratres
Vertat adoptiuo pulcher honore dies?
Aſtriger vnde nouo dein balteus ardeat auro,
Militiæ ſignum balteus ille meæ.
Balteus ille quidem ſtellis ardentibus aptus;
Aptus & eſt gnatis munera ferre meis.
Annue Sol tandem, pater ô gratiſſime lucis,
Aurea victori præmia redde choro.
Impia magnanimos armaui in Numina fratres.
Arma, quibus nudâ pectus inerme manu.
Namque pecus votiua reis vbi ſiſtitur aris,
Et popa fœda nigris proſecat exta Dijs,
Inceſtaſque onerat nòn æquis lancibus aras,
Improba quas Stygio libat acerra Ioui:
Subuerti tum fœda ſacris altaria bellis,
Et meus exſtinxit thurea buſta cruor.
Adiunxi ſocio ter quattuor agmine gnatos,
Queis ſtetit vna fides, & ſtetit vnus amor.
Et necdum digno caput omne coronat in auro,
Quem pia mors emit ſanguine, iuſtus honos.
Si dulci violas ferrugine pingis & oſtrò,
Queis leuis infidas diripit aura comas,
Et tot ruris opes fragili ver induit auro,
Vna dies naſci quas dat & vna mori:
Abnueris, Sol alme, ſuum decus hiſce coronis,
Queis caput æterno lumine luſtrat Amor?
Clauſus adhuc animus luteâ dum ſedit in vrnâ,
Captiuuſque breui carcere vincla tulit;

Horrida Tænaridûm ſi vicit bella ferarum,
Vicit & in fragili corpore mille neces;
Liber vbi nexu rapidis eludit in alis
Spiritus, & liquidis præuolat aſtra vijs;
Inuideas cælo bis ſex noua ſidera fratres,
Et dare ius terris, & dare iura mari.
Iam tandem maturus honos quos deſtinat aſtris,
Quoſque ſuo tellus reddit vt aſtra choro,
Sol, bis ſex gnatos biſſenis adlege ſignis.
Sidera ſacra regent, quo ſacer annus eat.
Haud equidem ſummas gnatis affecto coronas,
Sceptra nec æthereâ quæro ſuperba domo.
Fulmina Salmoneus, curruſque imitetur Olympi,
Sideream vibrans Graia per ora facem.
Tale nihil meditor, temeraria cœpta faceſſant:
Quæ data Ioſepho, te dare poſco meis.
Immodicus voti veſanis excidat auſis:
Iuſta peto ſtabili præmia nixa gradu.
Auſpice nam Chriſto ſequor impetrabile votum;
Quale ferunt Diui, quale tuliſſe decet.
Spumantes viridi quæ findit in æquore ſulcos
Ardua veliuolans ſuſpicit aſtra domus:
Idque vbi fors ſubitò duris caſura procellis,
Fluctiuagæ ſulcat mobile mortis iter.
Trabs mea pugnaces vndas vbi vicit & Auſtros,
Ancoraque in portu cælite vela ſtitit;
Cur ego non ſuperi ſequar arduus orbis honores
Victor, & æthereas præmia clara faces?
Quæ mea ſidereis æquauit pignora turmis,
Has certè pietas ſuaſit inire vias.
Nempe breuem fractus plagis vbi carpo quietem,
Virgo meum pernox conſtitit ante torum.
Quam cupidis inhians votis vbi ſpecto figuram,
Præſtinxit radijs os mihi Diua ſuis.
Biſſenis variam gemmis fert dextra coronam:
Suauè virens læuâ frondet oliua manu.

En

En natale tuis, inquit, fero pignus alumnis:
Queis lux ſumma necis prima ſalutis erit.
Cerne, tot irradiant auro gemmante pyropi,
Quot pia viuaci pignora morte cadunt.
Quot numeras gemmas (ter gemma quaterna refulget)
Tot numera gnatis ſigna futura tuis.
Hiſce pios fratres lux induet aurea ſignis,
Signifer inde ſacri Solis vt orbis eat.
Dixit, & illuſtrem prætendit amica coronam;
Lux micat è gemmis, nox agit alba diem.
Et circum Genij ſua queis coma picta corollis
Ter plauſus hilari concrepuêre manu.
Tunc ego ſuſpenſo defigens lumina vultu
Dicebam: hîc votis ſpes litat alba meis.
Da Deus ergo nouo poſſit iam Solis Eoo,
Fulgere fraterni lux duodena chori.
Quin age, cæleſtes vox ſuada recurrat in arces,
Et precor, ô! adſit ſpes mihi pacta fidem.
Vota damus terris, quas nox grauat inuia Soli:
Suaue micans votis annuet æthra iubar.
Inſuper aſtrigeros Sol ſuggeret obuius ignes,
Queis ſua biſſeno ſidere regna regat.
Luna quibus ſit virgo parens, ſol alter Ieſus;
Bis ſex de gnatis ſignifer alter erit.
Non tamen ille breuem cui clauditur annus in orbem,
Mille ſed æternus ſol cui ſæcla parit.

EPISTOLA XXI.

ARGVMENTVM.

Virgo, quam ob adeptam caſto ſtratagemate libertatem, Eleutheram placuit nuncupare, ad lupanar, frequens apud impuros Gentiles ſupplicij genus, damnata; à Magiſtriano quodam, permutatis veſtibus, periculo per-

perdendæ virginitatis exempta fuit. Eleuthera igitur beneficij memor, balteum quem induerat, à ſe acu pictum cum litteris remittit, optatq́; cum illo mori. Pallad. in Hiſtor. Lauſiacâ cap. CXLIX.

Eleuthera Magistriano.

ME quibus accinxti nuper pro virgine zonâ
  Baltea, nunc Phario picta remitto ſtylo.
Accipe pulchra precor caſti monumenta Gradiui,
  Qui ſibi pro lauru lilia pura ſerit;
Quique ſuas dormire iubet ſub caſſide curas,
  Virginis intactas quò tueatur opes.
Si ſinis, & quid ni ſineres? hanc exprimo pugnam,
  Quam mihi ſit dulcis iam meminiſſe labor.
Eloquar? horret adhuc tanto mens icta periclo.
  Ducor ego. puduit cetera fando loqui:
At tu fanda iubes, claroſque adſurgis in auſus,
  Quos canat æternâ fama ſonora tubâ:
Virginis in probrum leno, pro virgine pugnat
  Miles, ab aduerſo milite leno perit.
Nam tua bullatâ diſcingis baltea zonâ,
  Ponere meque iubes, quâ latus vmbro, togam.
Cauſa latet; pia cura patet ſub militis armis:
  Te ſpolias, telis armor at ipſa tuis.
Iſta precor caſtæ nuribus narrate ſorores;
  Nec minus hæc caſtis occine fama viris.
Intereà longis tot vbi traho penſa ſuſurris,
  Ecquid agis famæ gloria prima meæ?
Eccui non tandem lauro tibi militat ardor
  Martius? exuuias Martia dona refers?
Fers equidem ſpolium caſtus de virgine victor,
  Quo ſpolio nuſquam laurea maior erit.
Sed quid? adhuc viuis? metuo. nec vana, ſecuri
  Deſtinat ipſa tuum ſors mea palla caput.

Viue precor, ſancti cùm ſis pius obſes honoris;
* Stet tibi perpetui ſideris inſtar honos.
Aſt vbi te quæram? tetrône in carcere ſquales?
Nunc vbi liquiſti putida luſtra lupis?
Atque aliquis dicit (quod neſcio ſerpit in aures
Murmur, & auritâ rumor in vrbe volat;
Et mihi mors læuam funeſta remugit ad aurem;
Præda mihi vindex ille pudoris erit)
En medijs ceu cerua plagis, ſedet ille catenis:
Fallere, ſi credas ſtamina longa trahi.
Vix quater elapſis, ni fallor, is occidet horis.
Compita puluereis feruere cerne vijs.
En tibi iam partâ falx eſt ſuppoſta coronâ,
Iam iam caſurum demetet vnca caput.
Nec ſpes vlla ſuper. iam nunc tuba nuncia mortis
Obſtrepet: en lictor, præco, tabella præit.
Sic mors viſa loqui (ſi quis modò ſenſus in illâ eſt)
Quidquid id eſt, peperit mortis imago metum.
Ergo cruentandam te mors ſtitit ante tribunal?
Heu ego non æquæ ſim rea cauſſa necis?
Per caput hoc iuro, nî tu mihi carior iſto
Sis capite, ô animæ lux animuſque meæ;
Noxia ne viuam diræ de crimine mortis;
In pretium vitæ par comes ibo mori.
Túne meam ſine me pulchro de puluere palmam
Colligis? & noſtro ſanguine palma venit.
Nolo vadem mortis, prædem depoſco pudoris,
Siſque in amore parens, qui mihi frater eras.
Mì ſaluus pudor arte viri, cuſtoſque ſalutis
Cura, tuæ mortis lugubre pignus erit?
Apta gigantæis en tela recudo triumphis,
Eſt vt in hoc vincam Cæſaris arma ſago.
Quin potiùs tibi reddo ſagum, tibi reddo ſalutis
Pignus, & armo meum virgine veſte latus.
Lanea virgineos ſat palla tuetur honores:
Fortior hæc ferro lana duella facit.

Si fidei iubeas pretium vt graue ſanguine ſoluam,
Eſt & qui gremio virgine ſanguis eat.
Dedecus intacti ſi deprecor omne decoris;
At non egregiæ præmia caſta necis.
Nil animum mutat, quæ mutat corporis vmbram
Veſtis; adhuc ſeruat, quam premo ſorde, fidem.
Virgineos chlamys apta viro ſimul induit artus,
Indui & auſa virum, ceu vir & ipſa forem.
Cæſareis victrix frangam ſata tela pharetris:
Induit & fortem caſta virago virum.
Hoſtica pila pudor, clypeoque retundet & haſtâ:
Auſpice ſic Chriſto dextera cantat auis.
Adſpiceres totis volitantia ſpicula campis
Hoſtis in auerſos ire retorta globos:
Meque per arma, caput cui caſſis nulla coronat,
Quà feror, armatos impoſuiſſe pedes.
En prius ipſe ſuo maius caput orbe Quiritûm
Supponit pedibus ſpicula fracta meis.
Et iuxtà paribus pulcher bellator in auſis
Subijcis imperio Romula ſceptra tuo.
Vincis enim, quâ non victoria clarior, Orcum;
Deque triumphatâ morte tropæa ſtruis.
Sed titulum terræ mors ſuſtinet inclyta noxæ:
Suſtineat, ſic & noxia quæro mori.
Cur duo ſi peccant, diſplectitur vnus, & inſons?
Par culpæ pretium, par mihi culpa luat.
Si fuga mendaci me liberat abdita cultu:
Vera ream ſiſtet Numine teſte fidem.
Quin ego te potius non iuſtis eximo vinclis,
Qui mea rupiſti conſcia vincla probri.
Pegaſeo hoc equiti Cephei quod filia debet,
Soſpes ego officio debeo virgo tuo.
Fulmineo Perſei ſub acinace ſquameus hoſtis
Occidit, & vaſto funere ſtrauit aquas.
Victor Ioppææ dein reſcidit torſa catenæ,
Haud tulit hinc aliud ſuſcepta puella decus.

Aſt

Aſt ego virgineo candor cui lacteus æuo eſt,
 Vindice te, cælo palmea ſceptra geram.
Queis ver iuge viret, virideſque adoleſcit in annos,
 Nil ego quod fluxo tempore marcet, amo.
Is mihi nullus honos, ſi quis ſit finis honori,
 Quid niſi triſte nihil, qui perit, ambit honos?
Hoc mihi tu dotale pij transſcribis honoris
 Munus; vbi mutas in ſaga caſta ſtolam.
Quodque ſtat infractum ferreo tibi pectore robur
 Militat obſequio (laus ea quanta!) meo.
O faceo iam ſoluam grato pro munere mortem?
 An meus ergo foret mors aliena pudor?
Haud ita degenerem ſpectabit arena puellam:
 Æmula virgo viro victima ritè cadet.
Quam tibi das vni palmam, partire duobus.
 Dimidius toto gratior ibit honos.
Sic vbi concordes mors laude maritat amantes,
 Vltimus ibit amor, qui modò primus ijt.
Rarus amor, certè ſi mors præs fida pudori eſt;
 Sit fidei pretium par in amore fides.
Forſan vbi ſociâ mors ambos iunxerit vrnâ,
 Fòrs aliquis ſpectans hoc breue ſcribet opus;
Miles amans & virgo ſacros vbi conflat amores,
 Iſta Pudoris honos, Martis & ille fuit eſt.

EPISTOLA XXII.

ARGVMENTVM.

ADmirandæ pulchritudinis & virtutis virgo, quæ à luce glorioſè ſibi ereptâ Luciæ nomen apud poſteros ſibi fecit, inmortali luce multò digniſſima, in ſui amorem procum neſcio quem ignara traxerat, qui eam oculorum præcipuè venuſtate captus, mirum in modum deperibat.

Id

Id vbi illa ſenſit, ſibi oculos pulchro atque inuſitato facinore effodit, quaſi rei eſſent hoc nomine, quòd alteri placuiſſent. Illos pyxide conditos amatori ſuo cum his litteris mittit. Ioan. Moſchus in Prato ſpirit. cap. LX. apud Herib. Roſvveydum in Vit. Patrum lib. X.

LVCIA AMATORI SVO.

NOn ego diſſimulo, quo te complector, amorem:
Reddita cum donis littera teſtis erit.
Scilicet optatim, ſi quidquam credis amanti,
Te mihi muneribus demeruiſſe meis.
Gemma mihi loculis ſi ſeruaretur eburnis,
Ambiret digitos protinus illa tuos:
Protinus illa meâ ferrem donaria dextrâ:
Illa forent animi pignora certa mei.
Quid, mea lux, dubitas, oculis mihi carior ipſis,
Aut oculis ſiquid carius eſſe poteſt.
Attamen en geminos inuenit dextra pyropos,
Diuite quos claudit pyxis eburna ſinu.
En oculos, ſalui gemmas teſteſque pudoris:
Pulcrius en gemmis ille vel ille nitet.
Hæc mea dos; quâ ſi videor placuiſſe, carebo
Vtiliùs, nullis inſidioſa procis.
Ecquid enim votiſne meis mea forma repugnet?
Quodque volo, roſeus me vetet eſſe decor?
Ergóne pellaces oculos & amoribus aptos
In non tangenda virgine quærat amor?
Eque ſupercilio facilem ſibi commodet arcum,
Eque meis oculis tela Cupido legat?
Caſtior eſt nobis animus vultuſque, pudorem
Qui bene profuſo ſanguine credat emi.
Si mihi de vobis oculi proferre querelam
Fas eſt; de vobis iuſta querela mihi eſt.

Vos quamuis vigiles geminis ſtationibus ignes,
Naturæ ſpeculum, mentis imago meæ;
Vos quamuis hilares in eburnâ fronte pyropi,
Oris honos, formæ gratia, lucis iter;
Vos quamuis animi ſpeculæ, lux æmula ſolis,
Et Pharos accensâ conſpicienda face;
Vos ambo pharetræ, vos ambo Cupidinis ignes,
Vos animi fures, vos in amore duces.
O quoties, veſtras dum conſpicit obuia flammas,
Mergitur inſanis naufraga puppis aquis.
Tales Euboicis fulſerunt rupibus ignes,
Saxa triumphales cùm ſoluere rates.
Sed mens antè ſapit toties experta periclum,
Saxaque confringet nullus ad icta ratem.
Ne puer Idalius Paphios hinc porrigat ignes,
Extinguet Paphias ſanguis & vnda faces.
Ne malè quem rapiat rutilis nitor æmulus aſtris,
Exſculpam viduis aſtra gemella genis.
Philtra nocent animis: & ſiqua eſt cura pudoris,
Fulgebunt oculis gemmea philtra meis?
Quid modò necto moras? ſtrictum rape dextera ferrum.
Hei mihi! Virgineæ diriguere manus.
Diriguere oculi, lacrymæque ſtetêre coactæ,
Pupulaque occaſus conſcia viſa ſui eſt.
Specto gemens ſpeculum: ſpeculi me obiurgat imago,
Quid meruere oculi, dicere viſa, tui?
Quod, precor in radio, puroue in lumine crimen?
Lucida ſideribus peccat an æthra ſuis?
Alterius ſed noxa tuis debetur ocellis.
Alterius noxam cur tua damna leuent?
Quid malè me trepidis vrges natura querelis?
Queis alius pereat tela dediſſe parum eſt?
Lumina fecerunt vt me petulanter amaret,
Et peteret thalamos turba petulca meos.
Lumina fecerunt, vt rupto cæca pudore
Neſciret captæ mentis habere modum.

Deme meos oculos; illi quoque crimina demes.
Hi culpam tanti ſuſtinuere mali.
Ah pereant, pereant malè pulchra pericla ſalutis:
Caſtiùs extinctâ luce nitebit amor.
Cæca viam inueniam cæli ad Capitolia: nullis
Hæc horret tenebris, cetera cęca via eſt.
Huic precor, ô Diui, faciles ignoſcite noxæ:
Siqua erit, ingenui culpa pudoris erit.
Qui mihi concedis formam, tibi lumina, Chriſte,
Dedico: ſunt voti pignora bina mei.
Si tua mors dedit antè mori duo lumina mundi,
Quid vetat hæc vultus aſtra gemella rapi?
Nec mora: cunctantem vis protinus enthea dextram
Impulit: impulſam ſica ſecuta manum eſt:
Euulſique ſuis ceciderunt ſedibus orbes,
Sanguineque & lacrymis pupula merſa meis.
Nec doluit vulnus: ſenſum pius abſtulit ardor,
Et qui virgineo pectore flagras amor.
Qui mihi iam largo miſcetur ſanguine fletus
Ardores vtinam temperet ille tuos.
Nec dubito, euulſos ſimul ac conſpexeris orbes,
Queis ardes oculis, affluet imber aquæ.
Affluet, & cæcos extinguet protinus ignes,
Vt premit extructos fortior vnda rogos.
Sæpiùs & memori verſabis mente querelas,
Erutaque informi lumina fronte gemes.
Tunc ego me credam pretium retuliſſe doloris,
Lumina ſi lacrymis ſint madefacta tuis.

R. P.

R. P.

BALDVINI CABILLAVI

E SOCIETATE IESV

EPISTOLARVM

HEROVM & HEROIDVM

LIBER QVARTVS.

Digitized by Google

EPISTOLARVM HEROVM ET HEROIDVM LIBER QVARTVS.

EPISTOLA I.

ARGVMENTVM.

Onoria imperante Euphemianus & Aglaë, vbi iam diu ſteriles cælo ſubmiſerant lacrymas; tandem filium exorant, cui nomen Alexius: quem parentes copijs familiaribus & dote laudatiſſimâ ornatum anno ætatis ſuæ decimo & ſeptimo collocant in matrimonio Sophroſynæ; cui haud minores opes, & pares maiorum imagines. Sed breue è nuptiali coronâ & floſculo gaudium. Ecce enim adultâ iam nocte vox cælitus adlapſa ad aures, quæ iubeat pretinus ab thalamo atque adeò patriâ ignotas in oras faceſſere, vnde nulla parentibus rumoris aura aſpiret. Alexius igitur Laodiceam verſus curſum intendit, & inde Edeſſam. Vbi aliquamdiu ſqualido & obſoleto in habitu deliteſcit. Inde Romam reuertit, & ad limen paternæ domus ſub gradibus ſibi gurguſtium exſtruit. quo in gur-

guſtio, vbi mendici inſtar neglectus exſpirat, è ſchedâ quam manu præfert, ſerò agnoſcitur Euphemiani clariſſimus filius.

SVbitâ fugâ ceu œſtro percita, varios animi ſui impulſus in Alexium explicat, & futurum gaudium ſi redierit.

SOPHROSYNE ALEXIO.

DIſſimulem, tacitoque premam ſub pectore crimen,
Quo potis es cæcam diſſimulare fugam?
Protinus vt dextrâ libaui virginę dextram,
Si fugis, an rapto coniuge nulla querar?
Sic potes antiquis furtim diſcedere tectis?
Paſcit adhuc feſtas nox vbi prima faces?
Florenteſque vbi læta ſonant hymenæa choreæ,
Statque recens flauis nupta corolla comis?
Quid torus emeruit nullâ dum coniugis vmbrâ
Tactus? an in noxam caſtus aberrat amor?
Dotalíne reas prætendi crimine tædas,
Aut pretium Cypris fecit auara fidem?
Qui nitor huic ebori, (niueas nam ſculpo tabellas)
Crede mihi, candor pectoris ille mei eſt.
Et tamen abſiſtis thalamo, ſcindiſque coronam.
Vt ſponſam fugias, quid graue peccat Hymen?
Exſul abis. ſupereſt hoc vnum è coniuge nomen.
Hic honor an thalamis vltimus? exſul abis.
Te propter Manlî ſobolem, te propter eumdem
Valerij ſpreui, Scipiadumque genus.
Quæ non nobilium me gloria priſca Quiritûm
Ambijt? aſt omnes vnus Alexis erat.
Et nunc ille meos furto ſic fallit amores;
Crudelis! merui tam graue Virgo probrum!

Ac

At non ſponte tuâ triſtes conſciſcere curas
Mens erat. impulſus Numinis vrſit iter.
Vis fuit, aut certè, quo non vehementior auctor
Impulit, imperio qui regit aſtra ſuo.
Scilicet è terris Superos ea cura fatigat,
Decepta vt viduo ſponſa gemat thalamo.
Cuique dedit, patriâ poſſit conſiſtere terrâ,
Extera iam cogat quærere regna Deus.
Tendis in infidos, vndoſa pericula, fluctus,
Cui ſedet antiquo ſub lare tuta quies?
Si ſteterat mens alta ſequi mandata Tonantis,
Cur deſponſa ſacram dedicat atrha fidem?
Sin ea iuſſa repens, quis neſcio, detulit Eurus,
Turbida vel cæcæ noctis imago dedit:
Cur fuga præcipiti leuis impulit impete curſum,
Et ſcidit implexas inſidioſa manus?
Cur non te tenuit iunctæ data dextera dextræ,
Frænaruntque tuos vincla marita pedes?
Cur abrupta fugæ ſtudio, genialia Diuûm
Fœdera, quæ caſtis ſanxerat ara ſacris?
Vltima num patrijs dare poſtibus oſcula flentem,
Et mihi triſte vale dicere crimen erat?
Nil ſocer ipſe mouet crudeli vulnere luctûs
Saucius, & dirâ ſaucia ſorte ſocrus?
Nil moritura parens gelidis iam debilis annis?
Dum fugis, infigis Parthica tela ſinu.
Nil tua Sophroſyne? cui me iam linquis Alexi?
Sophroſynæ coniux alter Alexis erit?
Mens magis æqua foret tanto diſcrimine rerum,
Argueretque atrox lenior ira ſcelus:
Altera ſi tibi Roma parens, alijque Quirites,
Alter & in thalamo nobiliore torus:
Alter & auguſti generis tibi clarior auctor,
Alter & è Româ diuitiore ſocer:
Denique Sophroſyne foret altera pulchrior omni
Inachi ſeu Nymphâ, Dardani ſiue nuru.

Scilicet externis fundanda colonia regnis,
Magnus Alexiadum tu cui Cæſar eris.
Ergo peregrinis ſpes quæritur auia terris,
Cui ſecura domi præmia parta manent?
Quid ſequeris profugæ niſi ſomnia pulchra ſalutis?
Quando fugis Romam, te fugit ipſa ſalus.
Nereis inuito vehit hæc puto crimina ponto,
Impatienſque atris ægra remugit aquis.
Quæ precor iſta fugæ ſcelerata libido per vndas?
Quæ tibi non notis terra terenda plagis?
Inclyta magnanimæ genuit te filia Romæ,
Principe cui virtus prima ſedere domo?
An peperit te cerua fugacibus ocyor Euris,
Quæ profugos cerui det tibi, ſponſe, pedes?
Diſce precor tandem iuſto parêre dolori,
Cui par obſequio pectus & imperio eſt.
Te, per ſi quod dulce mei ſit pignus amoris,
Te per ego quidquid grande ſpopondit Hymen.
Te per adhuc ſi quis lacrymis locus, oro per iſthæc
Lumina luminibus, ſidera blanda, meis.
Et per ego hanc ſociam, quæ iunxit fœdera, dextram.
Adde tuam, ſponſæ quę modò pacta, fidem.
Per ſacra iura tori, per conceſſos Hymenęos:
Te, per ſpes quidquid ſera repoſcit auûm.
Viue tui memor, ipſe tuo iam viue parenti,
Si nil vnde mei gratia tangat, habes.
Si ſors æqua meis ſineret me ducere vitam
Auſpicijs, quouis mens foret orbe ſequi:
Speſque meas, mi ſponſe, tuis componere curis,
Vlla piam iungi ſi daret hora manum.
At quia non licuit, ſexuſque inuidit, & ætas,
Virgineoque tener qui ſedet ore pudor.
Quod potui, ripâ luſtro Tiberinide puppes,
Obuiaque adſpecto lintea nare mari.
Piſcoſas humili rimatur vt æquore rupes,
Et citimas alâ remige radit aquas:

Lito-

Litoreiſque redux alcedo ſuberrat arenis,
Et vocat amiſſum blanda marita ducem.
Haud ſecùs, incertũ fuga quem rapit improba ſponſum,
Quæro ſagax terris, & vaga quæro mari.
Et nuper memini reuolans à gurgite mergus,
Neſcio an alcedo, triſte gerebat onus.
Scilicet accipitri ſæuo qui ſaucius vngui,
Pennatum retulit præpes amica virum.
Semianimemque gemens deſerto litore fleuit
Ceyeem alcedo ſaucia & ipſa ſuum.
Tunc ego flens, dixi, diroque exterrita ſigno;
Forſitan hæc conſors cladis imago meæ.
Halcyonis natura pias cur inuidet alas
Sophroſynæ, & tardo pondere figit humi?
Nec datur vt medijs flens quærat Alexin in vndis,
Triſte miniſterium reddat vt orba viro?
Si qua procelloſi vis intempeſta Trionis
Hauſerit hiberno naufraga tranſtra mari.
Sed procul omen atrox. ſæuas auertite curas
O Superi! & ſaluo coniuge ſalua fruar.
Quamlibet immenſis vndis iactetur & Auſtris,
Stet patrio tandem tuta carina ſalo.
Inde redux greſſum Latijs aduertat arenis,
Quà præeat lætis multa lucerna vijs.
Gentilem ſua vota pius luat hoſpes ad aram.
Ara tuis votis annuet, ara meis.
Geſtirio, geſtit paries nunc omnis, & omnis
Hîc torus occurſu nobiliore frui.
It digitus cum voce loqui, iam prurit in ictum
Pecten, & vltro lyræ garrula fila vibrant.
Inuitatque choros in gaudia feſta Quiritûm,
Quos puer hinc, concors inde puella trahat.
Vna nurus picto trabeam diſcriminat auro,
Altera fert violas, tertia ſerta ſerit:
Florenteſque faces violis prætexit & auro,
Liminaúe aureolis comit eburna roſis.

T 5 Quali-

Qualibus ô vernæ (numera tria millia) curis
Mille parant domino iam redeunte toros!
Atque agili faciles exercent agmine ludos,
Inſtituitque hilares turba canora choros.
Votiuis alij cumulant altaria donis,
Et ſanctis adolent thurea grana focis.
Quique rapit flammas, agnus tener imbuit aras;
Qui flagrat hic animi eſt agnus imago tui.
Nempe ſub innocuo purus ſtat pectore candor,
Nec minus hic flammâ cælite viuit amor.
Quando ſed optatam dabitur mihi iungere dextram,
Vt prior hæc iuit, ibit & illa dies.
Vlla nec in croceis reuehit Matuta quadrigis,
Quem mihi promittit quælibet hora virum.
Inuidaque inuiſis cælum nox condidit vmbris;
Quà fero cumque meos tecta per orba gradus.
Nimirum, mea lux, abes his, queis excubo, portis.
Quid niſi vis ſpectem lugubre cæca nihil?

EPISTOLA II.

ARGVMENTVM.

Timet quæuis pericula ſuo ſponſo ob læſam coniugij fidem, & præclarum de ſe triumphum Alexij deſcribit.

SOPHROSYNE SVO ALEXIO.

Vix calamum tetigi; trepido labefacta periclo
Mens fugit, & quouis augurat orbe necem.
Flens quocumque feror, miſeræ venit obuia ſponſæ
Omnibus vna locis vox, Quid Alexis agit?
Quæque tenet regio? ſors hunc an iniqua fatigat?
Ecqua ſed infido ſors foret æqua viro?

Hinc

Hinc timor, hinc omnes mihi cura recurſat in horas,
Omnibus occurſant obuia damna locis.
Quot Tethys armat aquas, tot acerba pericula tellus
Parturit in clades inſidioſa tuas.
Aut te naufragâ maris opprimit ira Charybdi,
Aut rapit infeſtis horrida terra feris.
Turbinis ad ſonitum, rapidoſúe ad fulminis ictus,
Semper ego cæli palleo mœſta minas.
Quis ſcit an ardenti plectit periuria nimbo,
Igneaque vltrices educat ira faces?
Sæpius hinc ſanctas ſupplex aduoluor ad aras;
Ne qua grauet nudum dira procella caput.
Vſque tuis timeo tecum peritura periclis,
Et necdum pupugit cor mea cura tuum?
Deſeris ergo pios exſul periurus amores?
Scilicet hæc magno gloria digna viro.
Antè ſibi caſtas proaui rapuêre Sabinas;
Inde nepos ſponſæ nunc rapit vltrò fugam.
Egregium victor mediâ duc vrbe triumphum,
Vt gemat ad currus victa puella tuos.
Æneadas inter fabro ſtatuaris in auro,
Cui viret intonſis verna iuuenta comis.
Et traduc tabulas plorantis ob ora parentis,
Dotaleſque ſacer quas Hymen auxit opes.
Hic trabeæ, torques, & purpura textilis auro
Ducentur profugo digna tropæa viro.
Quotquot & ingenuos Charis Itala gignit amores,
Ante tuas flebunt pallida turba rotas.
Atque retorta trahet captiuis vincla lacertis,
Qui rata periurus fœdera rumpit Hymen.
Alba fides viridi comes ingemet anxia lauro,
Ibit & in lacrymas laurus amara ſuas.
Sic genus antiquum Romæ pulcherrima proles
Dignum patricio ducet honore decus.
Adijce & innumeros in ſæcula ſera nepotes,
Cælibe Sophroſyne quos feret orba toro.

Adnu-

Adnumera patrias lauros, proauûmque triumphos,
Et tot auûm ferreâ rapta tropæa manu.
Vt Fabios inter, Curioſque, vel Æmilianos
Vltimus accedas in mea probra pudor:
Ipſa tuo ſcribat titulus famoſus honori,
Quem gerat incomptâ pronuba fronte nurus.
Mille petita viris, iacet hoc ſita virgo ſepulcro,
Cui par mille viris vnus Alexis erat.
At nulli iam nupta viro, cui nullus Alexis
Patricio ſurget pulcher honore nepos.

EPISTOLA III.

ARGVMENTVM.

Narrat dum fruſtra quæſiſſet abſentem ſponſum, quomodo inani imaginis eius adſpectu conata ſit dolorem leuare. Deinde quanto deſiderio expetat ſponſi adſpectum, declarat ſimilitudine vineæ implorantis ſolem fructibus maturandis.

Sophrosyne svo Alexio.

ET tu Sophroſynen fugiens ſi fallis, Alexi,
Dic vbi ſit firmo pectore tuta fides?
Tale decus morum, menſque indole digna Quiritûm,
Sic potes in Graios degenerare dolos?
Atque in Vlyſſæas tua corda recudere fraudes,
Incertuſque nouis ire, redire plagis?
Alter & alter abis, fugis alter Alexin, Alexi,
Vt miſeram fugias vix vbi iuncta, nurum.
Haud equidem tantum potui ſperare dolorem,
Dum viret ad lætas feſta corolla fores.

Nempe

Nempe vbi vix primo me limine dulcè ſalutat,
  Auolat effræni turbine fictus Hymen,
Ignaramque ſui deſertâ linquit in aulâ,
  Cogit & vt coniux turbida quærat, Vbi es?
O vbi! vox thalamis, vox omnibus vnica plorat,
  Et vox vna locis omnibus errat, Vbi es?
O vbi dulcis Hymen? face nullus ab indice ſplendor
  Emicat? in nullo lumine ſplendet Hymen.
O radios, mi ſponſe, tui, mea ſidera, vultus
  Da didiciſſe tuos, vel docuiſſe meos.
Altiùs inclamo: ſonuere triclinia circum:
  Atria mœſtificis inſonuere modis.
Quin & pænè cauo ſimul hiſcere viſa palato
  Cerea, quæ magnos ſpirat imago duces.
Nec tamen vlla pares reſponſant tecta ſonores;
  Omnia ſed triſti vincta ſtupore ſilent.
Tum dixi, Vos in variâ qui ſindone circum
  Stipatis comites hinc latus inde meum;
Ite, licet, caſti cœtus genialis amores?
  Queis lyra, queis arcus, fax quibus alba placet.
Qui latet, hic tædâ rimetur, at ille ſagittâ;
  Excitet argutâ tertius arte virum.
Sed fax cæca ſilet, fruſtraque ſagitta recurrit,
  Et chelys incaſſo murmure ſurda gemit.
Quid facerem, raperémne foras veſtigia pernox?
  Certa quis incertâ præmia nocte legat?
Nocturnis ſyluis ceruo quis tendit & apro
  Retia, & atra nigros mittit in arma canes!
Luſtro domum, rimorque cauas turbata latebras;
  Sic vbi ſis quæro, nullibi ſponſus ades.
Ergo reſido domi, gratamque imploro quietem;
  Nulla ſed in mœſto deſidet ore quies.
Prô dolor! exſomnes niſi nox trahit improba curas,
  Peruigil in durâ ſtat mihi nocte labor.
Fingo, refingo nouas alterna per ora figuras.
  Nulla meum reddit picta figura virum.

Spero

Spero redux læto ſol reddet Alexin Eoo;
Quem nox furtiuo condit auara ſinu.
Ne ſol ipſe quidem radijs illuſtris & auro,
Nouit, vbi cæcum, lux mea, tendis iter.
Mens cui pura dolo, niueuſque in pectore candor,
Cur mihi, ceu Proteus, ora doloſa trahis?
Inque alias aliaſque lubet te vertere formas,
Dum miſer è Crœſo diuite Codrus abis?
Te licet in varias formas transfundat & vmbras,
Qui pia corda nouis ignibus vrit amor;
Ipſa tamen vultum non mutat Alexis imago,
Quæ nunc in vacuo plorat amara toro.
Liquitur in pictas lacrymas color omnis, & oſtrum;
Vt iubar hoc oculis ſenſit abeſſe ſuis.
O quoties mœſtæ lacrymas abſtergo tabellæ,
Cui pluit his oculis nubila ſemper hiems!
Quin etiam quacumque per ampla voluto querelas
Atria, fons lacrymis manat vbique meis.
Aut vbicumque rudi de marmore pumicat æquor
(Quale nitens quouis expolit aula loco)
Marmoreis ſpeculis pellucet Alexis imago,
Inuitatque oculos obuia forma meos.
Quam quoties ſpecto, lacrymabile facta ſepulcrum,
Ceu Niobe; lacrymas ſaxa bibêre meas.
Fletiferaſque meo fletu didicere querelas;
Sophroſyne Niobas flendo quot vna parit!
Quod mitere, ſuo te reddit in æquore marmor,
Quem rapit æquoreis perfida Tethys aquis.
Qualis at ille cauâ es depictus imagine formæ,
Qui niſi das lacrymis flumina pura meis?
Scilicet effigies memorem ciet orba dolorem;
Saucius hinc triſtes haurit ocellus aquas.
Et nocet, & ſpectare tamen iuuat vſque figuram.
Æger in hæc oculi vulnera prurit amor.
Quem ſibi neſcio quâ fingit ratione dolorem
Imminui, hunc vanis auget imaginibus.

Sæpe

Sæpè rudi vidi pubentem germine gemmam:
 Crudus adhuc verno cui viret imbre liquor:
Quæ ſub pompineâ teres vt caput abdidit vmbrâ,
 Neſcijt aprico ſolis ab igne coqui.
Degener exili ſic pumilo Bacchus in vuâ
 Hæret, & in viridi vernat acerbus aquâ.
Implorat tacitis Lunæ caua ſidera votis;
 Adſpirat radios frigida Luna ſuos.
Nec tamen hinc mitem promittit acerba Lyæum,
 Sera nec auctumnum percoquit vua merum.
Si radius nil ergo tuus maturat Iacchum;
 Luna, Vale, dixi; nunc amo ſole frui.
Et mihi cor vitis, tereti ſed palmite vitis,
 Cui deſiderium botryo crudus adeſt.
Id precor in dulces ematureſcere fructus,
 Muſteaque è lentis gaudia ferre moris.
Sed quid? in auſterum botrus hic viret vſque dolorem;
 Spes cui fert gelidum ceu notha Luna iubar.
Sæpè quidem, læti ceu ſpes foret arbitra doni,
 Gaudia promiſit, nec tamen vlla dedit:
Blanditurque animo, gratoque arridet ocello.
 Quod iuuet, hinc numquam dulce reguſto merum.
Vt cruciat vacuis quos fruſtrat opinio votis,
 Præcipuè læſum cor vbi mœror edit.
Nil gelido vultus maturat inanis ocello,
 Nubilus auſteras quas dolor haurit aquas.
Nunc igitur ſol ille meus, meus ardor, Alexi,
 Plurimus æſtiuo cui calet igne vapor,
Te precor immitem radio propiore racemum
 Tange redux, miti ſpes fluet alma mero.
Et tunc ambroſio mens quæ madet ebria ſucco,
 Eximet è triſti priſtina damna fugâ.
Quæ dulci radio luctus eradet acerbos,
 Lætitia eſt quouis dulcior illa mero.
Et potis es tali dono fraudare parentes,
 Queis oculos crudis mœror acerbat aquis.

Meque

Meque adeò teneros cui fletus amarus ocellos
  Macerat, & lymphâ rodit edace genas?
Eia quid auctumnum dulcemque morare Lyæum?
  Hunc, quaſi ſol, oculo tu mihi redde tuô.

EPISTOLA IV.

ARGVMENTVM.

E calami errore ſibi ominatur Alexij errores.

SOPHROSYNE ALEXIO.

VIx vbi triſte ſedens in limine ſcribo doloris,
  Occupat errantes turbida cura notas.
Dextrâ ſtyluſque hæret; tamen acrior incitat ardor;
  Indomitis vt eques fræna relaxat equis.
Nunc igitur ſcribam, necdum ſi tota marito
  Excidero: ah! poterit Sophroſyne excidere!
Hoc equidem timeo; nec ſit timuiſſe pudori.
  Augurat infelix ſigna ſiniſtra ſtylus:
Miror enim, quoties mœſtis incumbo tabellis,
  Pennaque ſub tremulis palpitat articulis:
Inſolitas piceo ſulcus trahit imbre figuras,
  Litteraque inuitam fallit iniqua manum.
Adſpiceres ſparſim varias errare lituras;
  Quà fuga quamque trahit, littera tendit eò.
Suſpicor, omen habet: nec abeſt nota conſcia veri.
  Error hic errores ſignat, Alexi, tuos.
Nempe peregrinis meus errat Alexis in oris:
  Sophroſyne patriâ deſidet orba domo.
Nec ſcit, vbi poſſit fugientibus vndique terris
  Hoſpita ſecuræ prendere tecta domus.
Quà tandem profugum deprendere poſſit Alexin,
  Quem tenet inuiſis barbara terra plagis.

Inſue-

Inſuetum per iter Libycos decurris ad ignes,
Arctoas Scythico vel teris orbe niues;
Aut vigil aduectis naſcenti lumina Soli,
Aut etiam Occiduas fortè reuiſis aquas.
Me trahit incertam vario vaga limite tellus,
Quæ ſibi quadrifido cardine ſcindit iter.
Hei mihi! ſæpè ſuos orbi qui publicat ignes,
Omnia me cæcus transfuga celat amor.
Quaque fugit, tacitas defigit corde ſagittas,
Parthus vti profugo tela retorquet equo.
Hinc ego mille traho vario de vulnere mortes,
Docta queri palmis; lumine docta queri.
Sæpè gemens dico: Me ſi non audit Alexis,
Audiat ærumnas Tethys & aura meas.
Ite leues animæ, queis Æolus aptat habenas,
Ite, redite meo nuntia turba viro.
Dux Zephyrus vinctis ſubſedit, opinor, in alis,
Vt bibat has, facili quas damus aure, preces:
Et mea iuſſa ferat querulas properanda per auras,
Iuſſa procelloſis non peritura fretis.
Namque tenax auidas infrænat habena querelas,
Quas grauidus vincto partu fit ore dolor.
Mœror atrox tacito tenerum cor diffidit ictu:
Hinc mea vox ſciſſo deuia corde fugit.
Saucia corda cauo pandunt graue vulnus hiatu:
Oſcitat in vanas inde querela preces.
Sed bene conſuluit mutæ pia pupula linguæ,
Pro linguâ didicit lacryma mœſta queri.
Adſpice facundis fons effluit inde querelis,
Deque genis luctûs vena biſulca ſalit.
Vena biſulca ſalit, vox vti de bilinguis amanti
Affluat; vnius ſed cui cordis iter.
Ni ſatis hoc, os cordis hians de vulnere flammas
Exprimat. innumeris ignibus opto loqui:
Et ſua vox igni eſt; vibrat ignea lingua per auras,
Et crepitat ſtrepeis flamma ſonora rogis

Et vos Æolidæ, queis nullus amicior hoſpes
Ignibus, hos æquo murmure ferte ſonos.
Quas dictat nimij lacrymoſa magiſtra doloris
Sophroſyne, has, concors Æole, plange preces.
Cur hilari de nocte fidem ſic luſit Alexis,
Vix vbi iam fidei pignora prima dedit?
An tum ſponſa, toro quæ læta ſedebat eburno,
Triſte quid obliquo lumine torua tulit?
Nec potius blando quid dulce reluxit ocello,
Sedit & in placidis cura modeſta genis?
Quin etiam mens prompta fuit, vos ſidera teſtor,
Ad tua iuſſa manum ferre, referre gradum.
Virgineamque Deo ſtetit auſpice iungere dextram,
Vt tua, mi frater, ſit tibi ſponſa ſoror,
Si iubeas. Quis enim tali non credat amanti?
Cui proba mens omni plus ſapit vna viro.
Et tamen inde repens procul auolat ictus vt œſtro,
Ceu furerem ſæuo dira Megæra toro.
Quid tibi deſertis quæris decus hoſpes arenis,
Cui patrio florent aurea poma ſolo?
Anne feret lautas Scythicis ſeges vſta pruinis
Aut Mæotis opes, aut Mareotis opem?
Vt quid adhuc vernâ fugias incertior aurâ?
Nec, dare quam poſſis, vis mihi ferre fidem?
Nil miſeret viduæ tot iam poſt ſæcla maritæ?
Te nihil ab viduo tangit amore dolor?
Quid? necdum quæ pura ſtetit tot euntibus annis,
Emeruit ſanctam tæda pudica fidem?
Ah aloën, non mella parit malefidus amanti,
Qui mihi iucundâ ſub face riſit Hymen.
E venâ vapor in venas inſerpit, & ardor,
Quem peperit triſti pronuba tæda toro.
Annulus hic teſtis, caſti prius arrha pudoris,
Qui mihi nunc pignus triſte doloris erit.
Hunc vbi ſpecto, viri cui ſculpta figura, ſmaragdum,
Ægra diu læſus corda remordet Hymen.

Grata

Grata quidem dos gemma viret, noua veris imago,
 Quæ ſpecimen pulchri nobile facta viri:
Omnibus at baccis, ſapphiris adde ſmaragdos,
 Tu mihi vir lætâ fronte ſmaragdon agis.
Purpureis ardens radijs qui floret iaſpis,
 Erubuit vultum, ſponſe decore, tuum.
Effigies hilari tua ſi viret vſque ſmaragdo,
 Cur tibi non æquo lumine ridet amor?

EPISTOLA V.

ARGVMENTVM.

Exponit quomodo adumbrata interdiu Alexij imago ſibi noctu recurſet.

SOPHROSYNE ALEXIO.

SÆpiùs occurrens tua me perturbat imago;
 Vnde redit falſo verus ab ore dolor.
Et diſco vultum venientis, & obuia contrà
 Tendo manum: vanâ ſed fugit illa manu.
Hanc vbi verſo memor, fuſcis nox aduolat alis,
 Meque premit tandem dulcis & alta quies.
Vix cœpit nox blanda graues lenire dolores,
 Cura comes triſtem ſcandit & ipſa torum.
Tum variâ mentem mihi ludit imagine Morpheus,
 Mentiturque nothus facta diurna labor:
Et mihi neſcio quo ſub lumine viſus Alexis.
 Fallor, an in ſomno viſus Alexis erat?
Aduerſum vigil intueor, quem quæro, maritum.
 Ludimur? an quem nox abſtulit, æqua refert?
Oſque, manuſque, habituſque meæ recurrit Alexis?
 Diſcis an ex ſponſo fallere, ſomne, fidem?

Ter conata fui concordem iungere dextram;
Quæ nuper patriâ tam bene iuncta domo.
Ter fruſtra, quam prenſo, manus eluſit imago,
Vt fugit in vacuum ventus inanis iter.
Inſequor; his oculis ſe ſubtrahit exſul in vmbras.
Heu! miſeræ rurſus te quis, Alexi, rapit?
Aſt vbi nox rapuit; quæ neſcio, reddit imago.
Rurſus ades. num me fallere rurſus amas?
Protinus exclamo: clamor fruſtratur hiantem,
Serpit in ora redux clamor, Alexis adeſt.
Sic ego turbo vigil clamoſis ſomnia eutis,
Me tamen in ſomno detinet alta quies.
Aduolat extemplò iucundum ad nomen Alexis
Socrus, & ad vigiles emicat ægra faces:
Sicut erat, venit raptim ſuccincta lacernâ,
Et tremulum vittâ præpediente caput.
Ocyùs huc properat, ſtudioque explorat anili
Et toral, & fulcri nobile luſtrat ebur
Indice ſub tædâ, pariterque implorat Ieſum,
Vt generum patrio limine ſiſtat Hymen:
Addicitque cruci (caſto crux pendula lecto
Hærebat) niueis ſerta ſtruenda roſis;
Inſuper æterno vigilem de fomite lychnum,
Si ſua ſi mea lux rurſus Alexis adeſt.
Et dixit, tacitum voluens ſub pectore murmur:
Numquid adhuc fallit, quiue fefellit, amat?
Rurſus ebur ſpondæ tremulâque trementia dextrâ
Stragula pertentat, ſi quis Alexis adeſt.
Nullus Alexis adeſt: nullus non angulus vncos
Occupat articulos: nullus Alexis adeſt.
Ingeminanſque breues tremulo de corde ſuſurros,
Ipſa ſibi dicit: Reſpice, nullus adeſt.
Fallaci tum crebra gemens conuicia ſomno
Dictat, & hinc ſæuos arguit ire dolos.
Ergon' vti periurus Hymen mea vota fefellit,
Perfide ſomne, ſocrum nunc quoque fallis? ait.

Inde redux thalamo, dubiæ dat membra quieti.
  Lectulus excepit triſtis anile latus.
Intereà ſomni placidis indormio pennis:
  Viſus adeſſe toro, nullus Alexis adeſt.
Tum verò in gemitus, queis me nox excitat, eheu!
  Excitat in luctus inſidioſa meos.
Et vigiles quærunt oculi ſua lumina Alexin,
  Omnia ſed cæcæ noctis inane ſcelus.
Tunc autem trepidis ſuſpiria rapta medullis,
  Singultu gemitus impediente meos;
Et dixi è niueâ ſpectans vaga ſidera ſpondâ:
  Lux ſua ſideribus pulcher Alexis abeſt.
Quid vanis ſimulacra modis vbi ſomnia ludunt,
  Spem veri tituli fictus adumbrat amor?
Si mediâ vel nocte quies parit ipſa dolores,
  Spes vbinam blandæ tuta quietis erit?
O pereat, quantum eſt ſomni diræque quietis.
  Non tanti eſt toties vulnera vt inde feram.
Seria de vanis, eheu! ſed vulnera telis,
  Queis pariunt ſæuam ſomnia bruta necem.
Ecquis adhuc niſi ficta canat ludibria ſomnus,
  Vnde premunt veris nos fera damna malis?
Non queror hinc curis animum mordacibus vri,
  Quas mihi funeſtâ Cynthia nocte ferit.
Sed queror, vt pictas aurora retexerit vndas,
  Noctis adhuc medio nubila ſtare die.
Aureus æthereos vbi Phoſphorus euocat ignes,
  Sol mihi nocturnâ nube ſepultus obit.
Heu! vbi vis ſpectem lumen radiantis Eoi,
  Si mea lux nuſquam, pulcher Alexi, redis?
Hæc ſuper vna ſalus votiuo in vulnere leti eſt,
  Vt quam tædet adhuc eſſe, fuiſſe velim.

EPISTOLA VI.

ARGVMENTVM.

OPtat eſſe delphin, vt Alexium, ſi naufragio periclitetur, ſubuehat.

SOPHROSYNE ALEXIO.

AMbigo, num duras vox hæc deſcendet in aures,
  Quam crudus Latiâ mittit ab arce dolor.
Incutiet, fateor, tibi cera ſeuera ruborem:
  Sed rubor hic iuſti vindicis inſtar erit.
Namque verecundo vultum qui diluit oſtro,
  Arguit arcanus facta pigenda pudor.
Si quereris nimium triſtes, quas mitto, tabellas,
  Et nimium duras in tua probra notas;
Et querar ipſa fidem, primâ qui diffugis horâ.
  Plus nimio duras in mea damna fugas!
Excudis rigidas tu ferreus ille querelas;
  Si quid pecco, meo crimine diſce tuum.
Plus vtra noxa nocet, dubito. me fallere doctus
  Hinc tuus vrit amor, me meus inde dolor.
Quid? tua noxa foret? quis amans accuſet Alexin?
  Dic magè neutrius, dic vtriuſque nefas.
In generi feſtos me dextra paterna penates
  Deduxit, patrium flens vbi linquo larem;
Perfidus ad primam quò me vir deſerat horam,
  Vt poſui ſacro limine læta pedem?
Hinc & in amplexus ruit, & ruit oſcula coniux,
  Vt quem vix tenui, mox tenuiſſe gemam?
Ecqua columba breui decerpit ſuauia roſtro,
  Arguat infidi crimen vt orba viri?

Tur-

Turtur an vnanimes concors conſpirat amores,
Vt diſcat ſterili non niſi voce queri?
Pronuba nocturnum mihi fax præluxit Eoum,
Noctis vt æternæ nubila ſæcla gemam?
Ingenuum ſponſæ qui ſic deludit honorem,
Hoc queat vlla ſilex durior eſſe viro?
Affinem nulli ſceleri periurus amantem
Quid miſeram linquis, ceu ſcelus auſa forem?
Illius vt memini noctis (prô lugubre nomen!)
Quâ tulit affectus auia prora meos;
O quoties profugæ conuicia dicto carinę,
Deteſtorque, mariquam dedit aura, fidem!
Opprobroque infeſto quæ diripit oſcula vento,
Vt dedit infidæ flabra ſecunda rati!
Non tot in vndoſam iacit horrida probra Maleam
Nauta procelloſis pænè ſepultus aquis:
Quot malè tranquillæ diras nunc imprecor vndæ,
Quæ tulit infidum non benè fida virum.
Ardeo, quas odi, tamen vndis credere puppim;
Omnibus & ventis te, fugitiue, ſequi.
Haud equidem metuo medijs deprenſa procellis,
Me gelido exſtinguat Tethys auara mari.
Ardet enim medijs amor ignea lampas in vndis,
Nec potis innumeris fluctibus vna mori.
Et nihil vt ſalſo mergi timet Vrſa ſepulcro,
Nil timet extingui ſic pia flamma ſalo.
Ardua ceu ferianteirati ſidera fluctus,
Siue rapax imis hauriat Orcus aquis:
Vndoſæ tranabo celer confinia mortis,
Impauidaque minax puppe domabo fretum.
Quid non auſit amor? te nónne, Leandre, per Auſtros
Iuſſit Abydeno nare, renare ſalo?
Æquor inaſſuetis ſi non euerto lacertis,
Nec ſit inexpertis fas dare corpus aquis:
At fiam rapidus pinnâ ſub præpete delphin,
Ars cui fluxa leui regna ſecare fugâ.

Te non Ægæis, non Iõnis aura per vndas
Abriperet cæcis fallere iuſſa fretis.
Vt liquidis ſectarer aquis veſtigia pinûs!
Venarer cyano quaſlibet orbe vias.
Tunc ego deprensâ medio ſuper æquore puppi,
Pinnatos raperem ſalſa per arua choros:
Luſtraremque redux agili ter in orbe carinam,
Exſultimque micans exſiliente freto,
Mille ſimul traherem ſpumante volumine ludos,
Diſceret affectus Tethys vt ipſa meos.
Sed quid ago? placidis delphini ludus in vndis
Arguit infidis omina læua vadis.
Naufragijque metum laſciuus in æquore ſaltus
Augurat. augurio ſit procul iſta fides.
Eſto tamen, ſubitis ruat intempeſta procellis
Pleias, & Orion ſpumea bella vomat:
Diſijciantque trabem, vis importuna, Triones,
Iamque natent tumido naufraga vela mari:
Quæque dehiſcit, hianſque grauem bibit vndiq; pontũ,
Te ratis exponat gurgite naufrago:
Exciperem pando te puppis vt hoſpita dorſo,
Viua ratis, cui merx viua vir ipſe fores.
Is demum ſecurus amor, fidusque ſalutis
Præſes, vbi mediâ morte pericla tument.
Si qua fides vanis; pubes ſi Troïca vidit,
Quæ ſteterant puppes, per freta nare Deas:
Quid ni Sophroſyne (ſed non Dea ficta Maroni
Fabula) ſit delphin & ratis ipſa viro?
Suſcipiatque pium pinnato tergore pondus,
Quà ruit aduerſis mors inopina Notis?
Ne geminas fruſtra tendens ad ſidera palmas
Naufragus inſanis ſidat Alexis aquis.
Vt fert fama, puer Baijs ludebat arenis,
Vnde vomunt atros ſulfura viua globos:
Sima pecus, Protei Nereique ſuprema voluptas,
Quæ ſapit humanis officioſa modis,

En

En puerum pando (mens ô quèm prouida!) dorſo
Excipit; at pinnas condit inerma ſuas.
Itque reditque fretis; pondus cui dulce puellus
Ipſe ſibi nauis, nauita & ipſe ſuus.
Litoreæque ſuum pignus commendat arenæ
Rex maris, in fluxo cui ſale firma fides.
Quid vetat, æquus amor ſimili mea brachia remo
Vertat, vti facile eſt vertere cuncta Deo?
Nec ſemel vt rapido volitem per cærula curſu,
Quò minus hic ſponſi pondera ſponſa feram:
Iamque pius delphin (quid non vis mutat amoris!)
Te ſeruem medio ſoſpita Nympha ſalo.
Sic dum corpus erit puppis ceu viua marito,
Pro delphine ſacri Typhis amoris ero.
Tunc ego depoſiti cuſtos ſecura per vndas
Iam delphin veherem ſponſa marina virum.
O pondus quàm dulce mari! quàm grata voluptas!
Quantus & attonito tum ſtupor Iönio!
Omnibus illa dies ô! deſignanda lapillis
Quos fœlix Arabis educat alga fretis!
Sin rediuiua ferox Nereus in bella recurſet,
Oppugnetque meam ventus & vnda fidem:
Iamque virum ſæuis vis inſidioſa procellis
Obruat, audaci dum pede ſcindit aquas;
Infracto tumidos perrumpam pectore fluctus,
Eripiamque auido naufraga membra ſalo.
Mœſta meum terris reddam, graue funus, Alexin,
Et comes ibo pari funere prompta mori.
Si tamen atra redit ſors, & quæ ſæuijt olim
In terris, eadem turbida ſæuit aquis:
Atque meæ fidei tam nobile pignus in vndis
Inuideat Nereus, cui niſi fluxa fides:
Atque implacatæ furor inuidus Amphitrites
Opprimat vndoſis ambo voluminibus:
Tum concors, licet inuideat fraus improba letum,
Alter in alterius funere viuet amans.

Sauciet æterni mors coniuga fœdus amoris;
Quamque dedit Tethys, & dabit æthra fidem.
Et qui dura breues diuortia luxit ad horas,
Iam ſtabit ſociâ morte perennis Hymen.
Aut pius Auſonias tunc euehet æſtus in oras,
Hoc breue quod ſpolium de ſale terra ferat:
Vt madido quidquid ſponſi de puluere reſtat,
Reſtat & è ſponsâ, bis pia condat humus.
Atque aliquis titulum figat tum fortè viator,
Iam ter vt iniectus ceſpes in ore ſtetit:
Sophroſyne hîc tandem reperit quem quærit Alexin,
Cui quam vita negat, mors dedit æqua fidem.
Diſſimili ſimilique perit diſcrimine coniux,
Vectus vterque fretis, victus vterque fretis;
Altera quòd delphin natat, occidit obruta ponto;
Alter Delphino quòd dûce tranat aquas.

EPISTOLA VII.

ARGVMENTVM.

Conqueritur, fruſtra ſe quotidie reducem coniugem expectaſſe, & fallendi deſiderij cauſâ operoſam ei togam confeciſſe.

SOPHROSYNE SVO ALEXIO.

Obnixo ſub corde premam tot tela doloris,
Quæ fugiens noſtro figis, Alexi, ſinu.
Quis fuit ille dies, atrum quo Solis ad ortum
Omina funeſtæ læua tuliſtis aues,
Auerſis, vtinam vitaſſem limina tædis,
Limina, non æqui quæ tetigêre pedes!

Cur ego non diros præſenſi conſcia caſus,
Et motus trepidæ quos monuêre faces?
An non Luna, nouis quæ dux erat alba choreis,
Abdidit obſcuris nubibus atra caput?
Nexilibuſque roſis malè texta corolla, capillis
Excidit, vt ſpinas iam mihi nuda ferat?
Quid mola ſalſa iuuat, thuriſue precantis aceruus,
Qui thalamo præſit, ſi vigil abſit Hymen?
Mens fuerat, Clitumne, tuos haurire liquores:
Heu! ſparſi Stygio neſcia rore torum.
Nec dextrâ data vitta manu, nec recta mitella eſt,
Hei mihi! lapſa fides, ſors mihi læua cadit.
Sed quid adhuc ſterili memor omina verſo querelâ?
Lapſa fides læuis non redit ominibus.
Plus opus officijs, & rite precantibus aris,
Mitior vt lætos annuat æthra dies.
Certè etiam ſuadâ tango prece Numinis aures,
Vt vincam lacrymis ſidera ſurda meis.
Nec ſatis hoc: & dona fero votiua Tonanti,
Omnibus en pendent anxia vota tholis.
Omnibus & portis ſpes excubat obuia ſponſo,
Figit & ingenuâ dona legenda manu.
Sed nil dona iuuant, nec verba precantia Diuos.
Abdicunt vacuas ſidera ſurda preces.
Attamen allabi tenues vox viſa per auras:
Ambigo, vox famæ num leuis aura ſonet.
Sophroſyne neſcis, tuus, ah! niſi pallor, Alexis,
Oſſeaque exſanguis nil niſi trama viri eſt.
Horribili ſqualore ſituque os turpis egeſtas
Damnat; & in tetrâ flens iacet illuuie.
Ipſe mei ſtudio, dixi, ſi pallet Alexis:
Ille mihi ſicco gratus in ore color.
Sic tamen vt roſeo redeat ſua gratia vultu,
Sponſus ad Auſonios quando redibit agros.
Et decus hoc redeat, toto quod in orbe Quiritûm
Quærit amans pulchris æmula virgo genis:

Ergo

Ergo redi, mea vita, redi, dic, extera tellus
Cur ſpolium viduæ triſte Quiritis habet?
Suſpendet foribus materque ſocruſque coronam,
Nupta ſemel, ceu bis iam noua nupta forem.
Sparge, Camille, nuces, puer hinc iubet, inde puella,
Exedet hinc nucleum ſponſa beata ſuum.
Has ipſas tum læta ſtolas redeuntis Alexis
Subſternam pedibus: quas mihi tinxit Hymen.
Altera ſed conchæ de nobiliore veneno
Purpura Mæonio ludet amœna ſtylo.
Tunc ego fida nouo ſubſtringam fœdera nodo,
Non comitante Deo ſi malè nupta fui,
Sparge roſas, cape ſerta, ſacris caput indue vittis,
Cæde nemus, lætâ præſtrue fronde fores.
Per te perque tuum genium rogo ſuggere tædas,
Lætus Hymen, io! gaudia, ſponſus adeſt.
Eia, Camille, redit ſponſus; redeuntis ad auram
Limina pande, celer curre; cucurrit Hymen,
Iam faciles viridi reſerat ſub limine valuas,
Admittitque hilari gaudia feſta domo,
Sic ego viſa nouo connubia iungere nexu.
Heu ſpes vana! vigil ſomnus amantis erat,
In lacrymas rurſum dolor abripit irrita gaudî
Omina: ſpes nullo candida ſole redit.
Vana ſibi gratas depingit opinio formas:
Quas quia ſpes optat, credere cæca iubet.
Hæc inter quò cura memor mihi viuat amantis,
Nocte dieque meâ viuis, Alexi, manu.
Texitur hîc, mi ſponſe, tuum noua purpura donum.
Ars tibi noſtra, tibi noſtra laborat acus.
Rara tibi ver fila trahit: legit Indus amomum:
Concha tibi fluxo Sidonis orbe natat.
Tela manu doctis ſedet erudienda figuris;
Ante pedes calathus, multaque byſſus adeſt.
Argento varios auroque intexo colores.
Nobilitat pictam plurima gemma togam.

Non viridante feras ars hîc venatur in auro,
Aut viridem plumæ verſicoloris auem.
Tibris & Euphrates ſiccis ſed manat in vndis,
Et miſcet ſocias alter & alter aquas.
Hîc Syra Romano te reddit Edeſſa triumpho,
Florentique, Charis ſiſtit amica domo.
Obuia virgatis pubes nitet Itala chlænis,
Teque præit feſta fronde reuincta caput.
Hîc nitidi pictis noua gratia veris ocellis,
Ridet, vbi Latium tangis, Alexi, ſolum.
Grandæuuſque parens relegit rediuiua iuuentæ
Penſa, viret ſimili canus & ore ſocer.
Has equidem trabeæ gratas intexo figuras,
Ficta ſed ars veras quando reponet opes?
Annua tam longi ter duximus orſa laboris;
Et cui texo, tamen te toga nulla tegit.
Ergo ſuperuacuos vt aranea teximus orſus,
Nec trahimus Latiâ ſtamina digna nuru.
Quid video? ſibi Sophroſynes num munus Arachne
Occupat, & ſponſo vult propiore frui?
Ecce meum denſâ telâ prætexit Alexin,
Et textrix tenui veſtit auara plagâ.
Ars mihi Parrhaſio quem reddidit ebria ſucco,
Inuida tela nouâ ſurripit arte virum.
Inuideo pretium tibi dulce laboris, Arachne:
Alba mihi tali ſors ſinat arte frui.
Hei mihi! ſed ſteriles, niſi mentior ægra, labores
Teximus, & nulli texta gerenda viro.

EPISTOLA VIII.

ARGVMENTVM.

Refert ſuum cum Alexio paupertatis experiendæ deſiderium.

So-

Sophrosyne Alexio.

Sit felix fauſtumque precor tibi lumen, Alexi.
Quo legis hæc, iſto lumine creſcet amor.
Opto quidem, ne cera ſit hæc, quâ ſcribo querelas,
Sed fauus, vt dulci condiat imbre ſtylum.
Dulcius inde tuas meus vt dolor influat aures,
Ah! mihi qui ſalſis totus amaror aquis.
Non hunc, vt crudo ſapiat quid dulce palato,
Condiat ipſa ſuis Enna vel Ætna fauis.
Nec quiſquam lenire queat niſi dulcis Alexis:
Scilicet hic lacrymis Enna vel Ætna meis.
Sed nec mel, nec apes meus ille reliquit Hymettus:
Sola ſed elapſo ſpicula melle lego.
Ecce fugis, fugienſque tuas non reſpicis arces,
Victus vt admiſſis auolat hoſtis equis.
Nempe paras cælo fortunatiſſimus heres
Viuere: cæleſtes quæris auarus opes.
Hinc tibi, iam telis quem plurima ditat Arachne,
Præ modico, ſordet maxima Roma, lare.
Inque breui culmô Bethle ſedet æmula cælo,
Vel Capitolinâ celſior arce domus.
Grande fugæ pretium! ſi vix caſa fulta tigillo
Latior imperio, Roma ſuperba, tuo eſt.
Hîc an & Oebalio rubet ebria lana veneno,
Et nitet in purâ candidus vmbo togâ?
Num criſpô digitos teres illigat orbis in auro?
Rara galerito vertice gemma micat?
Fons Bromij hîc roſeus paterâ num manat & auro,
Splendida vel luxu diuite menſa nitet?
Vrit alumna maris te bacca? pyropus in auro
Vrit? & in niueis vrit onyx radijs?
Pinguis odorato cirrus diſtillat amomo?
Hîc & Arabs nitidis halat odor trabeis?
Scilicet arcta ſpecus, quæ vix tribus amplior vlnis,
Claudet inexhauſtas, vrbs quibus vndat, opes.

Nunc

Nunc lacer in pannis perreptat Alexis ad aras,
Et modò qui Craſſo ditior, Irus eget.
Inſuper heſternam, parco quæ ſtillat in vſu
Torrida mica, famem fruſtrat, & vnda ſitim.
Inuitatque maligna nouam tibi cœnula cœnam,
Dum turpi macies ambedit oſſa ſitu.
Sic te ditat amor, diues cui cōpia rerum,
Lydiaque in quouis flauet arena mari.
Si quantum pedibus potes, effugis omnia Romæ
Munera, & in nudo puluere quæris opes:
Quàm metuo, nec inane metus trahit iſte periclum
(Malò tamen fallax omina vana canam)
Cui raptus perit vſus opum, quemque vrit egeſtas,
Improba, ne raptas, nude, ſequaris opes!
Vita, putas, fuerit, miſerùm ſi degitur æuum,
Et cui ſint vitæ pignora nulla ſuæ?
Vt frondes cecidere breues hiemante ſub Euro,
Frondibus orba ſuis arbor & ipſa cadit.
Sic quiſquis nudo fortunæ munera voto
Abdicat & refugit, quas amet alter, opes:
Nec ſibi præſidium, quo vita tuenda, relinquit;
Quid niſi iam mortis funebre currit iter?
Fallor: Alexi, tibi vita eſt & amœna voluptas,
Funebre nec mortis tu tibi ſternis iter.
Ipſa velim certè tecum procul vrbe Quiritum
Auſpicijs vitam ducere, ſponſe, tuis.
O quæ deliciæ, quando ſub paupere tecto
Sophroſynæ ſociam iunget Alexis opem?
Diuitias numerem? numera quot & Hermus arenis
Flaueat, & noſtras enumerabis opes.
Diues in argentum noua ſi Thetis omnibus vndis
Transfluat aſpectu candida Luna tuo:
Et Sol puluereas glebas transfundat in aurum,
Diteſcatque Tagi pauper arena vadis:
Quin & humum quotquot durant, lux gemmea cæcas
Nobilitet radio lucidiore petras:

Haud

Haud tamen immenſas opulento munere gazas
  Prætulerim, pauper quem tegit herba, viro.
Digna polo regnum paupertas clarius omni
  Occupat imperio, Roma ſuperba, tuo.
Futile pondus opum, quod cor leue degrauat Orco,
  Nubilus in volucri puluis abit nihilo.
At ſaties pleno cratere redundat Ieſu,
  Affluit & toto copia larga ſinu.
Hanc vtinam ſaperes tu quiſquis es ille Quiritûm,
  Reſpueres Romæ gaudia vana pati.
E Diuûm ſatie cui nauſea cruda palatum
  Torquet, amat miſeram bis miſer inde famem.

EPISTOLA IX.

ARGVMENTVM.

Spatians ad Tartacinam, amore cæca credit ſe videre Alexium telo ſaucium iam exſpirantem: ideoq; vanos illi complexus illigat, ſocerumq; ac parentes, vt defuncto iuſta ſecum perſoluant, inuitat.

SOPHROSYNE PARENTI ET SOCERO.

Parcite, ſi flendo veteres accendo dolores,
  Voſque nouo iubeam rore rigare genas.
Vix vno quæ corde ferat ſua damna, ſequeſter
  Diuidit in geminum pectus itura dolor.
Vt potero, ergo meos tandem narrabo dolores,
  Si non cum profugo mens fugit ipſa viro.
Fortè peregrinis Latij palabar arenis,
  Romulis vndoſo quà fremit acta freto.
Et ſua iam feſſi ſubmittunt carbaſa nautæ
  Anxuris ad portum, ſi tamen Anxur erat.

Haud

Haud procul hinc niueas attollunt culmina turres,
Culmina de Parijs ambitioſa iugis:
Indeprenſa graues fallo, nec fallo dolores,
Quà rapit anguipedem lubrica Nympha viam.
Et loca ſola ſilent nullis animanda querelis,
Siue tuis, turtur; ſeu, philomela, tuis.
Hìc mihi longa nimis querimonia lamentandos
Singultus animâ ſuffugiente trahit.
Vndas quot numero, numero tot & æquore fletus,
Diſcit & his lacrymis Tethys amara queri.
Nec dubito, concors his annuit aura ſuſurris;
Quæ ſua fletiferis nubila vertit aquis.
Neſcio an aſtrigero quot paſcit lumina regno,
Non oculis totidem triſtis & æthra fleat.
Sic vbi cuncta pares augent elementa dolores,
Iamque gemit concors orbis & æthra chorus:
Multa ſimul meditans, metuens de coniuge multa;
Ancipiti mecum corde voluto fugam,
Euentuſque viri varios, & cæca viarum,
Quæque ſedent duris denſa perîcla vijs:
Neſcio, quæ trepidas vox ocyùs increpat aures,
Vel potiùs fallax vocis imago ſonat.
Siſto gradum, & dubio ſuſpecto turbida vultu,
Luſtro tremens oculis ſidera, luſtro ſolum.
Omnia luſtrantem vox lugubris icit: Alexis
Occidit! indignum! pulcher Alexis obit!
Ergon' Alexis obit? mors ludit an error amantem?
Anxia num læſus pectora turbat amor?
Turbat amor, niſi vana necis me crimina fallunt,
Ecquis in Auſonio quærat Alexin agro?
Non ea ſpes, non cura fuit, nec gratia Romæ,
Extorrem vt patriæ reddat Alexin humo.
Sed tamen ibo, meas quò vox grauis aduocat aures.
Quis ſcit an extremam poſcat Alexis opem?
Hìc ego gramineæ viridante crepidine ripæ,
Sanguinei reperi lugubre callis iter.

Dirigui; micuere fibræ; tremor impulit artus;
Oſſa per & pectus dura cucurrit hiems.
Dux vbi ſignat iter ſerpens in puluere ſanguis,
Eloquar? hîc mortis funebre ſpecto ſcelus.
Neſcio quis medijs lacer, ah! decumbit in herbis;
Rorat adhuc triſtes herba cruenta notas.
Letalis tenerum cui cor transfixit arundo;
Manat adhuc venâ feruidiore cruor.
Stillantem tepido quæ corde bibêre cruorem,
Hîc violæ trepidis intremuere comis.
Os tamen ambroſium liquidos diffundit odores;
Arabiæ credas ſuauè rubere roſam.
Vox hiſcit tenui, quid neſcio triſte, ſuſurro:
Hoc vnum vitæ; cetera mortis erant.
Vt vidi, fugit ore color, vapor oſſa reliquit,
Vlla nec in toto corpore vena ſtetit.
At cui funeſti tam dira libido furoris,
Impiaque innocui ſanguinis iſta ſitis?
Infandum caput! ah, tantum quis an ergo furorem?
Nec rapidas vindex intonat æthra minas?
Acceſſi propiùs: modico trahit æger hiatu
Singultantem animam pectore ſemianimi;
Sanguineaſque latus delumbe reuoluit in herbas,
Immotoque diu corpore ſternit humum.
Hinc ſe ſubnixus cubito, vt tollere tentat;
Terque quaterque labans terque quaterque ruit.
Luctatur rurſus, rurſus ſuccumbit humi vis
Impar luctanti corpore femineci;
Atque graues oculos attollens æthera contra
Supremo quærit lumine lucis iter.
Suſpiratque, breuem lucis dum repperit auram;
Ferreus expugnat lumina fracta ſopor.
Et fugit egelidus toto de corpore ſudor:
Pallor, & extremum frigus in ora cadit.
Os hiat in vocem; ſonat aura; pependit anhelis
Heu! vox trunca labris vltima, Sophroſyne.

Con-

Continuò gemitus, & feminei vlulatus,
Plangor, io! ſyluas, plangor & aſtra ferit.
Irruo in amplexus; animam ſimul exſpirantem
Ore lego, vt condam pectore anhela meo.
Oſculaque inuito per anhela fugacis inanes
Relliquias animæ: nulla ſed aura redit.
Flens ego ſuſpiro; ſuſpiria ad interrupta
Hæſit vox; hæſit pectore in exanimi.
Sparſa manus, effuſa comas, & ſaucia pectus,
Imploro madidis ſidera luminibus.
Et ſuper incumbo pectus, ſimul ora; labelliſque
Os impreſſa viro, ſuauia denſa lego:
Suauia ſed nullis, eheu! redhibenda labellis:
Heu iacet antiquo lumine caſſa cinis!
Quæ ſuper vna ſalus, duo nunc moriemur in vno:
Lugubris exſtincto iam comes ibo viro.
Dulce mihi, mea lux, quo non iucundior ignis,
Viuere, te viuo; te moriente, mori.
Quæ mihi ſors te, quiſue Deus tulit? ergon' Erinnys
Ludit in ærumnas ambitioſa meas?
Alteraque inuiſo reparat diuortia telo,
Vincula queis concors nulla renectat Hymen?
Non ſat erat, dum vita ſtetit, pia fœdera rumpi;
Cur & mors etiam rupit iniqua fidem?
Rupit. & inuiſam moror, ah! abrumpere vitam,
Si pereant vitæ vota ſupremæ meæ?
Vt quid enim mutas moribunda fatigo fauillas,
Sollicitans Manes, quos tenet alta quies?
Miſcebo cineri cinerem. precor, æqua ſinat mors.
Vt quid enim dubitem perdita ſponſa mori?
En telis obiecto caput: ſed ſuſtinet arcum
Impia mors. telum iam mihi mœror erit.
Oſcula dum pandam, pandam præcordia leto:
Effundent animam panda labella meam.
En animam patulis inhians adſpiro labellis:
Obuius hanc gelidis excipe, ſponſe, labris.

Oſcula blanda meus ſed enim nil ſentit Alexis;
Vltima cui gelidis aura fugit labijs.
Ah crudele nefas! cui me mors ſæua dolori
Seruat? an infelix hæc ego damna queri?
Tum fleui, ſparſique comas; tum candida rupi
Pectora, iam planctu liuida facta meo.
Ah! perijt: perijt meus, ah! formoſus Alexis:
Ah! perijt patrijs exul Alexis agris.
Ah crudelis amor, mihi tu ſic reddis Alexin!
Perdere, quæſitum ſic reperiſſe virum, eſt.
Eloquar? ah! tandem poſt tot diſcrimina rerum
Anxia ſuſtineas dicere lingua, Iacet.
Ah! iacet immiti transfoſſus pectora ferro,
Id mors auſa nefas, an magis aſper amor?
Si tamen hic ſit amor, qui dum ſua ſpicula torquet
Blanda licet, diræ vulnera mortis agit:
Atque vnâ geminum defigit arundine pectus.
Hic amor, an ſæuo natus amore furor?
O in hiulca meum ſit fas ſtillare cruorem
Vulnera! Sophroſynen hinc vt, Alexi, bibas.
Panthea quò Latio nunc ſurgat & Itala regno;
Hoc ſibi cur rapiat barbara ſola decus?
Hic lacero quicumque fluit de pectore ſudor,
Sudor alens lacrymas ſit meus ille cruor.
Hîc quot purpureos exſudant vulnera rores,
Et lacrymas ſponſæ ſaucia & oſſa dabunt.
E venâ dolor in venas, ſimul improbus ignis
Serpit, & hinc ſalſas eliquat ardor aquas.
Heu! heu! ter miſeram ſortem! ſic raptus Alexis?
Vix cui nupta ſemel, plango bis orba viro?
Hoc mihi vouit Hymen pernox in limine cuſtos,
Vt mihi quem ſeruet, perdat acerba dies;
Spineaque è roſeâ decerpam tela corollâ,
Et ſponſi labijs fel niſi triſte bibam?
Ergo redux pietas raptum mihi reddit Alexin,
Et rediuiua nouus vincla renectit Hymen,

Vt miſero felix vnam niſi nubat in horam,
Et gemat æternæ ſæcula ſponſa necis?
Nempe faces accendit Hymen, queis vritur, eheu!
Vritur inſano mox male nupta rogo.
Et fugis, ah! nec dulce voues ſolamen Alexi,
Ah! fugis, ah! vitæ lux modò ſola meæ.
Si tibi ſtat lato reſciſſum pectus hiatu;
Maius adhuc illo pectore vulnus hiat.
Sophroſynen memori ſic pectore condis Alexi,
Si iaceat ſurdo puluere Sophroſyne?
Sophroſyne, quæ prima tuis fax hauſta medullis,
Vltimus extincto nunc erit igne cinis.
Nunc nunc, ô Charites, quas vis tenet æqua doloris,
Vos & Oreïadum Naiadumque chori,
Ne magè funeſtum mihi plangite nomen Alexin;
Quam mors bina grauat, plangite Sophroſynen.
Acriùs hanc ſuus vrit amor, quàm ſpicula leti:
Si dolor eſt leto, plus dolet æger amor.
Voſque adeò vitreo quæ paſcitis vbere riuos,
Naiades, in lacrymas, deprecor, ite meas.
Denique Sol triſti præuela ſidera nimbo,
Vt modò qui terras, tangat & aſtra dolor.
Quique priùs dulces liquor aduena fluxit in vrnas,
Effluat in ſalſas, ceu mare, fontis aquas.
Hæc equidem planxi, nî fallat opinio mentem,
Sed fidei cuſtos fallere neſcit amor.
Sæpè quidem metuo, ne quis me faſcinet error;
Diſcutit hunc oculis lyncea cura metum.
Haud equidem fallo; vanâ nec imagine fallor.
Conſulo flens oculos, conſulo mœſta manum.
Ægra tamen timeo, ne quis me luſerit error.
Credula nam cæcat lumina cæcus amor.
Intereà ſacris tutela ſedebo fauillis,
Atque parentali iuſta parabo ſacro.
Da ſocer ô veniam, ſi nulla reuiſo penates,
Me tenet in nudâ nudus Alexis humo.

Reſpha ſuos ſi fida parens defendit alumnos,
Arcuit & ſæuæ roſtra cruenta feræ,
Ac Beniamini miſeros de ſtirpe nepotes
Sub cruce maternâ ſedula fouit ope:
Et ſimili vindex ego lege tuebor Alexin;
Armabo intrepidas facta leæna manus.
Hæc cineri promiſſa fides, & cura ſepulcro:
Quam mihi vis mortis non dabit vlla mori.
Explebo hic numeros, & amica fauilla fauillæ
Reddar, vt & concors de nece viuat Hymen.
Ite precor volucres Diuûm pia nomina fratres,
Quos Charis educit cælite pulchra ſinu.
Ferte citi gelidæ fetalia dona fauillæ,
Cùm modò ſupremus iuſta parentat honos.
Hic vitreos rores, pateram ferat ille Lyæi,
Tertius intexat florea vincla comis,
Sint & qui ramo cingant felicis oliuæ
Omne latus; caſto ſic iubet ore pudor.
Gramineóque toro tandem ploranda reponant
Membra; quibus reddat purpura triſte decus.
His actis properè, flens cetera penſa doloris
Exſequar, æquali pænè ſepulta ſolo.
Vos igitur properate pij dare munus honoris,
Quale ſibi poſcit cura ſuprema decus.
Tum demum poterit ſocio iam nupta ſepulcro
Sophroſyne ſponſo, quà licet, vſque frui.
Heu quid ago, aut vbi ſum? cur ſic oblita parentum
Neſcio quos vanos inuoco cæca Deos?
Siue Dijs ſimiles genios, & inania mentis
Somnia, fallaces ſomnia docta dolos?
Ergo pio me teque parens accinge labori:
Oſſa vides ſancto puluere digna tegi.
Nos æquam partem curemus vterque; tuebor
Funus ego; propera funeris exſequias.
Seu potiùs geminos vno iam conde ſepulcro:
Sophroſynen raptâ mors quoque luce rapit.

EPI.

EPISTOLA X.

ARGVMENTVM.

Refert in die nuptiali ſiniſtra omina, & inanem epithalamij gratulationem, ſponſo furtim elabente: optatq́ue ſepulcro ſaltem illi iungi.

SOPHROSYNE ALEXIO.

QVò mea, quò tandem mitteris epiſtola? miſſa
 Sæpius, at domino reddita nulla tuo es.
Miſimus huc, illuc terrâque ſaloque tabellas:
 Neſcia ſed ſponſi terra ſalumque mei.
O mihi ſi centum vocali pectore linguæ,
 Et mea vox centum vincat ahena tubas!
Et gemino moſtas denuntiet orbe querelas,
 Queis coniux viduam perſonat ægra domum!
Tunc quoque, ſponſe, meos ſurdâ licet aure dolores
 Acciperes, curis ingemereſque meis.
Hei mihi! quàm memores vox pronuba ſauciat aures!
 Dulce prius, durum iam niſi nomen Hymen.
Ara ſtetit Diuis patriâ genialis in aulâ,
 Sanxit vbi ſociam pronuba gemma fidem.
Thura dedi, lacrymaſque ſuper cum ſupplice libo,
 Gratus vt è lacrymis iret in aſtra vapor.
Velleraque alba tuli, viridique è termite frondes,
 Vnde viret lætis floribus alba fides.
Tunc aulæ meo cecidit quoque gemma monili,
 Auguriumque mihi gemma caduca dedit.
Offendenſque ſacrum læuo pes omine limen,
 Rettulit offenſo limine ſigna fugæ.
Omina pondus habent: thalamo dilapſus Alexis,
 Deuia nocturnis auolat vmbra locis.

Egregius ſponſæ ſponſus ſic fallit amores,
Quam premit ignaram criminis alta quies.
Durior, ah! ſolido, quo porta recuſa, metallo eſt.
Inde nurum linquit, cui dedit arrha fidem.
Veſpera dum pernox Oetæos euocat ignes,
Inuitatque ſacras nox vigilanda faces:
Ante torum, multo mater quem ſtrauerat oſtro,
Augur Hymen pallâ conſtitit in crocinâ.
Viuite concordes felici ſidere, dixit,
Candida vos plenâ ducite penſa colu:
Viuite, & illuſtri tam ſurgat honore nepotum,
Quàm ſpe magnanimos tollit Alexis auos.
Vt micat hæc puro iam tæda iugalis ocello;
Sic conſors gemino ſidere viuat amor.
Vix ſed auara breui lampas præfulſit amori,
Effugit æternum non rediturus amor.
Quàm ſerit, ah! duros ſpinoſo corde dolores
Tæda, vouens fluxis gaudia nata bonis!
Mentiturque ſtatos fax connubialis honores,
Quæ citius vernis occidit atra roſis.
Poſtera ſol mirans ſibi nulla repotia reddi,
Hæſit, & attonitis lora retentat equis.
At verò viduâ tot vt hauſit ab vrbe querelas,
Triſtia nimboſo condidit ora die.
Crederis æquoreis ſubitò conſpectus arenis,
Vndoſiſque fugam ſollicitaſſe vijs.
Prô Superi! potuit diuelli litore puppis,
Conſcia periuræ quæ daret arma fugæ?
Nec ripâ vinxit luctantes Tibride remos
Pronubus æterni fœderis autor amor?
Cur non naufragis Neptunus inhorruit vndis?
Diripuitque procax carbaſa lina Notus?
Litoreiſue rates auidas incluſit arenis,
Turbo repercuſſis euoluendus aquis?
Vos ô ſiderei cælo qui curritis ignes,
Lucida cur cæcis ſigna dediſtis aquis?

Vt

Vt video, prælustris iter dum ſignat Olympus,
Vos etiam profugo parcitis aſtra viro.
Nil læſi Superos iniuria tangit amoris,
Et leuitas meriti iam graue pondus habet.
Tuque pari Nereu conflas periuria damno,
Qui faciles aperis per vada fluxa vias.
Pax maris illa, meus quà denatat ignis Alexis,
Et fugit, ô animo quanta procella meo!
Et quot agit fluctus mediâ vel in vrbe Quiritûm!
Vnde cado ſicco naufraga ſæpè ſolo.
Hæc lacrymoſa graui quę perſono litora queſtu,
Sæpè, puto, lacrymis ingemuêre meis.
Quale fugæ pretium! fuga quot nocet improba damnis!
Qui cùm me fugias, tot malè perdis opes.
Si non ſum tanti, ſocię commercia vitæ
Cui iungas; tibi mors cur mea vilis erit?
Dimidio ſic orba meo, ſic ſaucia luctu,
O, quoties morior, nec ſemel apta mori!
Adſpicis hæc; nec adhuc ſponſæ tot flectere damnis,
Quæ frangant rigidas, pectora bruta, tigres.
Vt quid enim ſurdâ tot damnas aure querelas,
Cùm tot alas lentæ pabula dira necis?
Qui cum ſole redux tædas extinxit Eous,
Nónne fuit vitæ veſpera ſumma meæ?
O vtinam ſors æqua pares quos iunxit in vſus,
Par etiam caſto iungeret vrna ſinu!
Fatales certè numeros expleuit & annos
Dimidio coniux orbus vterque ſui,
Dum fuga longinquis vnum cor diſtrahit oris,
Coniuge quod dextrâ tam bene vinxit Hymen.
Quòd ſi mors ſocio iungat nos vna ſepulcro,
Diuiduis vitę quos ſcidit ordo vijs;
Poſthumus opto meis flos exoriatre fauillis,
Cui meus inſcriptis viuat amor folijs.
At non ille breui cui marcida rideat æuo
Purpura, nec pictas tondeat aura comas.

Viuat, io! & longos adoleſcat Alexis in annos,
Quem pingat lacrymis roſcida Luna ſuis.
Sophroſyne bis iuncta ſuo ſic nubet Alexi.
Quam non dat thalamus, flos dabit iſte fidem.

EPISTOLA XI.

ARGVMENTVM.

Narrat obſcurâ famâ ſe accepiſſe eum agere Edeſſa, eoq́; ſe curſum adornare.

SOPHROSYNE SVO ALEXIO.

ANte tenace diu linguam diſtrinxit habenâ,
Qui ſedet erepto pignore nudus Hymen.
Aſt animat viuis ingrata ſilentia ventis
Mœror, & in triſtes perpulit ire ſonos:
Et iubet hæc, quæ ſcribo, meo me mittere Alexi,
Si meus es, varijs quem tenet error agris.
Crede mihi, profugo propior non alter Vlyſſi
Errat; vti cunctis, ſponſe, vagaris aquis.
Nunc Piræęis ſoluit tua puppis arenis,
Siue Corinthiacis fert nouus æſtus aquis.
Mygdonio nunc fortè notas in puluere paſſus,
Præmia fortè Syri carpis amœna ſoli.
Fòrs atros Arabas, Perſáſque inuiſis & Indos;
Fòrs Libycas flammas, Caucaſeaſúe niues.
Forſitan & populos luſtras, quibus Heſperius ſol
Purpureas parcâ luce colorat aquas.
Non tamen id damno, luſtres, quod luce diurnâ
Luſtrat & Eous Phœbus, & Heſperius.
Id doleo, tantis ſine me quòd agare periclis,
Nec liceat comiti, quod decet, ire mihi.

Aut

Aut ſaltem abſentes oculis attingere vultus,
  Aut ſaltem notos combibere aure ſonos.
Ah! quoties dixi procumbens Tibride ripâ,
  O! ego quàm vellem lyncea tota forem!
O quæ mille vibras oculos, tot & arrigis aures,
  Da mihi, quæſo, tuo munere Fama frui.
His oculos liceat transſcribam lyncea membris,
  Seu, vigil Arge, tuos; ſeu, bona Fama, tuos.
Lumina non tantùm tot poſco; at poſco tot aures,
  His eget, abſentem qui memor exſul amat.
Omnibus & templis hæreret, & omnibus aris,
  Omnibus hæreret auris auara tholis.
Omnibus inſinuans via quà patet anxia rimis
  Hoc caput, exciperem coniugis ore ſonos:
Sublegerem que preces, nectar queis ſpirat Alexis,
  Imbiberemque alto gaudia pura ſinu.
Inſuper innumeris luſtrarem lucida flammis
  Teſqua, ſpecus, ſyluas, oppida, rura, caſas;
Milleniſque oculis furtim rimarer, Alexis
  Quid faceret; facerem quidquid, Alexi, facis.
Quà licet, affluerem comes omnibus obuia votis,
  Seu labor vrgeret, ſeu foret alta quies.
O, ego tunc felix! concors mihi ſponſus Alexis
  Nobilior Solis ſidere flamma foret.
Et Diuûm me cura tenet; nec abhorreo Numen.
  An quia nupta viro, non ero fida Deo?
Talia iactabam mecum Tyrrhenide ripâ,
  Cùm tandem è Syrijs appulit aura plagis.
Et breue neſcio quid, quod non ſatis impleat aures,
  Humidus ab Tyrijs nunciat hoſpes agris.
Audio, num fallat me futile murmur? Alexis
  Multus in ore ſonat, numquid Alexin amat?
Ecquid ais? rogito, me deſerit ille: ſed alter
  Hoſpes adeſt. Syrijs noſcis Alexin agris?
Et quæro, & per ſacra, Deumque obteſtor & aras,
  Et ſibi per quidquid dulce reſeruat amor,

Ille

Ille quid, ô tandem? tuus, inquit, Alexis Edeſſæ.
 Quid vis plura? ſat eſt, cetera ventus habet.
Diceris hîc paruæ magnus iam ſplendor Edeſſæ,
 Alter & Ephremus, ſed cui Roma parens.
Alter & Euphrates riguos fœcundus in amnes,
 Vbere qui Syrios flumine ſtagnat agros.
Sic tua perpetuo dimanant lumina fletu,
 Sic oculo torrens amnis vtroque ruit.
Paupere ſic decorat panno te diues egeſtas,
 Gloriaque aſtrigeris nobilitanda choris.
Hinc mihi quis ſenſus, quæ ſint ſuſpiria, dicet,
 Qui duo coniunxit corda pudicus Hymen.
Exſilijt cor pænè ſinu; quod currere geſtit
 Exſul ab Oenotrijs ad Syra regna plagis.
Roma vale, dixi; valeant tecta alta Quiritûm,
 Iam rudis Iōnijs auehor hoſpes aquis.
Ite leues remi; Tyrio ſale quærite portum.
 Ite, ſed in Syriâ portus Alexis humo.
Ventorum ſpatijs quà puppis inanibus errat,
 Errat & affectus per freta longa meus.
Si tamen æqua leues errare per æquora pinus
 Sors ſinat, & velis annuat aura meis.
Hei mihi! ſed pulchris ſors obſtrepit inuida cœptis:
 Præpedit imbellis nobile ſexus iter.
Quid iuuat obnixus ſi trudat euntia ventus
 Carbaſa, quà prono labitur vnda mari:
Si pudor Æolijs echeneïs aderrat habenis,
 Linteaque inuito frænat itura ſalo?
Quod ſuper, hîc memori ſolabor imagine luctum,
 Et lenibo graues quas alo corde faces.
Eſt mihi, quæ ſimili vultu mentitur Alexin,
 De Lyſippæâ ficta figura manu.
Frons cui vincat ebur, vincat gena tincta roſetum,
 Vincat Arachnæas & coma rara plagas.
Hanc vbi ſpecto, fauo quæ dulcior vbere, ceram,
 Mutuat hinc viuas ignea vena faces.

Inde

Inde gemens pulchro ſi libo ſuauia vultu,
Cor ceu cera liquens liquitur in lacrymas.
At metuo, nimio velut Icarus alter ab æſtu,
Ne pereat flammis cerea forma meis:
Naufragaque egelidis deſidat & occidat vndis,
Sed cui nauifragum ſit mare de lacrymis.
Quis ſcit, an & curuis hoc os vbi ſtringo lacertis,
Exſpirem extremos ilicet in gemitus?
Et dicam gelidis vbi pendula vita labellis
Seſſitat, æternum, lux mea, ſponſe, vale.

EPISTOLA XII.

ARGVMENTVM.

INdicat quo animo futura ſit, ſi Alexio aliquid humanitus acciderit.

SOPHROSYNE ALEXIO.

QVi defixus adhuc hæret ſub pectore vultus,
Exprimit has, mœſto quas damus ore, preces.
Sæpè ſtylus mediâ mœrens à voce reſiſtit:
Flens abit in lacrymas, ſicubi ſiſtit iter.
Has igitur ſi quæ ferat aura vel vnda tabellas,
Flebis, & has oculo turbidiore leges.
Vt iunxti ſocio mihi vincla iugalia nodo,
Sic mihi flens lacrymas, iungere ſponſe voles.
Nomen ad hoc ſponſi vetus antè recruduit vlcus;
In noua damna memor vulnerat oſſa dolor.
Vir meus ah! nuper, iam non meus, auius erras
Exſul, in Auſonias non rediturus aquas?
O vbi te geminâ comes aſſequar æqua ſub vmbrâ,
Vt mihi reſtituat, quas fuga tollit, opes?

Pul-

Pulchrius haud vſquam certet certamen amoris.
Mille, viden'? palmas vnica meta parit.
Nolo Palæſtinis legat has victoria ſyluis;
Has ab, Alexi, tuâ ſed volo fronte legi.
Nempe ſub hoc vno felici nomine Alexis,
Quælibet immenſas copia fundet opes.
Hîc quòd diues Arabs, quòd mittit & Indus amomum,
Hic & Erythræis gemma, vel albus onyx:
Hîc & odoratæ, pinus Nilotica, merces
Quas Italo donat munera grata mari:
Denique quidquid opum Lydis flaueſcit arenis,
Aut vomit in Tyrio ſaucia concha freto,
Vnus Alexis habet: mihi ſolus Alexis amorum
Mundus; in hoc mundo rex mihi caſtus amor.
Sed tamen (vt fragili pendet ſors anxia filo,
Mortaleſque necis par iubet ordo mori)
Forſitan inuiſis iam mors adoperta tenebris
Te rapuit vitæ lumina prima meæ.
Hanc mihi ſi miſeræ ferret fama horrida cladem;
Diceret aut quanam contegereris humo;
Excuterem niueis prius oſſa ſepulta fauillis,
Et legerem pullo triſtia dona ſinu.
O quos tum gemitus, quæ tum ſuſpiria, noſſes,
Compoſitos ſenſus ſi quis habet cineres.
Suſpicor, inde nouo indueret calor igne medullas,
Quas gelidâ mortis vinxit hiems glacie.
Nam nequit exſtingui, ſemel hauſtus vt oſſibus arſit,
Morte vel inuitâ viuidus ardor amor.
Eſt vt id inuideam flens nobile munus Iaccho,
Quòd non illa meus diluat oſſa cruor.
Viuida carbaſeis ſiccarem funera ventis,
Plurima quæ lacrymis perfluat vnda meis.
Depoſitum tandem grauido ferale pheretro
Commendans, Superis vltima vota darem.
Vt cineres fido tegat vrna quieta ſepulcro,
Dum ſecat æthereum ſpiritus ales iter.

O mihi dulce caput! vitali carior aurâ,
 Ah! ſine me te ſic, pulcher Alexi, mori!
Quis ſic inuidit Deus? ô quæ triſtis Erinnys
 Diſcidit implexâ fœdus vtrimque manu!
Et quantum hoc fuerat, paucas vitalis in horas
 Gaudia parca ſimul ſi legat æquus amor?
Gaudia virgineo non inſidioſa pudori:
 Sed quibus intacto corpore purus Hymen.
At quia non licuit (ſic imperat autor Ieſus)
 Exſtincto liceat reddere iuſta viro.
Quod ſuper, auguſtum Pariâ de rupe ſepulcrum
 Moliar æterni diues honoris opus.
Aut lapis eſſe velim Latio Niobeïus aruo,
 Hinc vt marmoream mors ſtruat æqua domum.
Securaſque piâ condam ſub rupe fauillas;
 Vt cinis hinc lacrymas imbibat vda meas.
Quid nondum liquidis corpus liquet omne medullis?
 Lugubre quid pectus ſcrupea durat hiems?
O ego ſi poſſem lacrymabile viuere marmor!
 Sors vetat. hoc ſaltem marmore ſculpta legar.
Inſculpam tumuli victuras fronte querelas,
 Principe quas hoſpes qui redit vrbe, legat:
Hîc ſitus ille cinis nuper meus ignis Alexis,
 Sophroſynæque ſuæ primus & vnus amor.
Dum ſponſam varias pius effugit exſul ad oras,
 Exſul & heu! ſponſam deuia vita fugit.
Sed ficto quid damno viri de funere mortem,
 Et traho funeſtæ ſtamina pulla necis?
Viuis adhuc, viuis (ſic ſpes canit augur) Alexi,
 Sophroſynæque voues candida ſæcla tuæ.
Nunc erit vt viduos tandem ſolere penates,
 Poſt aliquot meſſes & tua regna colas.
Iamque vbi ſumma pios fors opprimet hora parentes,
 Et necis in falces ille, vel illa cadet:
Tum, tua quæ pietas, finges morientis ocellos,
 Immiſcens lacrymis verba ſuprema tuis:

Ex-

Extremumque recluſa, grauique cadentia leto,
Signabis trepidâ lumina clauſa manu.
Quæque parentales reddi ſibi quæret honores,
Sentiet officium muta fauilla tuum.
Adijcies titulum: Iacet hac Euphemius vrnâ,
Quem ſuus Auſoniæ reddit Alexis humo.
Fræna peregrinis cui flectere ſuaſit ab oris,
Hæc cui iuſta pijs Manibus addit honos.

EPISTOLA XIII.

ARGVMENTVM.

Excuſat ſanctam Alexij fugam, ad quam ille ſit impulſus diuino inſtinctu, & aſſerit eum eſſe Romæ.

EPISCOPVS EDESSENVS SOPHROSYNÆ.

ALternas vltrò citroque meare tabellas
Lex iubet vrbanis officioſa modis.
Has equidem patrijs regnis extorris Alexis
Sophroſynæ voluit reddere ſæpè ſuæ.
Sic Charis vrbano ſuadebat amica lepori,
Excidit inculto culta ſed ore Charis.
Negligit antiquos ceu ruſticus vrbis honores,
Verbaque de blandis erudienda ſonis.
Scilicet ęthereas mens auolat ales in arces,
Quaſque terit, terris exſul Alexis abeſt.
Aſt ego diuini felix interpres amoris,
Quæ vir ferre negat, nuncia certa feram.
Accipe, Sophroſyne, non murmur inane, ſalutem.
Viue precor ſaluo ſalua marita viro.

Quæ

Quæ poteras fugiente viro deſerta videri,
Te tibi vir reddit; quam fugit exſul, amat.
Non, vt rere, fidem fugiens abrupit Alexis;
Hæret adhuc imis ſponſa pudica fibris.
Hærebitque tenace trahens in pectore vitam
Sophroſyne, Romæ quæ ſibi viſa mori eſt.
Ille priùs linquet iucundæ lumina vitæ,
Quàm virgo exciderit virgine ſponſa ſinu.
Lucentemque globum Solis priùs atteret æther,
Inuida quàm memores deleat hora notas.
Nudus opum terris ſuperos quia quærit honores,
Non damnat thalamos, vt gemis ægra, tuos.
Multa ſibi vanâ mentitur imagine mœror,
Quodque vbi ſit neſcit, fingit adeſſe ſcelus.
Obteſtor Superos, Superumque adiuro parentem;
Et per ſiqua tuo corde relicta fides:
Et quidquid per dulce tuus tibi ſeruat Alexis,
Et per quod dederit, ſiue daturus erat:
Inuitus, mihi crede, domo diſceſſit Alexis,
Abrupitque oculis lumina veſtra ſuis.
Verus Edeſſenis venio tibi nuncius oris;
Accipe quæ ſanctæ cauſa ſit æqua fugæ.
E Diuûm monitu (Diuos quis tendere contra
Audeat impunis?) triſte peregit iter,
Inde tori genialis ebur, luxuque ſuperbas
Regifico in panno paupere ſpreuit opes.
Victor amor rerum pulchros iubet ire labores,
Sublimeſque animas ardua vota ſequi.
Numinis imperio (quæ gloria maior Alexi eſt?)
Deſpuit auratas, ſplendida damna, domos.
Ecquid enim pictæ byſſi nitor? ecquid eburnis
Aurea fulcra toris? pictaque veſtis acu?
Quidue graues Baccho pateræ vel nimbus amomo?
Quæque natant liquidis atria ſparſa crocis?
Ecquid ob ora dapes, Siculæue quid orgia menſæ,
Queis dape ſemper egens accubat atra fames?

Abdicat hoc nihilum, vanâ quod fulget in aurâ,
  Sponſus inops, patuus cui ſua Roma ſpecus;
At non Sophroſynen: viget vnicus ardor Alexi,
  Sophroſyne, Ieſu ſi modò iuſſa ſinant.
Nec tantum mens vna fuit tibi ferre dolorem:
  Siqua tulit ſponſæ damna, tuliſſe dolet.
Vt quid enim noceat caſtæ tam mitis Alexis
  Sophroſynæ, nulli qui nocuiſſe velit?
Quod ſperas, metuiſue; doles, gaudeſue viciſſim;
  Id metuit, ſperat, gaudet, & ipſe dolet.
Quin & ſiqua ſuæ ſuccedat gloria morti,
  Inde vouet vitæ præmia ſera tuæ.
Æternos moriens addicet Alexis honores
  Sophroſynæ, & patriæ nomina clara domus.
Quæ laus nulla virûm, non ipſa æquare Quiritûm
  Fama, licet ſceptro principe nixa, queat.
Fundat enim virtus ſolido ex adamante columnam,
  Quam ruat infeſtis nulla procella Notis.
Hæc quia ſed tardos olim voluenda per annos,
  Nunc redimet lentas lætior hora moras.
Quid ſi nunc aliâ lenirem voce dolores,
  Et caperes oculo proximiore virum?
Os oculoſque viro ſimilis quis neſcio ſeſe
  Offeret, auguſtum cui ſedet ore decus.
Nec tamen ipſa tuis oculis malè prouida credes
  Eſſe virum, ſimilis cui ſit imago viro.
Sæpius incurres Romæ (malè neſcia) Alexin,
  Quem quærit varijs auia cura plagis.
Namque meâ nuper digreſſus Alexis Edeſsâ
  Ad Latiam Syriâ puppe renauit humum.
Tempeſtas tumidis arriſit idonea velis,
  Italis vt remos imbuat vnda ſuos.
Excepit Tiberina cauis iam Nympha lacertis,
  Vt reor, ab Syriâ qui redit vrbe, virum.
Et nunc ille, diu qui ſol ſtetit alter Eoo,
  Alter & Heſperijs ſtabit Eous agris.

Illius

Illius appulſu (reducem quia nouit Alexin)
  Credo ſuas Tiberis lætior auxit aquas.
Pluribus vt Romæ tumefacta ſuperbiat vndis
  Gloria, cui reddunt æquora tale decus.
Quære vigil, refugamque indaga lyncea prædam:
  Quo minimè ſperas tramite, præda redit.
Hæc vbi ſit quæris, noſtíne ſuperba parentum
  Limina lunato ſæpè terenda pede?
Hîc tuus, & neſcis, procul & propè ſidit Alexis;
  Quàm procul eſt oculis, tam propè calce premis.
Quære, licet partes ſeſe diffundat in omnes
  Cura redux; totâ currat in vrbe labor.
Haud tamen eſt reperire tuum, quem quæris, Alexin,
  Namque tuo à ſponſo totus Alexis abeſt.
Ignotum quoties incurres obuia ſponſum,
  Et ſtabis mediâ turbida facta viâ!
Et dices, oculis omnes vbi perlegis artus,
  Vir meus, aut certè par Codrus ille viro.
Sub lacero ſed enim Codro quis credat Alexin?
  Deme viro pannos, totus Alexis erit.
Ad tua tecta redux ſic errans ſæpè, nec errans,
  Hærebis dubijs alterutrimque modis.
I nunc & profugum graue ceu ſcelus argue ſponſum,
  Inuentum mediâ quæ fugis vrbe virum.

EPISTOLA XIV.

ARGVMENTVM.

Genoueſa Ducis Brabantiæ filia, nupta Sifrido Romani Imperij Palatino, pudicitiâ & patientiâ Suſannam expreſſit. Cùm enim Sifridus ad Imperatoris aulam eſſet euocatus, vxorem ſuam Goloni militi fortiſſimo

mo cuſtodiendam tradidit. Sed miles primùm blanditijs & fictis de morte mariti litteris, deinde varijs moleſtijs eius pudicitiam exagitauit, irrito conatu. Quocirca vbi eluſus amor ſeſe in cauſas odij inflexit, eam calumniâ oppreſſit apud Sifridum, qui abſens iuſſit eam toro deturbari, & filiolum recens natum occidi. At verò ſatelles, cui cruentũ hoc negotium erat commiſſum, tenello infanti pepercit; & linguam cani exciſam in factæ cædis indicium Goloni attulit: infantem autem ad matrem, quæ ærumnoſam auio in ſaltu vitam trahebat, tranſmiſit. Infelix mater filiolũ, antè ſibi ereptum ex inſperato nactæ aliquamdiu lactat; at mox areſactis vberibus eum B. Virginis præſidio commendat. nec vanâ ſpe. Ea enim ceruam ſubmittit, quæ infanti ſuum lac immulgeat: & poſtliminiò reuerſum Sifridum venandi causâ eam in ſyluæ partem impellit, vbi & ſuam Genoueſam & filium ſeptimo demum anno deprehendat. Hic ergo de re omni certior factus, totam calumniæ telam retexit, & in caput Golonis ſuum ſcelus reuoluit, quem quatuor bobus in diuerſa incitatis diſtrahi imperat. Hæc verò non antè cum viro vult redire in gratiam & coniugij ſocietatem, quàm ibidem ædem B. Virgini Tutelari ſuæ Diuæ exſtruxerit; quam & Sifridus exædificauit dedicante Hidulpho Epiſcopo. Porro ipſa Genoueſa exiguo tempore ſuæ pudicitiæ triumpho ſuperuixit. Celebris eius exſtat memoria, & ſanctimonia præclaris miraculis illuſtris eo loco, vbi ſepulta, relucet: cui dies ſacer 11. Aprilis.
Molanus de SS. Belgij.

Narras

Narrat ſummâ cum ignominiâ & iniuriâ ſe eiectã domo, & ereptam ſibi prolem, quam è Sifrido ſuſceperat.

GENOVEFA SIFRIDO.

Illa ego, quæ nuper patriâ præcincta coronâ
Pænè tibi ſuppar iura ſecunda dabam,
Quæque toro felix dominabar principe coniux,
Orba toro, & certo nunc vagor orba lare.
Et quę facta tuo nuper quoque munere mater,
Coniugis & matris nomine caſſa gemo.
Nempe tuo imperio (credam ?) mitiſſime coniux,
Arbitria hæc de me Golo cruenta facit.
Ille ferox tollit (cui non miſeranda parenti ?)
Viſcera noſtra, tuum, magne Sifride, genus,
Ille rapit tenerum, genui quem caſta, puellum,
Et pariter vitæ gaudia cuncta rapit.
Vagit hians, ploratque puer. ſenſiſſe putares.
Quaque poteſt, tenui voce requirit opem.
Lacrymuliſque ſinum perfundit & ora parentis,
Illaqueans vncâ lactea colla manu.
Vt latus intorquet! teneris vt abhorret ocellis!
Vt fugit, auerſo quam tremit ore, feram!
Tam tener vt pupus partes ſe verſat in omnes!
Nec pedis arte fugit, quas fugit ore, manus.
Luctor, at incaſſum; luctantis ab vbere raptum
(Nam tua iuſſa vrgent) fortior hoſtis habet.
Hic equidem optaui, ſceleris tu neſcius auctor,
Aſpiceres ægro lumine triſte ſcelus.
Quis mihi tunc animus, quis clamor, planctus, & angor,
Collige, qui primâ ſis modò prole parens.
Flens ego nequidquam Superos obteſtor, & aras,
Nequidquam mea lux, teque tuamque fidem.
Tum gemui, planxique comas, tum denique rupi,
Iuit vt in laceras vnguis vtrimque genas.

Pectora triſtè nigra ns en fuſcat eburnea liuor,
Cerne, ſuper formæ forma nec vlla meæ eſt.
Altius exclamo, ferus abnuit ille querelas,
Puluereoque celer turbine verrit iter.
Inſequor. afflictus rapidas amor addidit alas:
Ceu leuis ala feror. pondera neſcit amor.
Prædo fugit, fugienſque nigras prius occupat vmbras,
Et rapit in cæcum lumina noſtra nemus.
Et loca ſepta rubis, denſaſque irrumpo tenebras,
Horridaque ardenti ſcindo fruteta pede.
Quò ruis? inclamo. ſurdis loquor anxia ſaxis;
Et loquor vlmetis, quæ mea damna tegunt.
Tunc ego ſollicito loca confraga circumſpectans
Lumine, mox linqui pectore ſemianimi:
Atque iacêre ſuper funeſti graminis herbam.
Pallet adhuc noſtro decolor herba metu.
Credideras Nioben triſti obriguiſſe ſub imbre;
Humida nî cælo flecteret ora dolor.
Neſcio qui gelidis ignes rediere medullis,
Vnde redux tremulis palpitat aura fibris.
Namque ego languidulo mox murmure, & interciſo
Singultans gemitu ſic miſerè orſa queri:
O nemora; ô ſcopuli! ſic, ſic Genoueſa Sifridi
Impia veſanis facta rapina feris!
Nunc fòrs in patrio laniat mea viſcera ſaltu
Vrſa, Palatinæ dira ruina domus.
Prô furor! illa meum bibet impia ſylua cruorem?
Illa bibet pariter, dure Sifride, tuum?
Hac vox ægra tenus. ſed enim fruſtratur hiantem,
Qui premit in trunco murmure corda, dolor.
Viſa loqui querulas flens fagus & vlmus in auras;
Et gemere in ſyluis lugubre crimen acet:
Quid puer admiſit? quo læſit hic vngue parentem,
Qui primam tenero vix pede libat humum?
Num graue quid peccant tenero de lumine rores?
Et quam vincla ligant, num ſcelus auſa manus?

Si

Si nequijt patraſſe ſcelus non noxius infans;
  At mater potuit fòrs meruiſſe necem.]
Ah! nullam meruit genitrix innoxia pœnam;
  Nì caſtè ſobolem ſit genuiſſe nefas.
Ergo graue eſt crimen nonæ faſtidia lunæ
  Cruda tuliſſe, probi dulce parentis onus!
Illa parum lætas vox diditur vna per auras,
  Quâ gemit ærumnas turbida ſylua meas.
Quid iuuat in triſtem quercus nunc viuere luctum,
  Si quæ ſylua gemit, reddere dona nequit?
Et tegit obſcuris nox furta cruenta latebris,
  Vt puerum diræ dedat acerba neci.
Quâ mea vita iacet ſine luce ſub arbore puluis,
  Arbor & hæc matri fortè ſepulcra dabit.
Fòrs erit, ambo breui iaceant leue pondus in herbâ
  Gnatus & orba parens: æquus vterque dolor.
Carior, ô, oculis mihi, care Sifride, venuſtis,
  Quique oculos nuper detinuere tuos;
Carior & vità (quid enim ſine luce Sifridi
  Non niſi vita nigræ veſpera mortis erit?)
Eſto precor tandem placidus ſine crimine coniux,
  Aut potiùs iudex criminis ipſe tui.
Quæ rogat, ipſa tibi dotali pignore dextram
  Iunxit: ad has ſaltem lumina flecte notas.
Hos ego num merui, ceu perfida lena, dolores?
  Accipe quod nudâ publico fronte nefas.
Opprimit inſontem funeſtus prædo pudorem,
  Et violat fœdis pectora pura modis.
At mihi ſancta fides, quam noxia nulla, nec error,
  Error, qui thalami lumen obumbret, habet.
Si quæ ſunt aliæ, vero quæ crimine fallant,
  His adſperge nigros fama proterua ſales.
At mihi nulla tori labes obnoxia famæ.
  Cur cadit in nomen noxia ficta meum?
Proſtituant fœdo venalem pignore formam,
  Queis viret infami florida trama togâ.

Non ego, cui caſto ſtola pectus obumbrat amictu,
 Inſtitaque oſtrinis purpurat æqua roſis.
Rara pudicitiæ ſi cura reſidat in aulis;
 At ſedet hic firmo pectore rarus amor.
Aurea purpurei ne rumpam fræna pudoris,
 Antè lubens vitæ ruperò fila meæ.
Iuro, fidem ſi fallo, nocens caput hauriat Orcus,
 Sibilaque erumpas oſſibus hydra meis.
Aut vbi fulmineos vindex intorſerit ignes,
 Me premat ambuſtâ triſte bidental humo.
Et memor inſcribat funeſtæ fama columnæ:
 Perfidiæ hic crimen Vindicis ira premit.
Nunc,licet inſidat thalamo pudor obſes honeſti,
 Stentque adamantæis clauſtra reuincta ſeris;
Heu! miſera excludor thalamo, quo claudo pudorem,
 Et puer hic patriâ, quam regat ipſe, domo.
Quò mihi tot titulis, & tot ſubnixa triumphis
 Clara per illuſtres fama cucurrit auos?
Quò mihi nobilium tot auita tropæa parentum?
 Quò mihi magnificæ gloria priſca domus?
Quò mihi ſplendor opum? primæ quò gloria formæ?
 Et mihi quò famæ lumina caſta meæ?
Vnius vt tandem ſint improba præda latronis,
 Ludibriumque, nigro quiſque quod vngue notet!
Scilicet infelix tutandi cura pudoris,
 Et niuei mores hoc meruere probrum.
At vos innuptæ fauſtis magè nubite tædis;
 Vrite felices lucida vt aſtra faces.
Haud ego; quam triſti ſaluus pudor implicat æuo,
 Et cui iam ſaluo nulla pudore ſalus:
Triſte ſed exſulium, longique catena laboris,
 Hæc fidei merces Principe digna nuru.
Aſt ego cui tandem ſeruor moritura Procuſtæ,
 Cuiúe Scini, aut cuinam victima danda feræ?
Exitus exitio nuſquam mihi certus, & error,
 Error inexpertis raptat agitque vijs.

Omni-

Omnibus in fagis mihi frondet & omnibus vlmis,
Triſtibus & ſaxis obuia meta necis.
Nec bona ſpes vſquam (cui non ſpes obuia damno
Conſulit?) abſterget, queis dolor vndat, aquas.
Herculeum ſi ficta queat fraus ſcindere nodum,
Da queat hunc iterùm nectere vera fides.

EPISTOLA XV.

ARGVMENTVM.

Narrat quomodo Sifridulo infanti, quem à Golone iuſſus erat occidere, pepercerit, & in commiſſæ cadis indicium cani exciſam linguam hero ſuo oſtentarit.

GLAVCIAS GENOVEFÆ.

Mens equidem fuerat (quercus mihi teſtis & vlmus)
Quæ ſtylus hîc pingit crimina, fando queri:
Et coràm in lacrymis caſum memorare ſiniſtrum,
Numinis impulſu qui tibi dexter ijt.
Sollicito varias luſtraui lumine ſyluas,
Sicubi preſſa pedum nuntia ſigna forent.
Sed quid? inexcuſſis hæſit pes vepribus, hæſit:
Luminaque vmbroſum cæca fefellit iter.
Ergo redux, liberque pedes labyrinthidę ſyluâ,
Commendo tabulis, quam tibi ſeruo, fidem.
Has vbi detulerit fortaſſe quis obuius hoſpes,
Legeris & ſicco lumine læta notas:
O, quoties gratis defiges oſcula chartis,
Vnde micat votis lux inopina tuis!
Nunc etenim venit hæc ſalui nota nuncia pupi:
Pôſt veniet ſæuo tutus ab hoſte puer.

Sed quid te teneo? quid adhuc ſtylus auius errat,
Vt medijs erras triſtè gemens ſylüis?
Accipe funeſti facinus quod ſcribo tyranni.
Hoc dum verſo memor, præpedit ora pauor.
Miſit in horrendum nemus (ô nox dira!) Procuſtes
Me, qui cæca feris exſequar auſa modis:
Quique recens vix exciderat de matre, puellum
Vt perimam ferro, lacteaque oſſa tegam.
Huic ego tam bruto ſim cura miniſtra furori?
Ferreus eſt, ferro quiſquis id auſit opus.
Cor ſceleris tremit obſequio, cædiſque nefando
Imperio. tantum dextra cruenta nefas!
Hæret adhuc vultu de cædis imagine pallor;
Iamque per ima redux oſſa cucurrit hiems.
Peſque manuſque labat: gelidos tremor excutit artus.
Mucro meis rurſum decidit è manibus.
Quin & pænè ſtylum ſceleris memor eripit horror:
Sed pietas digito ſtringit vtroque ſtylum.
Quod neſcis, ad iniqua trucis decreta Neronis
Puſio ne caderet, mens mihi recta ſtetit.
Me priùs hoc perimat, Nero quem mihi tradidit, enſe,
Quàm pereat noſtrâ pupulus iſte manu.
Eſt puer, eſt pulcher, blanduſque & criminis exſors,
Eſt tener, & molli blæſulus ore gemit.
Cernis, vt arridet quid neſcio molle ſecuri,
Intenditque breues ad fera tela manus.
Ludit, & in medio mortis terrore, pericli
Neſcius. ah! puero mors fera ludus erit!
Ille rudi poterat petram mouiſſe ſuſurro.
Mouerat; in lacrymas ſaucia petra fluit.
Mouerat & ſyluas. Quæ non hîc turbida luctu
Ab puero in lacrymas pinus & vlmus abit?
Mouerat &, cui ſæpè ſtetit mens ferrea, pectus
Ille meum, riſu flexerat arma ſuo.
Dum rapit amplexus, placido ſimul oſcula vultu
Prenſat, & audaces tendit in ora manus.

Et

Et ſic ludit amans, & palpitat artubus infans;
  Pæne latus telis induit ille meis.
Extimui: micuêre ſinus formidine leti;
  Hei mihi pænè necis neſcius auctor eram!
Iam cædem, cædiſque nefas, numenque timebam,
  Tarda ſed in præceps impulit arma furor.
Quin age, tum dixi, crudeli dextera ferro
  Vtere: quid pupum ſpicula victa timent?
Sæuus enim Nero dira iubet, quis iuſſa Golonis
  Temnit, & impunis rettulit inde pedem?
Iuſſus ab iniuſſo ſibi cudit amore ſecurim,
  Quiſquis herile nefas abnuit enſe ſequi.
Sic pietas duro ſe miſcet amica furori.
  In ſcelus hic vrget, detinet illa manum.
Luctaturque diu gemino mens icta periclo:
  Inde meæ mortis ſtat metus, inde nefas.
Experiar, non experiar ſcelus impius hoſtis.
  Fluctuor incertis ceu ratis acta fretis.
Vtque leui Zephyro trepidum vibrat aura papauer,
  Et labat alternis ſpicea ſylua comis:
Vt graciles tremulo ciet Æolus agmine frondes:
  Aut ſic, aut etiam plus, quatit oſſa tremor.
Sed de corde pium furor expulit aſper amorem:
  Efferat in miſeram terror & ira necem.
Tela tremente manu modò lapſa reprendo nefaſtum
  In ſcelus, vt ſceleris præmia lauta feram.
Haud ego vana loquor. ter dextera ſuſtulit enſem:
  Haud benè ſublato dextra ter enſe ſtetit.
Rurſus at imperio ſæuoque furore Procuſtæ,
  Admoui tenero ſpicula prona ſinu
Promptus in arma furor propè merſit in ilia ferrum:
  Effera ſed mitis corda remordit amor.
Et metus, & pietas infandis obſtrepit auſis.
  Quid facis? exclamat, quæ vetat arma, Charis.
Prô ſcelus! occumbent diro data præda furori,
  Vt ſine fraude parens, ſic ſine labe puer?

Aſpe-

Aſp era an excidit te duro è robore mater,
Qui violas caſto ſanguine triſte nemus?
Quæ linguâ poliente rudes effingit alumnos,
In puerum diras arguet vrſa manus.
Quid ſtat ſica manu? dic vinciat inſtita dextram,
Vt puero vinxit lanea vitta pedes.
Sin iuſtam ſit iuſſa manus committere cædem,
Iuſtius in domini viſcera vulnus eat.
Finge mori meruiſſe ream de prole parentem;
In pueri cædem cur ſcelus iſſe velis?
Nil tibi cum ferro; ſua tela repone tyranno.
Parce tibi; puero parcere ſuadet amor.
Accipio monitus: manus ilicet excutit enſem.
Enſis erit digitis faſcia ſtricta meis.
Iam puero propè fio parens, ferus antè ſatelles,
Induit affectu me pia Diua ſuo.
Carnificeſque manu ſicas extorſit, & iras
Fregit, atrox ferreo quas latro corde tuli.
Et iubet euoluam periuria dira Golonis,
Queis premit inſontem perfida fama nurum.
Cœpit vt infami ſpargi Genoueſa veneno,
Putidus obſcœno Golo quod ore vomit;
Quis non hîc tacito muſſat quid triſte ſuſurro,
Et ſcelus arcanis arguit opprobrijs?
Ipſe dedi certè toruo conuicia vultu,
Et dixi calidis ora ſolutus aquis:
Quò te prædo rapit furor, & quos Cypris in auſus?
Quæ tibi Tiſiphone tam graue ſuadet opus?
Si lacero fugiat puero cruor exſul in enſem,
Lacteolumque petat ſica ſceleſta latus:
Et tuus in iuſtam ſanguis fluat, opto, ſecurim,
Aut pyra funeſtis hauriat atra focis.
Diſcerpantúe feræ ſparſis hærentia dumis
Viſcera, tergemino viſcera danda cani.
Infameſque notas infauſtæ fama columnæ
Incîdat, turpi quas canat atra tubæ.

Forſan

Forſan & à puero petet vltio ſera Golonem,
Cui det damna pati, quæ patienda dedit.
Auguror id certè. quis neſcio vellicat aurem,
Et canit augurio pondus ineſſe meo.
Sed quid diſſimulem cædis ſine crimine cædem?
Pro puero cecidit victima parua canis.
Namque cruenta feri monumenta referre piacli
Iuſſerat infandus, quem furor vrget, herus;
Exſcindique cauo pueri de gutture linguam.
Sed ſimulat veram lingua canina necem.
Pro puero ſic rite canem pius immolat enſis.
Pro cane iam poterat ſaucia lingua queri.
Iphigenia piam miraris ſoſpita ceruam:
Miror at in puero ſoſpite damna canis.
Lactea turba, licet, felices ludite ludos;
Queis datur alterius ludere morte necem.

EPISTOLA XVI.

ARGVMENTVM.

COmmemorat ærumnas ſuas, ac tandem litem conteſtatur coram Sifrido de ſuâ innocentiâ contra Golonis perfidiam.

GENOVEFA SVO SIFRIDO.

SCribo, ſub vmbroſâ dum ſecubo languida quercu,
Nec tua, ſi neſcis, nec maleſida viro.
Scire lubet, coniux, quæ ſit ſcribentis imago?
Hinc comes vrſa latus ſtipat, & inde lupus.
An dentes metuis? blando lupus ore ſatelles,
Mollis & obſequio militat vrſa meo.
Nam vir vbi ſæuit, placidos qui debet amores;
Parcere mite genus iam didicêre feræ.

Cu

Cur non dulce pij, lupus, & cicur vrſus, amoris
Manat in exemplum, ſæua quod aula legat?
Sed quid adhuc ſterili voto niſi ſcribitur, ô ſi!
Scribe dolor, coniux quod legat in lacrymis.
En mihi ſpina ſtylus, folium ſine matre papyrus;
Pinea gutta, rudi ſepia digna ſtylo.
Litera ſed lacrymæ liquidis fœcunda querelis,
Littera, quam falſo dictat in imbre dolor.
Prendo ſtylum; cadit ille manu; reprendo, bis ægrâ
Excidit ille manu, vix manus apta ſtylo eſt.
Scribere tento tamen: dolor imperat obſes amoris.
Vix tandem articulis ſcriptito languidulis.
Nempe mihi teneros frangit labor improbus artus,
Ebibit & venas, heu mihi! ſicca fames.
Serpimus inuiſis, imbellis vt vmbra, ſub ornis.
Plangit inops gnatus; plangit & ægra parens.
Heſternâ viridem quam vidit luce puellam,
Iam ſtupet exſanguem ſol hodiernus anum.
Vſque adeò nox vna breues immutat honores,
Quos caſtus fidei præs tibi ſeruat amor.
Flemus &, heu! triſtes fluit Eurus & Auſter in imbres:
Illacrymat lacrymis lugubris aura meis.
Has vbi non humente legit ſub fronde querelas
Æſculus, & mœſtis populus atra comis?
Et quæ non hederæ lentis in vincula cirris
Labentes properant ſuſtinuiſſe manus?
Frondeaque inflexis ſubmiſit brachia ramis
Fraxinus, vt caſus ſubleuet inde meos?
Quin & vbi ſurdis mea vulnera dequeror vlmis,
Et Dryades lacrymas ſæpè bibêre meas.
Annumerat triſtes turtur gemebunda querelas
Et Soli & Lunæ, qui meâ damna legunt;
Inuitiſque oculis ſpectant, queis opprimor vmbras,
Quà vagor obſcuris, ceu fera dama, locis.
Crediderim quoties ſtillant in gramina rores,
Et toties lacrymis Luna dat ægra ſuas.

Auri-

Auricomumque atrâ condit ſub ſindone vultum,
Ne legat infandum, quo premor vſque, ſcelus.
Ardua funeſtus contingit ſidera mœror;
Vlla nec in terris vena doloris erit?
Si tanti Genouefa, pias, Sifride, querelas
Excipe; tot facili qui capis aure preces.
Per genus infelix ego te, generiſque parentem,
Et per auûm manes, per ſacra pacta tori,
Et quidquid per dulce tibi ſuper, oro; per iſtas
Obteſtor lacrymas, & ſine voce preces:
Perque tuum, quo facta parens ſum pignore, natum,
Perque pares tenerâ quas prece fundit aquas,
Deprecor, indignæ ſortis miſerere: paternâ
Eia manu gnati collige lacrymulas.
Vel potiùs dele triſtes, queis ſupplicat, imbres,
Et puer, & puero, quæ perit ægra comes.
Adſpice quàm blandis inuitat in oſcula palmis,
Quàm ſapit in luctus ingenioſus amor.
Si quæras cui ſit ſimilis? tu viuis in illo,
In patre ſpirat auum; cetera matris habet.
Surculus ille, parens cui ſit generoſior arbos,
Nobilius pomum parturit ante diem.
Et te nil teneri tangit flos lacteus æui?
Carpe precor naſcens vbere ſtirpe decus.
Sæpè quod indulges tenui, Sifride, clienti,
Id mihi ne durâ deprecor aure neges.
Quæ rogat eſt coniux, & coniux inclyta clarâ
Stirpe Ducum, ſi non Cæſaris illa genus.
An, quia fraus miſeram finxit, famæne decorem
Perdidit ab claris nobile lumen auis?
Quæ dolus obſcuris inuoluit crimina nimbis,
Euoluet niueis ſerior hora rotis.
Quid moror, & tardas exſpecto Solis habenas,
Nec magis ipſa nigro furta reuoluo ſpecu?
Si lubet, eia virens defige tribunal ad ornum;
Liſque ferat litem, quam tua libra ſecet.

Golo

Golo dicam ſcribit? Genoueſa ſed excipit. audin'?
Quod liquet, ex æquo confero iure manum.
Ille vel à primâ ſcelus imbibit omne ſaliuâ:
A tenero didici ſed decus vngue ſequi.
Ille Cupidineos Paris arſit adulter ad ignes:
At gelido ſepſi tuta timore torum.
Ille potens ſexu potiore dat arma furori:
At mulier forti vinco pudore virum.
Clepſydra ſiqua foret liquidas quæ computet horas,
Ius vbi diſceptat, quod Themis æqua regat;
Ipſa meas lacrymas iam, credo, bibiſſet, vt horas
Elacrymet, mœchi queis ego bella tuli.
Ceu clypeus, quoties ſtola depulit obuia Martem,
Et malè pugnaces in mea probra manus?
Ecquid ad hæc Golo? palletque, rubetque, labatque,
Vox trepidis labijs hæret, & hæret aqua.
Fœda ſed oppugnat cur hoſtis ad arma pudorem?
Hoſtili an patuit degener aula dolo?
Munera num pudor vlla dedit moriturus amanti?
Cepit & obſcœni pignora ſpurca probri?
Num facies fuco perſuaſit inuncta, pudoris
Naufragium? aut Siren ſum malè docta dolos?
Mollior an ſaltus turpi præluſit amori?
Aut Cyprin hinc fouit Bacchus, & inde Ceres?
Num luxu fracti mores, & fluxa iuuentus,
Quæque ſupercilio corda loquace trahat?
Tale quid auſa fuit Genoueſa, vel audeat olim?
Audeat & fallax fingere fama nefas?
An non ſollicitis aditus obſepſit in armis,
Qui caſtus mediâ ſederat arce timor?
Si ſedet arcano matrona pudica cubili,
Fert clauſus thalamo præmia tuta pudor.
Nec tamen illa tuli, laceræ ſed funera famæ,
Heu! virtus pretium criminis atra luit.
Scilicet obrepit vulpes aſtuta Sifrido;
Incautumque vafro faſcinat ore virum.

Sed

Sed quis vipereum ſat prudens cauerit ictum,
Callida ſi picto vipera flore latet?
Quis ſat & inſidias fallat, cæcumúe periclum?
Nulla licet pateant limina; rima ſat eſt.
Rara fides aulis, ſi non & nulla coronis,
Impia queis blandis flauet echidna comis.
Cæcus inexpertâ dulces hinc aure ſuſurros
Excipis, & memores abdis in vſque ſinus.
Sublinit os tibi melle, labrum ſimul icit & vrit
Infixo ſtimulo, quo fera fallat apis.
Hinc vbi nulla ſuo Paridi fax Tyndaris ardet,
It tamen immenſis Ilias orta malis.
Quid? cui magnanimum vis Martia ſpirat Achillem,
Parma tegit pectus, caſſis ahena caput;
Armato cor inerme feret ſub pectore plagas,
Quas tibi lingua malo figit amica dolo?
Militiæ duris reliquos qui vincis in armis,
Ergo domi molli victus ab hoſte cadis?
Quid iuuat hoſtili de cæde referre tropæum,
Si tuus, ah! ſanguis ſed ſine Marte perit?
Pulucreoque dolus præſtinguit lumina nimbo,
Ah! tua ne ſpectes viſcera morte rapi?
Quippe cadit blandis ſapientia victa ſuſurris,
Lumina cui cæcus fraudis obumbrat amor.
Quid memorem moneo, cæcaſque quid adſtrepit aures
Surda querela? pias quid niſi perdo preces?
Quin potius reſpecto graues, queis oppeto, clades,
Et quibus occubuit ſaucia fama dolis.
Heu! & inerma cadit, quàm fraus armata venenis
Implicat opprobrijs, impia Cypri, tuis.
Implicat & dignus iam pridem vindice nodus,
Anxia quem calidis ſoluere nitor aquis.
Sed fruſtra lacrymæ: ius ſerò repoſco Themiſtam,
Teque, Sifride, velim iura ſequeſtra ſequi.
Si niſi ſurda cano terris, nec reſpicit vltor;
E Superis, famam qui tueatur, erit.

Numinis ad ſolium deſertam prouoco cauſſam,
Hinc mihi vindicias curia iuſta dabit.
Appello Nemeſim, Superumque appello ſenatum.
Euocat huc litem iuſta Themiſta meam.

EPISTOLA XVII.

ARGVMENTVM.

IN chartâ purpureâ caſu repertâ ſuo lacte has litteras ſcribit, quibus optat priſtinum coniugis in ſe amorem.

GENOVEFA SVO SIFRIDO.

DVm ſequor aëreis niſi vota volantia campis,
Sol & Luna quibus nulla ſecundat iter;
Sola ſimul ſolis hæc mecum rumino ſyluis,
Et moneo longis docta magiſtra malis:
Crede ratem Scyllæ, Maleæque rapacibus vndis,
Quî famæ in placido velificare mari.
Ecce vt auitus honos curru delapſus eburno
Excidit in tragicum per mea damna ſcelus!
Hæc ego dum vanis monitis bene gnara pericli
Erudio ſyluas, & ſine mente feras:
Neſcio quam reperi puram per deuia chartam,
Quâ leue fert ales, ſiue viator iter.
Purpura ſanguineis hanc inficit illita ſuccis.
Suſpicor: hæc gnati ſanguine tincta rubet.
Hamatis cui fortè lacer pes ſentibus hæſit;
Si non dente lupi ſaucius ille gemat.
Forſan vt oſcen hians Theſbitæ detulit eſcas,
Quis ſcit, an hoc tulerit prouida munus auis?
Commoda res certè lentis, quas duco, querelis;
Quæque bibat triſtes docta dolere notas.

Sed

Sed quid? abeſt atris hîc ſepia nata figuris,
Quas ſitiat mœſtis candida penna modis.
Quid facerem? grauidâ peperi lac dulce mamillâ;
Scilicet eſt puro lacte notanda fides.
Hinc quod aro, niueo lac puriter exprimit imbri.
Pura decet purus non niſi ſcripta liquor.
Sed quid aro? mecum lacrymans quod ſæpè voluto,
Quodque etiam miſeram quærere ſæpè iuuat:
Cur tenet hos Dryas aut Dryadis mera fabula ſaltus?
Ramea malo regat ſceptra maritus amor.
E viridi ſpeculâ, ſummoque cacumine fagi
Vt ſtruat inſidias, & pia bella ferat.
Atque vbi Sifridus rapido ſuper Aſture pernix
Euibrat in profugas ſpicula denſa feras:
Miſſile frondosâ meditetur ab ilice vulnus,
Inque viri pectus ſpicula denſa pluat.
Opto manus dulces impellat & iſte ſagittas,
Victus vt à noſtro cedat amore furor.
Vt noceat iaculus, volucres iacit arbore mortes,
Et dare, queis proſim, ſpicula grata negem?
Iuſtior an poſſit labor vllius eſſe ſagittæ,
Quàm duo ſciſſa pari iungere corda fide?
Hæc votis vox ſumma meis, quæ ſignet in auro
Vnio, cui candor lacteus hauſtus aquis.
Vt niueo ſcriptam deprendas rore lituram,
Hâc qui fronte cadit, puluere ſparſa fuit.
Nempe merus, Genoueſa, nigro ſub puluere ſqualor;
Squalidaque in pullo mortis imago ſago.
Lactentes igitur roſeo quos æquore rores
Illino, ne duro turbidus ore legas.
Lacte litas diſces atro ſub puluere curas,
Quas ſaliente liquens vbere lacto parens.
O ſaltem lacrymas cæcis, Sifride, lituris
Inſtilla, memori duc & ab imbre notas.
Dulcius hoc nihil eſt, nihil hoc eſt caſtius imbri,
Quo ſua Sifrido vult Genoueſa loqui.

Et certè quoties preſſis lac ſtillo mamillis,
Exprimo de noſtro cor tibi pænè ſinu.
Haud aliunde ſuo pia pabula quæreret igni,
Si foret ambroſiâ dulcis alendus amor.
Exarat extremum tandem vox vltima votum:
Quæ tibi viuit amans, eſt tibi prompta mori.

EPISTOLA XVIII.

ARGVMENTVM.

Exponit ſuas & pueri miſerias in ſiluestri vitâ, arguitq; in viro plus æquo faciles calumnijs aures.

GENOVEFA SVO SIFRIDO.

SI licet annales longi euoluiſſe laboris,
Euoluam triſti ferrea penſa ſtylo.
Ah! poteris, Sifride, graues audire dolores,
Nec nouus infringet ſaxea corda dolor?
Sat ſcio; non poteris. nec enim quæ neſcia frangi eſt,
Exſcidit è petrâ cor tibi dura parens.
At ſimul audieris, teneros manabis in amnes;
Cor gemino luctûs fonte liquefaciens.
Funeſti geminam faciem ſpeculare doloris,
Quam tibi de lacrymis pingit amarus Amor.
Hinc puer, inde parens, par, heu! miſerabile ſyluis,
Pallet vterque metu, ſordet vterque ſitu.
Aurea patricio cui bulla pependit in oſtro,
En, puer hirſutis ſqualet, vt vrſa, comis.
Frendetque inſipidas hiemante ſub ilice glandes,
Cui fluxit liquidis ebria cœna fauis.
Pulchrior haud illo quiſquam, nec amœnior infans,
Viuida cui magnos pupula ſpirat auos.

Purior

Purior enituit Ripheïde forma pruinâ;
  Quæ niſi nunc atro ſqualet inuſta die.
Quantus eburneolo ſplendebat pectore candor!
  O quæ lacrymulis gratia & ore Charis!
Purpura fuſa genis quales miſcebat honores!
  Lacte velut niueo punica fraga natant.
At meus ô felix Sifridulus antè voluptas,
  Nunc dolor, atque animo ſpinea cura meo.
Sub quâ ſcribo, comas ramoſque quot explicat ilex,
  Tot gremio figit puſio tela meo.
Heu dolor! ah! ſimilis miſero ſua mater alumno eſt,
  Cui veneres omnes ſurripit atra Venus.
Lena Venus, puro Venus inſidioſa pudori,
  Dira ſed ærumnis facta Megæra meis.
Num poteris, Sifride, meæ modò gloria famæ,
  Dedecus hoc ſiccis ſuſtinuiſſe genis?
Byſſina Getulo ſua cui ſtola ſplenduit auro,
  Nunc igitur craſſo torrida membra ſago.
Ebria cui roſeum ſpumabant præla Lyæum,
  Nunc torquet miſeram tetra lacuna ſitim.
Cui priùs vndabat largas ſeges annua meſſes,
  Nulla mihi farris mica, vel vlla ſalis.
Herba penu, torus herba, quies breuis herba ſub vlmo;
  Accubat herboſo damula blanda toro.
Quid loquar? illuſtri dignum caput antè coronâ
  Squallor vt obſcurat, cui coma plexa rubis?
Viderit impexo ſquallentem crine viator;
  Iſta Palatinæ quæret an ergo coma eſt?
Quam nuper rutilis noui radiaſſe pyropis,
  Fulſiſſe & Tyriæ principe luce togæ?
Cui res eſt auguſta domi, latet abdita ſyluis:
  Nec Dryas erubuit tam graue mœſta probrum?
Quin & Sifridi fors vt ſtetit obuia ſaltu,
  Dicitur in lacrymis erubuiſſe ſoror:
Si modò nota fui; miſeram nam noſſe ſororem
  Diſſimulat, ficti victa pudore probri.

Fraternumque nefas tacitis excuſat in vmbris,
Quod gemit obſcurâ fraude ſepulta Themis!
O rutilis vtinam radijs euoluat Eous,
Quod Dryas his fagis celat opaca ſcelus!
Cetera vin' mœſtis intexam damna tabellis,
Quiſue regat vitam curſus & ordo meam?
Bucera nos comitant armenta, feræque ſequuntur;
Cor ægrum tacito queis fodit vngue dolor.
Siqua tamen fera ſit, feritas vbi nulla, nec ira;
Blanda ſed humanis induit ora modis.
Cerua meos (equidem vidi) miſerata labores,
Flens didicit lacrymis ſpargere triſte nemus.
Quaque ſolum calco, ſocios pluit ipſa liquores;
Applorat lacrymis roſcida & herba meis.
Is numerat fluctus, maris & metitur arenas,
Qui ſtudeat lacrymas enumerare meas.
Fors erit, hic olim ſeros venator ad annos
Cum ſolues celeres ære tenace canes:
His vt ſparſa gemens deprendas oſſa ſub ornis,
Quæque leges, condas paupere lecta ſolo:
Et dicas lacrymans; Lacer hiſce quis occidit oris,
Dentibus, vrſa, tuis; ſeu, lupa dira, tuis?
Quiſquis hic eſt, miſeror funeſtæ crimina mortis,
O miſeranda parens, ô miſerande puer!
Fors vbi iam propius pueri, ſimul oſſa parentis,
Spectabis, damni neſcius ipſe tui;
Conſcia mens tacitam furtim ſtillabit in aurem:
Quis ſcit, an hæc miſeræ coniugis oſſa legas?
Coniugis oſſa legam coniux ego? coniugis olim
Abſtulit, heu! nomen non bene rupta fides.
O ego non prudens, cui mens labat obuia fraudi,
Et rapit in præceps turbida cura ſcelus.
Suſannæ tam turpe meæ cur imputo crimen,
Cui ſtetit intactis vita pudica comis?
Mollibus obſequijs faciles vbi præripit aures;
Sic Golo funeſtâ fraude fefellit herum.

Vos,

Vos, ô Cæſareus ſanguis, Sifride, ſocerque,
Tam citò periuris credere poſſe dolis?
Et quæ falſi parens mendace calumnia linguâ
In caput excudit probra ſceleſta meum?
Ah miſeras! fortis nimium nimiumque ſeuerus
Queis pudor è ficto crimine crimen habet!
O minor hoc equidem; mihi dextera tinnijt auris;
Triſte nefas ægro pectore ſerò gemes.
Quippe iubet iuſtas ſæuus dolor ire querelas:
Quem memor admiſſi criminis error habet.

EPISTOLA XIX.

ARGVMENTVM.

Lvget iniquum diuortium, oſtenditq́, quantâ ſit afficiendus lætitiâ Sifridus, vbi coniugem cum filiolo (quod futurum aliquando ſperat) domum reuocarit.

GENOVEFA SVO SIFRIDO.

Vir meus, ô! quondam, nunc & meus (aduoco teſtes,
In thalamo feſtæ quæ micuêre, faces;
Teſtor & ingenuæ bene conſcia ſidera noctis)
Excipe quas coniux exprimit ægra preces.
Antè tamen, quercus me quas docet ipſa querelas,
Eloquar. è quercu vox Ioue digna fuit.
Aduerti hîc hederam, ſua quam non ſeminat arbor,
Frondea frondoſo nectere vincla viro:
Et roſeis virides glandes miſcere corymbis;
Suaue rubens vlmum pingit & vua ſuam.
Non illam Boreas, non intempeſtus Orion,
Non caper hibernas diripit inter aquas.

At trahit anguipedem per ſicca, per humida curſum,
  Hæret inexcuſſis ſylua marita comis.
Tunc teretem tangens, qui ſerpit in ilice, ramum
  Cui felix hederæ gratia ſæpe viret;
Dico gemens: Proprios comes illigat arbor amores:
  Nec rata teſte Deo fœdera ſeruat Hymen?
Hei mihi! periuris tenuis ſub voce ſuſurris,
  Quam pepigit coniux, rupta repente fides.
Dulciaque auulſit ſociæ commercia vitæ
  Neſcio quis, ignarus fallere leno virum.
Purpurei ſcelus hoc, reor, erubuêre corymbi,
  Quercus adoptiuum queis ſibi nacta decus.
Omnibus, ô! Scythiæ vox ſæuior illa procellis,
  Quâ leuis auguſtam ſubruit aura domum.
Inque meum puerique caput, violenta ruinam
  Deuoluit, ſæuis quæ furit ira modis.
Quid meruit genitrix? quid & hic ſine labe puellus,
  Purior hoc ipſo lacte, quod ore bibit?
An quia Sifridi Sifridulus ortus ab alto
  Sanguine, prometuit, ceu reus, ergo necem?
Si puer innocuus; pueri ſors noxia mater
  In puero meruit præmoriente mori.
Illa pudicitiæ puros violauit honores.
  Quid? trahet indecores ſic mea fama notas?
Cui non notus honos, menſque illibata piaclo,
  Nota nec eſt caſto ſepta timore fides?
Tutaque ſollicito domus vt vetus ara pudori,
  Quæ ſacro clauſit vota marita toro?
Quid iuuat infelix puro ſub pectore virtus,
  Innocuum vindex ſi premat ira caput?
Nempe parum cautis illudens auribus hoſtis
  Surripit affectus, & fera bella ciet.
Si mihi non parcis; tenero ſed parce puello.
  At pius in puero tu tibi parce parens.
Paruulus, ô! patrias, opto, Sifridus in vlnas
  Currat, & in gnato ſoſpite ſoſpes ero.

O quàm ſuaue ſacro puer hic ab limine, Salue,
Quamque pater puero dulce refundet, Aue!
Vt tuus inuolitans humeris celer oſcula carpet,
Diripietque auidis colla paterna genis!
Lacrymuliſque ſuis præcordia dura parenti
Molliet, ac blandis imbuet ora fauis!
Quis ſcit an & clypeumque grauem, patriamq; ſariſſam
Verſabit tenero neſcius vngue puer?
Admiranſque micans aurum, ferrique timorem
Plaudet inexpertas ad fera bella manus?
Et ſimul arridens longas adſerpet in haſtas,
Inflectetque cauo molle caput clypeo.
Inde loci ſurgens decurret ad ora parentis,
Pendeat vt collo ſarcina blanda tuo.
Quantus, io, plauſus! quantus tum riſus alumni!
Oſcula quàm blandis fixa, refixa genis!
O quàm dulce melos blæſo lallare palato,
In balbo puero balbus & ipſe parens!
Aſt vbi vis ſtabit plenis infuſa medullis,
Ab puero pulcher ſurget in arma labor:
Ille tropæa Ducum patrias defiget ad arces,
Ille triumphales flectet ad alta rotas.
Ille nouas lauros clypeoque inſculpet & auro,
Quas tulerit magno victor ab hoſte puer.
Et niueis præcedet equis, patriſque triumpho
Duxque comeſque, tuo quæret honore decus.
Tunc & ego viridi pendens ſpectabo feneſtrâ,
Et mea ſpectabunt vota ſuprema nurus.
Hæc ſed ego lætis quid ſomnia pingo figuris?
Quæque velim fieri, facta fuiſſe cano
Quid ſibi non licuiſſe velit ſpes credula falſis?
Quæ ſibi non mendax gaudia fingit amor?
Error inanis amor, veri quem copia doni?
Dum fugit, è vanâ ſpe malè quærit opem.
Ipſa mihi mendax niueas quid voluo quadrigas,
Quam victam tragicis ſors premit atra malis?

Nonne triumphator modò ſplendidus ille ſub oſtro
Informi ſqualet ſordidus illuuie?
Et iam more trochi nudis circumerrat arenis.
Quàm mallem patriâ verteret arce trochum!
Luderet inque ſinu ſocrûs, auiæque lacertis,
Et premeret patrium ludicra cura genu!
Hunc vbi tu noris, dices: Ego noſcor in illo:
Illâ, vides, vultum ſignat imago meum.
Purpura ſola deeſt; hanc nudo redde puello;
Et puer in Tyriâ veſte Sifridus erit.
Et ſimul appulero tali comitata puello,
Viue meum, dices, ô Genouefa, decus.
Tres fuimus miſeri, quos lugubris obruit error:
Te redeunte redit iam tribus vna ſalus.
Quid prohibet tandem poſt tanta volumina rerum,
Quo minùs ex vno gaudia trina feras?
Nunc igitur (puncto quid non mutaueris horæ?)
Fac odium, Momo iudice, vincat amor.
In fidei pignus, dextræ iam conſere dextram:
Et bis ero iam te facta parente parens.
Inde parens nato viuet, gnatuſque parenti,
Soſpes & è dono viuet vtroque parens.

EPISTOLA XX.

ARGVMENTVM.

Amouet à ſe adulterÿ ſuſpicionem, optatq; in ancillam aſſumi, vt ita cum filiolo ſuo moribundo ſaltem aliquamdiu poſſit vitam extendere.

GENOVEFA SVO SIFRIDO.

Alloquor infelix nuper dominumque virumque,
Nunc domini nomen coniugis ira tulit:

Nec

Nec quod ſciſcit Hymen, mihi ius magis imperat æquo
Fœdere; nec dominæ me dare iuſſa ſinit.
Spes erat in thalamum meliore redire ſub aſtro;
Nec redit in thalamum pulſa marita ſuum.
Vnus vbi fluctus me liquerit, excipit alter
Sæuior in decimam prouoluendus aquam.
Heu! cui me tandem ſeruat ſors dira piaclo?
Aut cui mors monſtro deuouet atra caput?
Aut potiùs, cui me reddes, Sifride, ſaluti?
Ancora quo portu te duce ſiſtet iter?
Non ego crudeli procudi tela furori,
Æmonijſûe dedi pocula miſta dolis.
Illita Neſſæo non tinxi texta veneno,
Sica nec vlla ſtetit coniugis ante torum.
Non ego pugnaces armaui in iurgia linguas,
Vlla nec in mores deſpuit ira tuos.
Non ego probroſis pepigi periuria tædis,
Vlla nec in caſtâ coniuge noxa fuit.
Mentior? hæc voueo, dextrâ quam tangimus, vlmus
Ardeat in noſtrum mox pyra viua caput.
Forſitan eſt aliud, cur nunc auerſa voluntas
Oderit hanc, nuper quam cupiebat amor.
Fortè mihi nullo iucunda lepore venuſtas,
Vlla nec vrbano ſeſſitat ore charis.
Neſcio, tale viro num dedecus euocat iram:
Hunc ſcio, quem formæ gratia blanda capit.
Ille Golo noſtro fraus inſidioſa decori
Sat didicit, formæ gloria quanta meæ.
Hoc à fonte dolor riuos arceſſit amaris
Fletibus, vnde mihi naufraga vita perit.
Hinc ego pro Tyriâ ſumpſi lugubria pallâ:
Nunc mihi non cultæ culta mitella comæ.
Ite pares à me, queis non par gloria, gemmæ.
Hei mihi! pro gemmis quam modò ſqualor habet.
Ite procul virides auro radiante ſmaragdi;
Qui perijt, luctûs annulus obſes erit.

Sed

Sed quid adhuc crudo nouus vnguis in vlcere mœror
Reſcidit antiquis vulnera ſueta malis?
Quin potiùs, prout æquus opem ſibi poſtulat vſus,
Te placitæ vincunt, ô mea vita, preces?
Haud ego, ne cum matre puer miſer eiulet exſul,
Deprecor: optò, puer ſit minùs ille miſer.
Et ſit ei patris curtus licet angulus aulâ,
Vt cum matre breues ſublegat inde dapes.
Quam das ſæpè cani mensâ de diuite micam,
Abnueris gnato ferreus ergo tuo?
Queiſque fuit dominata diu, Genoueſa, penates
Non teneat, quos iam ſeruula fœda tenet?
Si dominæ pigeat, ſaltem ſim digna Sifrido
Ancilla; & magni muneris inſtar erit.
Annue vel modico nutu; quâ ſplendida ſedi
Antè viro coniux, ſtabo miniſtra domo.
Imperium quod herile dedi, mutabo clientum
Obſequio, probrum quodlibet apta pati.
Fama procax quæcumque meas torquebit in aures
Spicula, tranquillo ſaucia corde legam.
Sit modò fas reducem defigam limine greſſum,
Illo, quod tetigi virgine ſponſa pede.
Nunc frondes diſtringo leues, nunc colligo glandes,
Nunc teneras herbas rumino more feræ.
Eſuriemue pyrus ſolatur & vnedo ſyluis:
Arbutus omne meum complet acerba penu.
Siqua Dryas viridi depectat poma coronâ;
Hæ mihi deliciæ, vel ſata mora rubis.
Iſta Palatinæ modò ſunt bellaria cœnæ.
Qualia regali pro dape fercla lego!
Per nemus intereà genialibus acer in armis
Rumpis ouans ceruum, rumpis ouans leporem;
Rumpis aprum, volucreſq; plagâ capis aucupe turmas,
Ardeolaſue celer falco ſub vngue premit.
Siue procacis equi frangis dura ora lupatis,
Aut pugnace refers præmia parta manu,

Siue

Siue Palatinis indulges otia ludis,
  Aut curas roſeo diluit imbre merum.
Aſt ego nil præter lacrymas & amara doloris
  Nubila, ſub ſurdo ſpecto ſepulta ſpecu.
Scorpius his dumis, his vipera vepribus hæret;
  Sibilat his ſpinis anguis, & hydrus aquis.
O, quoties tacito fixit propè dente chelydrus,
  Siue mihi nudum, ſeu tibi parue, pedem!
Quiſquis adhuc draco felle viret mala gramina paſtus,
  Qui necdum nocuit, ſerò nocere queat.
Ecce fame exſanguem mors lurida luſtrat alumnum,
  Et taxo ſignat tempora funereâ.
Supremum gelidos frigus proſerpit in artus:
  Occidet; exigui temporis adde moram.
Occidet, ah! dirum matris ſub pectore telum!
  Occidet antiquæ ſpes ſuper vna domus.
Nec quis opem, nec opima piæ quis pabula dextræ?
  Parua petit paruus munera; nullus opem?
Ab tantâ modò meſſe parens diſceſſit, & aulâ,
  Vt miſero gnato ſpica vel vna cadat.
In medijs ſitit ergon' aquis mihi paruulus, eheu!
  Tantalus, & patrias oppetit inter opes.
Si querulum pauit Superûm pia cura puellum,
  Nilias Abramidem dum fugit Agar heram:
Et nec-opinus aquas viridante ſub arbore riuus
  Fudit arenoſis gratus alumnus agris:
Et breue neſcio quid modò promere lactis alumno
  Non poterit Diuûm gratia larga meo?
Idque vbi ſyluoſis mater gemit auia ſaxis,
  Et niſi deſertis ſqualet egena plagis.
Et quantum fuerit fors vna vel altera lactis
  Guttula, ieiunam paſcat vt illa ſitim?
Fons Agari fluxit, mihi ros breuis abnuet imbrem?
  Dignior ergon' herâ principe, ſerua fuit?
Cernis, anhelus aquas & anhelus vt oſcitat eſcam?
  Aſt aqua nulla fluit, vlla nec eſca cadit.

Extremam viſura diem mox lumina claudam;
Mox natum modico conteget herba ſolo.
Sifrido hæc ſuprema ſuo ſuſpiria legat
Iam gnatus moriens, & moritura parens.

EPISTOLA XXI.

ARGVMENTVM.

Dolet ſe areſactis vberibus infantulum ſuum lactare non poſſe: vnde coniugem ad commiſerationem excitat, inductâ proaui proſopopœiâ.

GENOVEFA SIFRIDO.

ARbitror; haud adeò ſua nunc Genoueſa Sifrido
Excidit, vt nullis hæreat ima fibris,
Et ſponſæ nil tangat amor; lux, vita, voluptas,
Dimidiumque animæ, quæ fuit antè, tuæ.
Eſto, licet niueos mihi nunc inceſtet honores,
Et trahat indecores improba fama notas:
Et Golo vſque nouis tibi pectora concitet iris,
Inſpiretque animo virus echidna tuo:
Non etenim hos tibi ſponte parit mens dura furores,
Cui Charis os molli finxit amica luto.
Hæc vbi ſpes ſenſit (propiore ſedebat in vlmo)
Aduolat, & dextrum quò canat omen, ait:
Vince virum lacrymis, ferro qui cetera vincit:
Expugnant lacrymæ, ferrea corda, viros.
Liquitur igne chalybs; rupes ſe frangit aceto:
Et cedit lacrymis victus amore furor.
Ne dubita, vinces, flendo ſi vincère petyas.
Quo cecidit, ſurget candida fama gradu.
Incipe iam longas Elegeïa mœſta querelas,
Quas dictat medio flens Genoueſa ſpecu,

Aſpi-

Aſpicias vtinam quæ ſit plorantis imago!
Cum plorante queas coniuge fortè queri.
Fila mihi philyræ, denſæ noua vellera frondes:
Frondea texta rudi ſpina reſarcit acu.
Parua domus rupes: iſtâ dominatur in aulâ,
Illa Palatinis regia ſponſa toris.
Sic viridi felix Genoueſa triumphat amictu,
Arborei vt populi ſceptra ſuperba regat.
Paruulus adludit lateri Sifridulus infans;
Flexipedeſque leui ductitat orbe choros.
Emicat in ſaltum, tremuliſque relabitur vlnis;
Circuit, inde fugit; quà fugit, inde redit.
Is modò ſi ludus, ſyluas implere querelis,
Semianimemque meos voluier ante pedes.
Inde togam prenſat (vix prenſa lacinia palmas
Suſtinet) ac tenui murmure poſcit opem.
Ora fame liuent; exeſos deficit artus
Sanguis, & exſangui corpore vita fugit.
Vbera poſcit hians, & lac implorat alumnæ:
Vbera poſcenti ſicca mamilla ſitit.
Nec datur hîc vllis rimari pabula ſaxis:
Sola mihi ſteriles fagus & vlmus opes.
Quòd ſi ſuſpiciam viridi tot in aëre ramos,
Et volucrum tepidis hoſpita tecta toris;
Hîc lacrymoſa noui frondet mihi ſcena doloris:
Hîc mihi verna virent gaudia, triſtis hiems.
Paſcit inexpletam ſerpente ciconia prolem;
Paſcit & ab miluo quæ cadit offa, ſuos.
Vt fruſtra quæſiuit Ityn priùs anxia Progne;
Ieiuno reuehit munera veſca gregi.
Cernis, vti pullis pultes inculcat aëdon?
Cernis vt & paſſer prandia lauta refert?
Et viridi vidi mammâ lactare colubras,
Quæ genuit coluber pignora digna mori.
Dura ſed vna meo natura nouerca puello,
Fraudat opem, reliquis officioſa parens.

Nec facies hæc ſola mei lacrymoſa doloris,
  Torrida quæ ſicco pallet in ore fames.
Dente rubi lacer, atque feræ graué ſaucius vngui
  Eiulat, auxilij ſpes vbi nulla, puer.
Mater ego ſectum crudeliter ora puellum,
  Ora, manuſque, latuſque, & ſine honore feram?
Vix cui genua virent teneris infuſa medullis,
  Lacteaque in fluxis oſſibus vnda natat?
Sic fugit æternas mea lux abitura ſub vmbras!
  Quale, puer, matri mors tua vulnus erit!
Ergo n' ego ſim facta parens, & digna Sifrido,
  Gnato caſſa parens, & ſimul orba viro?
Ah! quot auûm ſpes ille nepos defraudat in vno
  Funere! quot flores flos cinis ille rapit!
Qualiſcumque breui puluis breuis incubat vrnæ,
  Puluere tantillo eſt tota ſepulta domus.
Ipſa pari certè moriens decumbo ſepulcro,
  Iamque meam firmant bina ſepulcra fidem.
Prima ſaliua meo ſi tam ſit amara puello,
  Porro ſuæ mortis quantus amaror erit!
Ab teneris puer vnguiculis tam dura laborum
  Pondera? ſic ætas primula digna mori?
O duram Lacheſin, puero quæ ſerica ducat
  Fila, trahat crudæ ferrea penſa necis?
In puero mater perit, atque in matre puellus:
  Et duo cùm viuant, mors rapit vna duos.
O quoties medijs puer eiulat auius vlmis,
  Imploratque breues vltima vota dapes!
Et quoties matrem iam iamque relapſus in herbas
  Inuitat placidis in ſua vota genis!
Neſcio an & durum non arguat ille parentem,
  Sed iam languidulus pectore ſemianimi.
Vix ſummas ea credo viro vox attigit aures:
  It paruo nimiùm paruus ab ore ſonus.
Parue tace. lituo grauiore ſonanda doloris
  Scena mei: tragicis ſcena gemenda modis.

Poſthuma

Poſthuma fama ſuis quos excitet opto ſepulcris,
Dira renaſcentes damna querantur aui.
Quid ſi Cæſarei primus tibi ſanguinis auctor
Surgat, marmoreâ quem tegit vrna domo?
Ecce tibi ſurgit ferali mortis aſylo,
Quem proauum inſtituit numine nata Charis.
Grande caput frondet lauri pubente coronâ,
Plurimaque auricomis ſtella micat folijs.
Armiſonum victrix prætendit dextra tropæum,
Et iuxta clypeum nobile læua premit;
Inclyta nobilium quod ſignat imago nepotum,
Signat & auratis arbor amœna comis.
Primæuum, Sifride, loqui ſic crede parentem,
Cui nitet intonſis cana ſenecta comis:
Nate, parentis honos, claræ ſpes aurea gentis,
Nate, meæ vires, nobile lumen auûm:
Nate Ducum genus armipotens, totque inclytus armis,
Bellica pacali cui ſaga iuncta togæ:
Quæque tot eximijs floret ſubnixa tropæis,
Auguſtæ columen, magne Sifride, domûs;
Quò ruis imprudens? quò te malus abripit error?
Et tenet in ficto crimine falſa fides?
Siccine Cæſareâ dignos priùs indole mores,
Treſſis homo tantum ſic violare decus?
Pro pudor! inceſtis aures tibi leno venenis
Imbuat? vnde tuo ſerpat echidna ſinu.
Fraus ſcelerata pios tibi ſic exſtinguet amores
Coniugis? ô quantum perfida lingua ſcelus!
Saluus an ergo pudor ſit caſtę iniuria tædę?
Et graue crimen erit crimine pura fides?
Inque acie linguæ tot ſpes peritura nepotum
Stabit, & ab tenui pendula voce tremet?
Hoc periura feri lenonis vt ora piâclum?
Tanta reâ linguâ pendeat arbor auûm?
Inque nepote mei ſpes excidat omnis honoris,
Et iaceat paruus tot mea regna cinis?

Talibus aſſari proauum te crede parentem,
Inclyta qui claræ ſtirpis origo ſtetit.
Ecquid adhæc, Sifride? tui quis pectoris ardor?
Quis color in vultu, ſiue quis ore ſonus?
Quis tremor oſſa quatit? quæ flamma ſuborta medullis?
Quis fugit in ſalſas feruidus imber aquas?
Quà latus hinc proauus, lacer obſidet inde puellus,
Quò flectes animi fræna magiſtra tui?
Vnus vt ærumnas, raptos ſic alter honores
Arguit, opprobrio manat vtroque pudor.
Parcere te iuſto malim, Sifride, pudori,
Te Genoueſa redux parcere velle dabit.
Egregijs tot auûm ſi te non viceris armis,
Te Genoueſa ſuis vincat inerma malis.

EPISTOLA XXII.

ARGVMENTVM.

DVritiam viri increpat, optatq; ab eo in venatione capi; denique ad fontem ſe contemplans, Suſanna, quam exprimit, ſimilitudine ſe oblectat.

GENOVEFA SVO SIFRIDO.

SÆpè graues gelidâ cùm frango ſub ilice frondes,
Ignea fax imo corde ſuborta flagrat.
Multa gemens tacito ſuſpiria muſſo ſuſurro,
Obuia quem querulis excipit aura modis.
Ah! necdum, Sifride, tuum cor mollibus alis
Verberat in duro pectore mitis amor?
Vt video citiùs nix Caucaſis induet ignes,
Et fluet in gelidas degener ignis aquas:

Fonſque

Fonſque volubilium præceps priùs agmen aquarum
  In caput inuitus retrò reflectet aquis:
Iamque dabit tutos modò Syrtis inhoſpita portus,
  Et fragili parcet ſæua Malea rati:
Quàm durum teneri cor molliat ignis amoris,
  Inque tuæ flectas coniugis ora caput.
At mihi cor viuâ ceu thureus ardor in arâ
  Vſque litat lacrymas, & litat vſque preces.
Crede mihi, ſi quis foret vllus in arbore ſenſus,
  Diſceret hinc dulces arbor amare faces.
Omnibus arderet tunc ignea ſylua viretis,
  Omnibus hæreret pendula flamma comis.
Cur non hîc Phyllis viret altera, & altera Baucis?
  Cur non & Daphne fit mihi caſta ſoror?
Myrrha ſub hac ſaltem precor altera frondeat vlmo;
  Illacrymet lacrymis hîc vt amara meis.
Aut ſi bruta pios non induat arbor amores,
  Induar arboreum tunc ſine mente caput.
Mì ſemel vt tandem depaſcat flamma medullas,
  Quam iubet vſque dolor ſic ſine mente mori.
Sed quia nulla redit iam Myrrha, nec altera Baucis,
  Quæ volitant ventis irrita vota, ſequor.
Si nequit vmbroſis errans Genoueſa viretis
  Eſſe virens arbos, arboris ambit opem.
Nempè ſtruo ſpeculam viridi ſuper arce Napææ,
  Quâ vibrat aëreum ſylua ſuperba caput.
Hîc ego, ceu volucris ſublimi pendula ramo,
  Deſpicio coniux nunc vbi carpis iter;
Deſidiſúe ſolo molles infuſus in herbas,
  Siue tegunt quernis frondea texta comis;
Aut magis acer equis canibuſque ſequacibus hinnos,
  Siue leues damas ad tua tela premis.
Hoc equidem malim; ſic forſan & ipſa Sifrido
  Nobilior ceruâ tum quoque præda forem.
Tela reformidem, ſæuoſque in vulnera dentes,
  Sima quibus pugnant vincere caſtra feras?

Mollia me duris pro morſibus oſcula lambent?
Me Tigris, & lætâ fronte relambet Hylax.
Credo, ferox rabidas qui ſæuiit hoſtis in iras,
Ipſe Lycus noſcet tum cicur hoſpes heram.
Adſilienſque togæ, tremulo quæ gannit hiatu,
Pænè Lyciſca loqui viſa, vouebit Aue.
Quo non ſub catuli tum dente lacinia ludet?
Peſque vibrans caudâ ſub pauitante tremet?
Sed quid amica canum niſi prælia ſomnio, adulans
Ipſa mihi ſæuis quæ gemo cincta dolis?
Sæpè quidem per opaca leues decurrere ceruos
Specto, vel herboſo ſiſtere colle fugam.
Quid mihi cum ceruis? me ſi, quacumque deerro,
Ocyor hinnuleis effugit ipſa ſalus?
Nónne ſpeique metuſque biceps me diſtinet error?
Pendulaque extremo cardine vita labat?
Mœror enim cor vrit, arant duo flumina malas,
Reſponſat celerem languida vena necem.
Singultata trahunt lentos ſuſpiria queſtus,
Vix ſpes relliquias colligit ægra ſuas.
Semianimique labant veſtigia turbida paſſu,
Deque viâ fractos mens grauat ægra pedes.
Plus placidæ philomela capit ſibi verna quietis,
Quàm capiam ſiccis ſomnia parca genis.
Peruigil! heu tenues exhaurit cura medullas,
Vncia vix iuſti ſanguinis vna rubet.
Eſt, qui lenè fluens prono trahit agmine pondus,
Riuus inexpletis lympidus hoſpes agris.
Naïadum domus hæc vitreis me detinet vndis,
Inuitatque virens ſiſtere Nympha pedem.
Siſto pedem. Genouefa nigros, ait, ablue vultus,
Quos ſcaber è multo puluere ſqualor habet:
Cryſtalloque cauam pingente refinge figuram.
Hoc hyalo fuſas reddet imago genas.
Fingo, refingo vitro nimiùm fallace labellum,
Oraque natiuis æmula facta roſis.

Br

Et iam perſpicuo me neſcia quæro theatro:
  Aſt aperit mimo ſe noua ſcena vado.
Namque meam nitido dum pingo liquore figuram
  Viſa repens puro nare Suſanna lacu.
En nouus erubuit primi pudor integer æui,
  Canduit & puris cura modeſta genis.
Quis credat? Suſanna cauo natat obuia ſtagno.
  Hei mihi! Suſannam nunc Genouefa facit,
Fallimur? an vitreis Suſanna relucet in vndis?
  Inſpexi; liquido fonte Suſanna natat.
Erro, nec erro tamen: peperit Genouefa Suſannam,
  Nì magè Suſannæ ſit Genouefa ſoror.
Æquus vtrique pudor, labor æquus vtrique pudoris,
  Æquus vtrimque dolor, natus vtrimque dolo.
Si non biſgemino mihi de ſene noxia famæ eſt,
  Leno ſed hic æquat vnus vtrumque ſenem.
Per mihi grata venit, quæ ludit imago per vndas.
  Quid ſcio, fida meæ ſortis an augur erit?
Par mea Suſannæ ſi ludit gurgite forma,
  Et mihi Suſannæ, ſpero, redibit honos.
Lucet adhuc cælo caſti ſol conſcius æui;
  Et cum Sole Themis conſcia iuris agit.
Viſa quidem fuit illa mori, dum neſcia noxæ
  Ducitur immiti mox perimenda manu.
Sed ſtetit in medijs mens libera tota catenis:
  Terruit obſcœnos caſta virago lupos.
Siccine te mater, querulus clamabat alumnus,
  Pœna manet? ſiluit non moritura parens.
Ecce tibi puerum Themis excitat obuia morti,
  In puero totus nempe ſenatus erat,
Quò ruitis, clamat, quò vos furor improbus vrget?
  Lugubre non æquæ ſiſtite mortis iter.
Turba ſtetit, pueri fortem mirata dolorem.
  Tum verò geminos diſtrahit ille ſenes:
Auxiaque in varias his verſat pectora partes;
  Exprimat vt veram vox male ficta fidem,

Seque ſuo iugulet damnoſa calumnia ferro,
Dum pugnat dubijs diſſona lingua modis;
In caput auctoris reuoluta calumnia iuſto
Pondere ſic ſpurcos opprimit ipſa ſenes.
Crede canes caſtæ latrantes probra Suſannæ,
His canibus durus ſed puer vltor erit.
Saxificam his in aquis vidi ſæuire procellam
In caput impurum, quod ſua noxa grauat;
Peruigil ad noxas oculus conniuet inultæ
Iuſtitiæ, tandem ſed piat vlta ſcelus.
Forſitan in puero Sifrido creſcit & alter
Iam Daniel matri gloria clara ſuæ.
Nunc tamen hæc inter dum longa reuoluitur ætas,
Intima conſilij publico ſenſa mei.

EPISTOLA XXIII.

ARGVMENTVM.

Mater Genouefæ ſcribit Goloni diras.

MATER GENOVEFÆ GOLONI.

PReſſa diu nimio tandem mens turbida luctu
Exprimit inuito vota cruenta ſtylo.
Quas non læſus honos iuſtas extorqueat iras?
Quas non vindicias crimine læſa fides?
Præcipuè puram ſi fraus deterrima famam
Opprimat, & dirum lingua ſit auſa nefas.
Quale graui, ſcelerate, dolo meditare piaclum,
Qualiaque infanda voce pericla ſtruis?
Quis fuit ille dies, quæ nox inuiſa rubori,
Quæ tibi tam cæcas impulit ire rotas?
Et ruere in ſcelus, & ruere in genus omne furoris,
Vnde creas probrum turpe pudicitiæ?

An

An quia non licuit ſpolium tibi ferre pudoris,
Exſpolias pulchro nomine prædo nurum?
Quâ non vel medijs ſit caſtior vlla Sabinis,
Hanc Paphio oppugnas, leno cruente, dolo?
Quid, tibi ſi coràm ſe ſiſtat ob ora Sifridi
Vxor, ab vmbroſis hoſpes acerba plagis?
Cor ægrum ſtimulis cui lancinat acribus vltor,
Et dolor, & rapto iuſtus honore furor.
Hiſce tuis mea gnata probris tunc vreret aures;
Vreret & pectus conſcia noxa tuum.
Audin', vt Genoueſa, meo quæ pectore viuit,
Increpet infeſtum turbida tota caput?
Túne duos vno, diriſſima vipera, leto?
Túne duos vno, bellua dira, dolo?
Túne merum temerare decus, temerare Sifridi
Hactenus illæſum, fax cui pura, torum?
Illita num fuco facies perſuaſit amores,
Suffuſus nimio cui rubet ore pudor?
An tereti poteras collo numerare pyropos,
Vreret vnde tuas gemmea flamma fibras?
Aut ægris oculis pretioſa pericula gemmas
Implicuit pictis ars operoſa ſtolis?
Æmonis ante focum ſtetit, an ſtetit atra Cithæris,
Vulnificâ tenerum quæ iecur vriſt acu?
Cereaque in bibulas diſtillat viſcera flammas,
Vt mors lenta pari decoquat igne viros?
Inuiſumque caput funeſto deſtinat Orco,
Tutius vt Cyprin Mars amet inde ſuam.
Improbus his armis thalamos expugnat adulter,
Sed meus Ægyſtho non dedit arma furor.
Quid niſi Penelopen ſecreto viximus æuo?
Duximus & plenâ penſa pudica manu?
Vt quid enim grandes cenſus induta parentum,
Lenones emerem principe digna viro?
Haud ego tam fatui malè prouida filia fungi,
Stirps cui magnanimas fert generoſa nurus.

In cineres roſeum cum ſanguine malo pudorem
Fundere, quàm famæ pignora caſta rapi.
Ardua Sifridi quicumque palatia ſpectat,
Æſtimet ille meo regia tecta toro.
His mea Cyprigenos vis depulit arcibus ignes,
Impiaque infregi vindice tela manu.
Eluſi & trepidæ malè dulcia bella iuuentæ,
Inſidias pulchrâ vincere docta fugâ.
Sic licet effugiam Cyprijs ſata fulmina flammis,
Non tamen effugi ſpicula dira necis,
Quęque draconigeno liuent adipata veneno
Tela, quibus pugnat vincere fama decus:
Fama tenax ficti, veriquę ignara decoris,
Cui tuba ſit fœdis fœda miniſtra probris.
Vota damus, ſuperâ Nemeſis quæ nunciet aulâ,
Queiſque ſimul ſupero deuocet orbe faces.
In caput infandum necdum ſua fulmina vindex?
Erubuit fulmen tot ſibi ſtare moras.
O quoties timui lentos vbi ſuſtinet ignes,
Ne mea ſpes altâ nube ſepulta foret!
Sæpè videns cogi denſos in fulgura nimbos,
Illa mei, dixi, tela furoris erunt.
Igneus ille meis globus, adſpice, militat armis,
Militat in clades, impie prædo, tuas.
Vince dolo; caſtam malè viceris arte Suſannam,
Fulmen & huic cineri qui dabit, vltor erit.
Sic ego ferali prece deueneratą Tonantem,
Deuoueo diris teque tuoſque rogis.
Impuro capiti iuſtas imponere diras,
Imperat infames vlta Themiſta dolos.
Si qua tibi Nais muſcoſo proſilit antro,
Infidas violet peſtifer hydrus aquas.
Iucundo ſi quando redux ſol ridet ocello,
Turpe tibi diro torreat igne caput.
Eia graues blando curas iam dilue Baccho;
Omne ſed in lacrymas vertat id hydra merum.

Frange,

Frange, licet, duros ſomno plumâque labores,
Sed treme monſtriferis ſomnia torua minis.
Denique cura, tremor, mœror, furor, horror Auerni,
Te miſer in vitæ tædia lenta trahant.
Et tot vbi permenſa graues ſit vita dolores,
Vltimus oppugnet mors tua buſta dolor.
Ac tibi ſint quicumque ſolent in morte labores,
Et furor, & diri triſte furoris opus.
Poſthuma funeſtas populetur echidna fauillas,
Et viroſa triceps emolat oſſa canis.
Vos precor & manes, ſi quis ſit ſenſus Auerno,
Vertite in hoc vnum ſpicula mille caput
Et pice fumantes viuoque è ſulfure tædas
Vrite, queis vrat triſte Megæra ſcelus.
Ante diem fragiles ſin mors hos ſoluerit artus,
Addita de cunctis perſequar vmbra locis.
Ad Superum certè vadimonia ſiſto tribunal,
Et tibi nunc æquo conſero iure manum.
Teque tuoſque adiuro genus furiale nepotes:
Quò Suſanna ſenes, vos Genoueſa trahit.
I Nemeſis, durum nimiùm, nimiumque ſeuerum
Abripe, diua, reos iudicis ad ſolium.
Tunc ego vipereis intextum colla cateruis,
Te pede, voce, manu vindice ſæua premam.
Tum tu ſerò gemes, vanoque è crimine diſces,
Quid valeat veris Numinis ira rogis.
Forte ſed has rides ceu fulmina bruta querelas.
Ilicet has ride, dummodo ſerò gemas.
Digna tibi riſu ſi nunc ſit fabula crimen,
Mox tibi ſupplicium lugubre riſus erit.
Deme, licet, denas toto de fulmine partes,
Te quæcumque premet pars, graue fulmen erit.
Tunc nimis inferos (poteris meminiſſe) dolores
Delamentandos vſque trahes gemitus.
Sors vtcumque ferat, quam ſerior aduehat ætas,
Quidquid agas, cineres poſthuma damna prement.

Intereà cui ſpes tot circumſepta periclis
Oppetit, & properat ſaucia vita mori:
Vltricem moriens tandem tibi lego ſecurim.
Inſpice, quâ ceram ſigno, ſecuris adeſt.
Hanc acuit medijs Adraſti filia ſyluis,
Cos cui ſit durus, flens vbi ſido, ſilex.
Hæc equidem ſurdis mea filia ſæpè ſub vlmis
Viſa fuit toruis increpuiſſe minis.
Quin & vbi placidam demulcent ſomnia mentem,
Se pernox oculis ſiſtit imago meis.
Et tacito (mirum) quid neſcio triſte ſuſurro
Innuit, arcano corde quod ægra premit.
Suſpicor; vmbra ſuas has imperat obuia diras,
Imprecor in dirum, quo gemo læſa ſcelus.
Et quia nemo legit ſurdis Genoueſa quod vlmis
Exarat, infames has tibi mitto notas.
Mater ego gnatæ non æquis ſaucia damnis,
Candida cui famæ præmia fraude rapis:
Vnius opprobrio geminum qui perdis honorem,
Et lue de geminâ bis probra dira nurû.

EPISTOLA XXIV.

ARGVMENTVM.

Vaticinatur eius innocentiam aperiendam: quâ ſpe eam conſolatur.

MATER GENOVEFÆ SVÆ.

QVam tibi nullâ voues, voueo ſecura ſalutem.
Rebus in incertis ſtat mihi tuta fides.
Non ſi terra tremat, non ſi mare ferueat vndis,
Emoueo, fido quem pede firmo, gradum.
Ardua perrumpes victrice pericula palmâ.
Cui dat triſte Vale fama, reponet Aue.

Fama

Fama parum fidis olim malè credula dictis
  Nobiliore decus reddet amica tubâ.
Tunc omni pede ſtabit honos, vis neſcia vinci,
  Splendidaque è probris gloria ducet opem.
Viue, precor, pulchrâ, felix Genouefa, ſenectâ;
  Mox cadet in caſſes, ceu fera, Golo tuos.
Anne dolos adamanta putes? dic futile vitrum;
  Tange, leui tactu vitrea bulla perit.
Quoque magis ſplendet fortuna ſimillima vitro,
  Ocyùs hoc verſis diſſilit icta rotis.
Lubrica fortunæ ſunt dona, volubile pomum,
  Ilicò quod fluxo labitur è gremio.
Hîc ego nunc certè funeſti præſcia casûs
  Specto procelloſis omina dira minis.
Fulmineis armat nimbos niger ignibus æther,
  Terque repercuſſo terra tremit gremio.
Totus in vnius mundus coniurat honorem,
  Cingat vt innocuum palma decora caput.
Totus & vnius conſpirat in arma latronis,
  Arma quibus vindex opprimat ira ſcelus.
Huc velis remiſque ruit Rhamnuſia virgo:
  Vela ſecant ventos, remus inoccat aquas.
Vera cano, vacuas ſpes haud vaneſcet in auras;
  Audio vocales in mea vota tubas.
Audio, quo Genouefa lates iam ſqualida ſaltu,
  Cornua funeſtis exululare modis.
Cornua rauca, quibus Nemeſis vigil accubat vltrix,
  Et ſtruit inſidias, inſidijſque necem.
Tam pulchri Sifridus erit pars magna laboris,
  Qui Nemeſi ſocios iunget ad arma canes.
Tunc quibus attonitum caput obuius obruet armis
  Vltor, & vrgebit triſte latus ſtimulis?
Te, quibus inſpicans digitoſque arcumque ſagittis,
  Opprimet infandum mors violenta ſcelus?
Sylua ſuos verti telis volet horrida ramos,
  Sylua volet iuſtas vrere tota faces.

Sylua volet folijs tunc omnibus ire tabellas,
Fama ſciens veri queis tua probra canat.
Aſt quâ parte redux iam gloria flectit habenas,
Spes ſequitur viridi te, Genouefa, rotâ.
Mox tibi tota virens frondebit ſylua triumphis,
Mille tibi lauros laus, Genouefa, feret.
Surget, iò! ſurget damni ſecura voluptas,
Deque feræ leto ſurget adulta ſalus.
Quid loquar hinc alias alio de munere laudes?
Quæque tibi ſerus præmia ſpondet honos?
Serus? ad hoc nomen ſuſpiras turbida luctu,
Præcoce quæ malis carpere poma die.
Scilicet annoſæ funeſta pericula palmæ
Sol trahet in longas euoluenda moras.
Heu! nimium tardas dolor increpat ire quadrigas:
Increpet ille licet, ſpes tibi certa venit.
Præmia ſpes, fateor, lentos maturat in annos:
At quæ ſera venit, ſeria firmat opem.
Luna nouo quoties reparabilis emicat aſtro,
Et niueos toties crede redire dies.
Cynthia vix ſenos rediuiua recolliget ignes,
Et tibi manè redux lucis Eous erit.
Tempora ſi numeres benè quæ pater aureus anni
Sol numerat, pauci temporis annus erit.
Inde tuo matura dies adſurget honori,
Iuſta ſed inuiſum præmeret ira ſcelus.
Quare agè, fide Deo; mox ferrea ſæcla doloris
Aurea in aſtra nouo ſole recudet honor.

EPISTOLA XXV.

ARGVMENTVM.

Opem B. Virginis implorat, ſpemq́; ſuam, quam eius auxilio concepit, omine firmari expetit.

GENO-

GENOVEFA MAGNÆ PARENTI.

HActenus innumeras effudi vana querelas,
Sum ſyluis murmur futile viſa loqui.
Surda meas ſi terra preces tot reſpuit annis,
Legabo ad ſuperas vota ſuprema domos.
Te precor, ô, adſis miſeræ tutela clienti;
Quam potes, eia citis ſolibus affer opem.
Iam pridem tenuis tenui ſub ceſpite puluis,
Ni tua ſæpè mei cura fuiſſet, eram.
Imperio, pia Virgo, tuo quæ pauit alumnum,
Quod dare iuſſa fuit lac, pia cerua dedit:
Almaque ieiunis infudit dona labellis,
Mater vbi ſicco pectore mœſta ſitit.
Aſt aliud depoſco nouos iam munus in vſus,
Quod puer æger adhuc ambit & ægra parens.
Quæ dederis gnato, cur vbera blanda parenti
Abnueris, dius qualia paſcit amor?
Et cui non æquos indulges mater honores,
Præcipuè fictis laus vbi preſſa probris?
Magna quidem, non illa tuis indigna coronis,
Dona peto; damnis ſola ſed æqua meis.
Vt quid adhuc lentis mora ſpem ſuſpendit habenis?
Vt potes, indomito turbine rumpe moras.
Spes quæ lenta venit, non lentis ignibus vrit:
Acriùs hoc torret, quo magè ſera iuuat.
Vt peream, celeres rapit impia noxa quadrigas:
Ne peream, pietas tarda moratur opem?
Sæpè fui mendax mihi; ſpes vbi ludit hiantem,
Et canit æthereas iſſe, rediſſe rotas.
Nec rediere tamen tot euntibus ordine lunis.
Heu! quaſi luna, repens ſpes ſata nata mori eſt.
O! ego te quoties longis adiuro querelis!
Nec tamen eſt ſolito lætior orta dies.
Illa dies, noxæ noctem quæ damnet Auerno:
Illa dies, quâ lux ſurgat Eoa ſalus.

En ſceleris pretium fert improbus hoſtis honores,
Candida dum nigras fert Genoueſa notas.
Ecce Golo noſtrâ dominatur ſplendidus aulâ,
Dum traho pannoſum dira per antra ſagum.
Ille ſuperbus eques phaleris exultat & auro:
Vix ſcabra perrepto ſupplice ſaxa genu.
Ille meâ è paterâ nigra proluit ora Falerno;
Turpe lutum putri vix vbi lingo vado.
Quàm miſeram meto de læto modò germine meſſem!
Arbore felici qualia poma lego!
Quàm de delicijs, aulæque è diuite luxu
Vrit in his dumis ſpinea cura dolor!
Iuſtitiæne oculus cæcis conniuet in vmbris,
Quaque premor, nigrans hunc quoque ſylua premit?
Idque vbi de corylo, gelidis quæ canuit annis,
Septenas Zephyri depulit ala niues?
Hæc quæ, Virgo, queror, denſis ſum queſta viretis:
Fulſit at vmbroſis tunc mihi ſtella plagis:
Ceu fax Oebalio pelagus cùm temperat aſtro,
Quod verſat placidæ turbo tyrannus aquæ.
Nam memini, nitido quæ neſcio Diua paratu
Conſtitit ante meos ſole rubente pedes.
Spes erat. hæc noſtros tenerè miſerata labores
Virgo, tuo nutu ſigna ſecunda tulit.
Proſperaque irradians viridi dedit omina quercu,
Qualia Suſannæ, dum gemit ægra, dedit.
Purpurei Diuæ lambebant tempora flores,
Alba pedes niueos inſtita, vitta comas.
Puber oliua manu viridem frondebat in vmbram,
Quo mea dum ramo tempora mulcet, ait:
Pinge caput viridi, cui frons ſtetit atra, coronâ;
Squalidáue æternis tempora cinge roſis.
Cernis vti canam viridi ver veſte ſenectam
Mutat, & in picto flore iuuenta viret?
En tibi (quod neſcis) hoc quo gemis orba vireto,
Læta etiam ſortis vernat imago tuæ.

Quæ non frondicomâ quercus caput induit vmbrâ?
Quæ non floriferis purpurat herba comis?
Nunc vbi non ardent formoſi florea veris
Gaudia, queis pomi muſtea dona legas?
Hæc tua ſors: tibi vera canens oracula Diuûm,
Expediam dictis, ſera quid hora vehat.
Suſpice, purpureos voluit ſol aureus orbes,
Dexteraque augurium nobile cantat auis.
Vt quondam pugnace cedrus ſuccisa ſecuri,
Lætior ab triſti ſidera ſtrage petit:
Sic prius auguſtâ quæ gloria floruit aulâ,
Et nunc verſa probris, induet alta decus.
Plaudet terra tuis, applaudet & æthra, triumphis;
Inflabitque hilares candida fama tubas.
Parte ſed aduersâ ſubitò celer orbis in ictu
Inuertet vitreo gaudia nixa globo.
Quippe breuem quod læta dedit ſors munus in vſum,
Ilicet in luctus triſte retexet opus.
Teſtis erit iuſti funeſta doloris imago,
Cui cadet infelix vindice Golo manu.
Prædo licet victrice canat ſub fronde triumphum,
Saucia dum fœdis ingemis opprobrijs:
Inque ſuo virides deſigat limine lauros,
De ſyluâ dominæ, quam cypariſſus obit:
Attamen vt rapidos ſors verſa reuoluerit orbes,
Excidet in tragicas gloria fluxa cruces.
Laurus alit dulcem fragili de fronde coronam;
Bacca ſed hinc aloën mortis amara ſapit.
Lubrica ſors ſubitas impellit ad ima ruinas,
Vſque volubilibus lapſa relapſa rotis.
Quiſquis enim vincit non æquis perfidus armis,
Par damno miſerum fœnerat inde lucrum.
Bos ferus auerſis lacerum diſcerpet habenis,
Qui lacerat famæ nomina clara tuæ.
Noxa caput ſequitur, premit vt comes vmbra nocētem:
Arguet illuſtri ſol vigil igne ſcelus.

Fama

Fama canit, tandem victricia ſigna Sifridum
Martis ab egregio puluere ferre domum.
En properat, quò iuſta vocat vindicta ſecurim,
Et Nemeſis pronis dat ſua fræna rotis.
Adſpicis hanc quercum medio quæ conſita ſaltu;
Hac tibi de quercu gloria priſca viret.
Nempe tibi coniux iſtic venabitur vrſum,
Qui diris lacerat te, Genoueſa, modis,
Infeſtumque tuæ famæ nunc imprimit vnguem:
Sons ſed ab impreſſo mox luet vngue nefas.
Hæc preme tantiſper dum ſol hoc voluitur anno.
Qui gaudet, tacito gaudeat ille ſinu.
Hoc ſi fonte bibas (fontemque oſtendit, & infit)
Nonne ſitibundo, dum bibis, ore ſiles?
Hæc cape iam magnâ de Virgine ſigna ſalutis
Præſcia, quæ iuſtas audijt æqua preces.
Sic mihi viſa loqui, longoſque abſtergere fletus
Spes, importunis obuia Diua malis.
Nunc igitur ſi dextra nouis canit omina rebus;
Omnibus firma, quam vouet illa, fidem.
Virgo diu quaſſæ tutela ſuprema carinæ,
Quâ ſine naufragijs omnibus hauſta forem;
Ah! nimiùm mora lenta meos maturat honores,
Nec properat ſæuæ iuſta piacla feræ.
Iam tandem moriens ſummis imploro querelis;
O mea vita, moras tolle, vel adde necem.
Sed potiùs iam tolle moras. cur addere mortem
Virgo velis, mundo publica facta ſalus?

FINIS.

VITTORIO EMANUELE ROMA

ERRATA.

Fol. 68. verſ. Vira lege Vria. fol.81. v. 23. breues l. breuis. f. 114. v. 1. facunda l. facunda. f. 116. v. 35. obua l. obuia. f. 128. v. 3. Hymeteu l. Hymettus. f. 130. v. 7. volupsas l. voluntas. f. 147. v. 30. ſolus l. ſolis. f. 158. v. 9. Auſtis l. Auſtris. f. 162. v. 17. qup l. quo. f. 171. v. 29. pertetuum l. perpetuam. f. 175. v. 9. enim l. eum. f. 200. v. 4. ſire l. ire. f. 208. v. 27. ſigno l. ſigna. f. 230. v. 9. anx l. crux. f. 257. v. 35. nam, delendum eſt. f. 264. v. 13. tranſtulerit l. tranſtulit. f. 268. v. 19. alter l. ater. ibid. v. 36. ſurcum l. ſpurcum. f. 287. v. 23. iſta l. iſta. f. 350. v. 36. lacrimis l. lacrimas. f. 366. v. 27. petjas l. pergas.

Digitized by Google

Digitized by Google